

Goltzii Imperatorum Imagines. *I. Pine sculp.*

JURISPRUDENTIA PHILOLOGICA,

SIVE

Elementa Juris Civilis,

SECUNDUM

METHODUM ET SERIEM

INSTITUTIONUM JUSTINIANI,

In brevem & facilem ordinem redacta,

Notis CLASSICIS, & HISTORICIS,

NEC NON

Parallelis JURIS ANGLICANI locis, Illuſtrata.

Quibus acceſſit PROOEMIUM

De Jure Civili Romanorum ante JUSTINIANUM,

ET

De Libris Juris Civilis Romanorum per JUSTINIANUM compoſitis.

In Uſum Juventutis Academicæ.

Per ROBERTUM EDEN, S.T.B. Archidiaconum Wintonienſem, & non ita pridem, Coll. Univ. Oxon. Socium.

OXONII,

E THEATRO SHELDONIANO, MDCCXLIV.

Imprimatur,

GUALT. HODGES

Vice-Can. OXON.

Mar. 6. 1743—4.





HONORATISSIMO VIRO

THOMÆ HENRICO

Vicecomiti *DEERHURST*,

HONORATISSIMI DOMINI

GULIELMI

Comitis de *COVENTRY*

FILIO NATU MAXIMO,

LITERARIUM HOC,
OFFICII, OBSERVANTIÆ,
GRATIQUE ANIMI, MONUMENTUM,
D. D. D.

Omni Obſequio,

Cultuque Devinctiſſimus

ROBERTUS EDEN.

Lectori S.

CUM hoc tentamen a ſtudiorum meorum ratione, & munere, quo fungor, alienum prorſus videri poſſit, id imprimis neceſſarium duco, ut præcipuas, Benevole Lector, *Tibi cauſas explicem, quæ hoc opuſculum in lucem prodire juſſerint, & memet e Rure in Curiam evocaverint, undis civilibus, ut ita dicam, immergendum.*

Scias itaque, quod, quum id olim mihi datum eſſet negotii, ut in Collegio Univerſitatis Oxon. *Viro amiciſſimo, plurimumque colendo* Franciſco Walwyn *conſociatus, in ſtudiis Academicis Juventutem inſtituerem, haud pauci erant, qui Juris civilis ſcientiam Adoleſcentibus curæ noſtræ demandatis utilem fore exiſtimarent. Ut eorum deſideriis ſatisfacerem, huic ſtudio a Juventute Academica diu neglecto me accinxi; Operis interim ſubſidia cum quærerem, non ita magna inveni, quin de ſucceſsu quidem pene deſperarem. Quamvis enim* Juſtiniani Inſtitutiones *maxime ad hunc finem accommodatæ viderentur, in illis tamen plurima deprehendi difficilia, obſcura, prolixa, perplexa; ingrata ideo, citoque faſtidium parientia Tyronibus, qui præ-*

cepta utcunque utilia, elegantiæ tamen & venuſtatis condimento deſtituta, palato nimis delicato ſolent reſpuere. Horum igitur ingenio obſecundare cupiens, hoc opus ſuſcepi; cumque animadverterem doctos quoſdam viros Juſtiniani Inſtitutiones *illuſtrare conatos fuiſſe obſervationibus Hiſtoricis, notiſque ex humanioribus, ſeu* Claſſicis *(ut dicuntur) Auctoribus, depromptis, quales ſunt* Alciatus, Cujacius, Hotomannus, Briſſonius, Salmaſius, Budæus, Grotius, Menagius; *præcipue vero* Heineccius, *(cujus ſcriptis,* Juris *nempe* Civilis Elementis, *& præclaro Tractatui nuncupato* Syntagma Antiquitatum Romanarum Juriſprudentiam illuſtrantium, *multum me debere confiteor,) rem nec ingratam, nec inutilem me facturum exiſtimavi, ſi Compendium Juris Civilis maxima, qua poſſem, perſpicuitate, & concinnitate componerem, & ex variis Auctoribus notas & obſervationes quaſdam ſelectas excerperem, quæ ſtudio alioquin ſicco & jejuno gratiam conciliare, illudque faſtidioſo Adoleſcentium guſtui accommodare poſſent. Juris enim Civilis Inſtitutiones hac methodo expoſitas non ſolum jucundiores fore, ſed plurimis antiquorum* Poetarum & Hiſtoricorum *locis, atque*

elegantiis

elegantiis quibuſdam latentibus, novum exinde clariuſque lumen affulſurum arbitror; præcipue quidem Ciceronis, *qui verbis juridicis, atque etiam ſolennibus legum formulis abundat. Horum, fateor, Vocabulorum, formularumque explicationes in adjectis Commentariis plerumque inveniuntur; plenius tamen, & melius intelligentur a Lectoribus, qui in Juriſprudentiæ ſtudio aliquatenus verſati ſunt.*

Operi præmittitur Juris Civilis brevis Hiſtoria; Legum *inſuper* Anglicanarum *loci plurimi paralleli adjiciuntur. Qua de re doctiſſimus* Cowellus (*a quo me multa mutuatum libenter profiteor,*) *pluribus abhinc annis Tractatum compoſuit; nempe ut* Juris Anglicani *cum* Romano *cognationem oſtenderet. Sed ex illo tempore tantam Leges noſtræ ſubierunt mutationem, (præcipue vero quoad* Tenendi Jus *regnante* Carolo II^do^,) *ut ea de cauſa Egregii iſtius Viri opus multo minus utile evaſerit. Quod ſi quis Juris, & Politiæ* Anglicanæ, (*ut hoc tempore conſtituuntur,*) *peritus, hanc Provinciam ornandam ſuſciperet, nullus dubito, quin multum commodi ex opere tali proventurum eſſet, tum* Juventuti Academicæ, *tum illis, qui in* Hoſpitiis

pitiis Curialibus *Legum Studio operam dant. Ubi enim juſta, & idonea abeſt elementorum Scientia, Legum omnium omnino, atque adeo noſtrarum, fundamentum, & rationes ignorentur neceſſe eſt; & multi forſan, qui* ſpecialia *in ſingulis cauſis decreta adnotaverint, eadem tamen ad* generalia *Juſtitiæ naturalis, & Æquitatis Axiomata referre nequeunt.*

Cum id vero in hoc opere ſuſcipiendo mihi unice ſit propoſitum, ut Utilitati publicæ, præſertim Academicæ, *aliquatenus inſerviam, juvabit alios intueri ad eundem ſcopum poſthac collimantes; & ſi Lector candidus vel errores meos, qui forte plurimi inciderint, mihi indicare, vel obſervationes ſuas ad ulteriorem hujuſce operis perfectionem tendentes impertire dignatus fuerit, iſtiuſmodi officium in loco beneficii libenter recognoſcam. Spero interim vel ab hoc ipſo tenui conamine aliquid Commodi proventurum, ſi hinc forte excitentur Juvenes Juriſprudentiæ ſtudioſi notulas ſuas & Commentationes adjungere, & exempla plura ejuſdem generis, quæ* Atticorum & Romanorum *Scriptorum Lectio quotidie ſuppeditabit, per ſingula hujuſce Libri capita diſtribuere.*

PROOEMIUM.

PROOEMIUM.

De Jure Civili Romanorum ante *Juſtinianum*,

ET

De Libris Juris Civilis Romanorum per *Juſtinianum* compoſitis.

ROMA erat *Albanorum* colonia, initio quidem neque magna, neque nobilis; ſed quæ brevi tempore, partim magno advenarum concurſu ad Aſylum Romuli, partim vero totis civitatibus, gentibuſque dedititiis intra mœnia receptis, haud mediocre accepit incrementum. Hæc nova colonia ad exemplum aliarum coloniarum mores & religionem *Majoris Patriæ* retinuit. Quum ergo illi patrii mores in ſcripturam nondum eſſent redacti, Urbs Roma initio *ſine lege certa*, *ſine jure certo egiſſe* dicitur, quod non ita intelligendum eſt, ac ſi populus Romanus nullis planè legibus, nulla actionum norma ſub Urbis incunabula uteretur, ſed ſenſus eſt, quod Romani initio *Jure ſcripto* caruerunt. Quum ergo in novâ civitate permulta inciderent, quæ ad iſtos antiquæ patriæ mores componi non poterant, res ipſa popoſcit, ut ea omnia temperarentur Regum Arbitriis, quæ vetuſtiſſimis mortalibus pro legibus

erant. Quicquid ergo vel fieri, vel omitti a civibus vellent Reges Romani, id plerumque per Præconem promulgatis EDICTIS præcipiebant. Quod facientes *MANV omnia gubernare* dicebantur. Quandoquidem autem, (uti rectè obſervavit *Cicero ad Famil.* Lib. IX. Epiſt. 16.) *omnia incerta ſunt, quum a jure diſceſſum eſt, nec præſtare quiſquam poteſt, quale ſit id, quod poſitum eſt in alterius voluntate, ne dicam libidine*, non ſane mirandum eſt, ferocem populum, libertatiſque cupidum magis, quam patientem, *Romulo* ipſo paulo rigidius dominante, mox LEGES flagitâſſe. Hinc ipſe ROMULUS leges quaſdam Curiatas ad populum tulit; ſequentes etiam Reges leges quaſdam Curiatas ad populum tuliſſe conſtat, & NUMAM quidem POMPILIUM eas potiſſimum, quæ ad ſacra pertinere viſæ ſunt. Leges vero Regum Romanorum fuerunt paucæ, eæque, ſive verba, ſive rem ipſam reſpicias, priſcam Simplicitatem ubique redoluerunt; ad conſilia tamen reipublicæ, in qua omnia fere ad bellicam potentiam referebantur, (ſi pauciſſima *Numæ* inſtituta excepe-ris,) callidè accommodatæ. Hæ leges a *Sexto Papirio* collectæ JURIS PAPIRIANI nomen acceperunt.

Regibus LEGE TRIBUNICIA, (i. e. a *Junio Bruto* tum Tribuno Celerum latâ,) exactis, *Leges regiæ* non amplius tanquam jus ſcriptum, ſed tanquam mores majorum, & conſuetudines patriæ viguerunt.

Orta

Orta vero eſt contentio inter Patricios & plebem, an in nova Republicâ conſultius eſſet ſub *Magiſtratuum*, vel *legum* imperio vivere. Patricii Poteſtatem Magiſtratuum potiorem duxerunt; ita enim queruntur apud *Livium*,—*Regem hominem eſſe, a quo impetres ubi jus, ubi injuria opus ſit; eſſe gratiæ locum, eſſe beneficio; & iraſci & ignoſcere poſſe; inter amicum & inimicum diſcrimen noſſe: Leges rem ſurdam, & inexorabilem eſſe.* Vicit vero Plebis Sententia, Leges Reipublicæ novæ eſſe ferendas; & poſt diuturnam ſeditionum materiam, nec patribus plebi, nec hac illis quidquam concedere volentibus, Anno ab V. C. ccc. *Spurio Tarpeio* & *A. Terminio* Coss. res ad Senatum delata eſt; & ex ſententia *T. Romilii* factum S. C. (quod deinde fuit plebiſcito confirmatum,) ut, tribus triremibus pro majeſtate Reipublicæ Romanæ magnificè inſtructis, legati per Italiam & univerſam Græciam petitum leges mitterentur; creatique *Sp. Poſtumius*, *Sext. Sulpicius*, *A. Manlius*, qui utiliores Civitatum ſingularum *Lacedæmoniorum*, atque *Athenienſium*, & *Magnæ Græciæ* civili *Pythagoreorum* philoſophia inſtitutæ, leges deſcriberent. Hæ verò leges Romam allatæ redactæ fuerunt ſimul cum legibus aliquot Regiis in duodecim tabulas a DECEMVIRIS ad id delectis, cum ſummo imperio, ſilentibus aliis magiſtratibus, eaſque partim integras perſcripſerunt, partim emendârunt,

dârunt, partim ad populi mores & conſuetudinem urbis inflexerunt; novaſque aliquot ipſi pro temporum opportunitate, (ut ſuſpicari fas eſt,) interſeruerunt.

DECEM quidem tabulæ primo erant compoſitæ; Quum vero in tyrannidem abiret illud DECEMVIRALE IMPERIUM, ac proinde populus magno duarum reliquarum tabularum deſiderio teneretur, *Appii Claudii* libidine & iniquitate factum eſt, ut magiſtratu ſe abdicare cogerentur *Decemviri*, publicatis tamen prius duabus, quæ deeſſe dicebantur, Tabulis. Itaque tota illa Legiſlatio XII. conſtitit tabulis, *fonte univerſi publici, privatique Juris. Liv.* III. 34. de quibus gloriatur Cicero, *Bibliothecas omnium Philoſophorum uno Duodecim Tabularum libello authoritatis pondere, & utilitatis ubertate ſuperari.* De Orat. Lib. I. 195.——Haſce leges *Horatius* vocat, *Tabulas peccare vetantes*, & alibi *Leges ſanctas.* +

Ex harum autem legum ſenſu, & poteſtate, deductus eſt uſus, ſive ratio judicii exercendi, & negotiorum agitandorum, certis adhibitis formulis & ſolennitatibus veterum Juriſconſultorum artificio conditis, eductiſque de Sacrario Pontificum. *Livius* enim diſertè ait Lib. IX. 46. *in Pontificum Penetralibus repoſitum fuiſſe jus Civile, faſtoſque ex quibus, quando LEGE AGI poſſet, ſciretur.* Haſce formulas

las LEGIS ACTIONES, & ACTVS LEGITIMOS appellârunt, quæ altera fuit poſt XII. Tabb. portio Juris Civilis, & vocabatur JUS CIVILE FLAVIANUM, a *Flavio* Scriba, qui librum earum populo vulgavit. Omnem enim hanc formularum, rituum, dierumque cognitionem Patricii & Pontifices, tanquam avitam poſſeſſionem ſibi retinebant, & in occulto habe-

A *Flavio* Scriba, qui librum earum populo vulgavit.] Haſce legis Subtilitates ridet *Cicero* in *Orat.* pro *Muræna.* Dignitas in tam tenui ſcientia quæ poteſt eſſe? Res enim ſunt parvæ prope in ſingulis literis, atque interpunctionibus verborum occupatæ. Deinde etiam ſi quid apud majores noſtros fuit in iſto ſtudio admirationis, id enunciatis veſtris Myſteriis totum eſt contemptum, atque abjectum. Poſſet agi lege, necne, pauci quondam ſciebant; Faſtos enim vulgo non habebant; erant in magna Potentia, qui conſulebantur; a quibus etiam dies, tanquam a Chaldæis, petebantur. Inventus eſt Scriba quidam Cn. Flavius, qui Cornicum oculos confixerit, & ſingulis diebus ediſcendos faſtos propoſuerit, & ab ipſis cautis Juriſconſulis eorum ſapientiam compilarit. Itaque irati illi, quod ſunt veriti, ne dierum ratione pervulgata & cognita, ſine ſua opera lege poſſet agi, NOTAS quaſdam compoſuerunt, ut omnibus in rebus ipſi intereſſent. Cum hoc fieri belliſſimè poſſet: Fundus Sabinus meus eſt: immo meus: deinde judicium: noluerunt. FVNDVS, inquit, QVI EST IN AGRO QVI SABINVS VOCATVR. Satis verboſe. Cedo quid poſtea? EVM EGO EX IVRE QVIR. MEVM ESSE AIO. Quid tum? INDE EGO TE EX IVRE MANV CONSERTVM VOCO. Quid huic tam loquaciter litigioſo reſponderet, ille, unde petebatur, non habebat. Tranſit idem Juriſconſultus tibicinis Latini modo: VNDE TV ME, inquit, EX IVRE MANV CONSERTVM VOCASTI, INDE IBI EGO TE REVOCO. Prætor interea, ne pulchrum ſe ac beatum putaret, atque aliquid ipſe ſua ſponte loqueretur, ei quoque carmen compoſitum eſt, cum cæteris rebus abſurdum, tum vero nullo uſui. UTRISQVE SVPERSTITIBVS PRÆSENTIBVS: ISTAM VIAM DICO: INITE VIAM. Præſto aderat ſapiens ille, qui inire viam doceret, REDITE VIAM, eodem duce redibant. Hæc jam tum apud illos barbatos ridicula credo videbantur: homines, cum rectè atque in loco conſtitiſſent, juberi abire, ut unde abîſſent, eodem ſtatim redirent. Iiſdem ineptiis fucata ſunt illa omnia, QVANDO TE IN IVRE CONSPICIO, & hæc, SED ANNE TV DICIS CAVSA VINDICAVERIS? Quæ dum erant occulta neceſſario ab eis, qui ea tenebant, petebantur: poſtea vero pervulgata, atque in manibus jactata & excuſſa, inaniſſima prudentiæ reperta ſunt, fraudis autem, & ſtultitiæ pleniſſima.

bant;

bant; ut plebs omnis a ſe penderet, ipſique rebus omnibus intereſſent. Sane neque Actionem quiſquam ſine periculo inſtituere; neque adoptare, emancipare, ſimilemve actum explicare poterat, niſi hæc adiiſſet oracula.

Præter legis Actiones, qui ſunt actus in lege civili ſolenniores, & quaſi commercii forenſis inſtrumenta, editæ ſunt á prudentibus, (poſt editum JUS CIVILE FLAVIANUM) aliæ formulæ ad nova contractuum genera, novaque negotia in diem emergentia, ex moribus adcommodatæ, per *Sextum Ælium* compoſitæ, (a quo JURIS ÆLIANI nomen duxerunt,) vel potius forſan *evulgatæ*; nam poſt arcanas iſtas formulas a *Flavio* vulgatas Patricii novas videntur excogitaſſe, eaſque, ne in vulgus manarent, occultioribus quibuſdam *notis* conſignaſſe, quas denuo prodidit

Occultioribus quibuſdam *notis* conſignâſſe,] NOTÆ non ſunt SIGLÆ, ſeu literæ Singulares tota vocabula exprimentes, veluti S. P. Q. R. pro Senatus, Populuſque Romanus; ſed certa ſigna, quibus unum, plurave vocabula involvebant. Unde qui notis excipiebant alterius verba dicebantur NOTARII; qui ſiglis, SINGVLARII, vel SINGVLARES. Utroſque jungit *Manilius* Lib. IV. v. 197. ubi de nato ſub *Virginis* ſigno,

Hic & Scriptor erit velox, cui LITTERA verbum eſt.
Quique NOTIS linguam ſuperet, curſimque loquentis
Excipiat longas nova per compendia voces.

Idem non longè poſt de iis, qui ſub *Libra* naſcuntur;

Hinc etiam Legum tabulas, & condita Jura
Noverit, atque NOTIS levibus pendentia verba.

Vetuit tamen poſtea *Juſtinianus* uti *notis* & *ſiglis* in deſcribendis Juris Libris, ut docti quidam notârunt.

De his notis habes Librum, qui *Tyronis* & *Senecæ* nomen præ ſe fert, ſubjectum corpori Inſcriptionum *Gruteri*.

Sextus

Sextus Ælius. Atque hæc juris civilis Portio, nempe jus civile *Flavianum*, & *Ælianum*, itemque Interpretationes Prudentum proditæ e re natâ, quas FORI DISPUTATIONEM appellarunt, ſub *priſcæ Juriſprudentiæ* nomine comprehenduntur. Cum enim ambiguitas aliqua juris occurreret, prudentes viri convenientes, & inter ſe diſputantes occultam legum vim contentionibus vexatam, & è profundo ſuæ obſcuritatis excuſſam exprimebant, tradebantque populo ſenſum a majori parte comprobatum. Ad Diſputationem hanc forenſem adludit *Cicero* de Finibus, Lib. I. 4.—— *An Partus ancillæ ſitne in fructu habendus diſſeretur inter principes civitatis P. Scævolam, M. Manilium? Ab hiſque M. Brutus diſſentiet, quod & acutum genus eſt, & ad uſus civium non inutile: noſque ea ſcripta, reliquaque ejuſdem generis & legimus libenter, & legemus: Hæc, quæ vitam continent omnem, negligentur?*

Seneſcente jam XII. Tabb. jure, vel propter obſcuritatem verborum, & antiquitatis oblivionem, ſenſim dilabente, itemque novis indies negotiis oborientibus, quæ novam legem veterum ſententia minimè comprehenſam poſtulabant; auctoritate populi, vel Senatus, vel utriuſque, variis temporibus, novis legibus, Senatuſconſultis, & Plebiſcitis, vel reddita fuit Lux Decemvirali juri, vel adjectum immutatumve aliquid; quod ſi ſolius Plebis conſenſu Tribuno

buno rogante fieret, PLEBISCITUM appellabatur; ſi Senatus Auctoritate, SENATUSCONSULTUM; quod deinde populi ſuffragio confirmatum LEGIS vim ac nomen obtinebat. PRÆTORES etiam habebant poteſtatem adjuvandi, ſupplendi vel corrigendi jus civile 12. Tabularum, & tam Prætores quam alii Magiſtratus jus ſanciebant, & EDICTA proponebant.

Hæ fuerunt partes juris civilis Romanorum in *Republica libera*; poſt tranſlatum vero imperium in *Auguſtum* per LEGEM REGIAM, duæ aliæ partes acceſſerunt, CONSTITUTIONES PRINCIPUM & RESPONSA PRUDENTUM. Hæ vero conſtitutiones per quingentos annos ab *Auguſto* ad *Juſtinianum* in numerum immenſum excreverant, eaſque duo Privati homines *Gregorius* & *Hermogenes*, ſeu, (ut aliis vocantur) *Gregorianus* & *Hermogenianus*, ſub *Dioclesiano* in duos codices congeſſerunt, qui *Gregorianus* & *Hermogenianus* dicti ſunt; in quibus Conſtitutiones uſque ad *Conſtantinum* continentur. Quum vero hi codices & privatim collecti eſſent, & gentilium tantum Imperatorum reſcripta complecterentur, Chriſtianorum quoque Imperatorum a *Conſtantino M.* uſque ad ſuam ætatem conſtitutiones collegit *Theodoſius Junior*; unde Hic Codex inſcribitur CODEX THEODOSIANUS; cui adjectæ erant NOVELLÆ conſtitutiones *Theodoſii* & Succeſſorum. Poſt Conſtitutiones Principum ſunt RESPONSA PRUDENTUM

ſub

ſub Imperatoribus poſt *Auguſtum*, quæ ſupremam juris ſcripti partem conſtituunt; *Prudentum* enim *Reſponſa* in Repub. libera ſine authoritate publicâ dabantur, & pro *jure non ſcripto* habita ſunt; poſt *Auguſtum* vero, ii ſoli de jure reſpondebant, quibus a Principe conceſſum eſt; eorum vero reſponſa, quæ Judices ſequi tenebantur, partem *juris ſcripti* conſtituunt.

Ex his itaque partibus conſtabat *Jus civile Romanorum* uſque ad *Juſtinianum* Imperatorem, in quo nihil reprehendi potuit præter copiam, quâ laboravit adeo etiam in Rep. libera, ut *Julius Cæſar*, *Cicero*, & *Pompeius* de Jure in ordinem redigendo cogitarent; verum ſub *Imperatoribus*, præter Conſtitutiones, Reſponſa, ſcriptaque Juriſconſultorum in eum numerum excreverant, ut duo millia librorum extarent; moleque ſua Jus Romanum adeo Confuſum erat, ut *Juſtiniano* opus eſſet, qui immenſa veteris Juriſprudentiæ volumina in luculentam erigeret conſonantiam; quod cum ſumma generis humani utilitate feliciter perfecit. Progredimur ergo ad poſtremam Juriſprudentiæ Romanæ Periodum, quam a JUSTINIANI Imperatoris temporibus inchoamus.

Cum animadverteret *Juſtinianus* miſerrimam eſſe Juriſprudentiæ faciem, dum imperium ab hoſtibus liberaret, leges etiam ab obſcuritate ſtuduit eripere; atque ipſo initio imperii ſui ad eas componendas, in-

que faciliorem & breviorem ordinem digerendas miro ardore ſe contulit. Anno Æræ Chriſtianæ DXXVIII. decem viris, inter quos & *Tribonianus* fuit, id dedit negotii, ut ex tribus, qui tum exſtabant Codicibus, *Gregoriano*, *Hermogeniano*, & *Theodoſiano*, conſtitutiones utiliores ſeligerent, eaſque, (reſectis præfationibus, ſuperfluis, & contrariis; & mutatis, quæ eorum temporum foro minus congrua viderentur,) una cum iis, quæ ipſe adhuc edidiſſet, in XII. Libros, & ſub certis Titulis digererent. Hunc Codicem inſequente anno Abſolutum, JUSTINIANEUM vocavit. Hæc prima CODICIS Editio præceſſit omnes alios Juris libros, quos nobis reliquit.

Cum autem veterum Juriſconſultorum volumina eum ad numerum & molem aſcendiſſent, ut Adoleſcentium ſtudium & induſtriam exuperarent, *Juſtinianus*, (ut Juventuti hoc onus allevaret, ſtudiaque a rebus aliquando ſupervacuis, & obſoletis, in iis libris occurrentibus, ad ſola neceſſaria traduceret,) anno Imperii ſui quarto, *Triboniano*, qui Doctrinâ, & gratia apud Imperatorem præcellebat, mandavit, ut ſimul cum aliis inſignioribus Juriſperitis, (quos ipſemet in *Codice* recenſet,) ex veterum Juriſconſultorum libris caperet ea tantum, quæ uſui forent, & ex variorum ſententiis atque particulis pertexeret ſeriem, ex variis quidem deductam Auctoribus, ordine tamen atque ſenſu cohærentem ſibi, maxime-

que

que convenientem, quaſi una mens eſſet, unaque vox, idemque ſonus. Huic autem labori *Juſtinianus* decennium præfinivit; *Tribonianus* vero, ſibi potius ex celeritate gloriam, quam poſteris utilitatem ex operis maturitate pariturus, decennium ad quadriennium contraxit, Volumenque extulit, quod ex varietate rerum in ſe comprehenſarum PANDECTAS; & propter ordinem ad exemplum Edictorum a *Juliano* Juriſconſulto digeſtorum, DIGESTA nuncupavit.

Antequam autem Digeſta *Juſtinianus* emitteret, Libros INSTITUTIONUM quatuor componendos curavit; magnam vero partem ex veteribus *Caii* & *Ulpiani*, *Marcianique* Inſtitutionibus tranſtulit, ut Juventus ab his, veluti a ſimplicioribus Elementis, Juriſprudentiam auſpicaretur. Quibus libris vix aliquid ſuperfuiſſet elegantius, aut ſelectius, niſi recentioris ætatis commenta puriorem veterum contextum corrupiſſent. Has autem INSTITUTIONES Juſtinianus edidit & confirmavit anno Imperii ſui ſeptimo, uno menſe ante editionem atque confirmationem *Digeſtorum*; quibus una cum *Inſtitutionibus* publicam tribuit Auctoritatem, ut, quicquid ibi continetur, pro voce Principis habeatur.

Verum quia de quinquaginta Juris controverſiis variæ veterum Juriſconſultorum diſcrepanteſque prodierant Sententiæ, ne ſuper his mentes judicum incerto

certo jure jactarentur, eas diſſenſiones compoſuit *Juſtinianus* quinquaginta Conſtitutionibus ſingularum Controverſiarum definitiones continentibus, quas Codici ſuo inſertas per titulos diſtribuit, eodemque tempore priorem Codicis editionem emendavit, novamque protulit auctiorem, & emendatiorem, quam ſolam publica Auctoritate munivit, abrogata priori; Hanc vero poſteriorem editionem, ut a priori diſtingueret, CODICEM REPETITÆ PRÆLECTIONIS appellavit.

Poſt editum Codicem, reliquo Imperii tempore varias Conſtitutiones edidit, novum jus afferentes, quæ vel ob id, vel quod poſt abſolutum corpus juris prodierant, NOVELLÆ appellatæ ſunt; eæque ſparſæ prius, utpote oblatâ occaſione conditæ, in unum volumen coierunt Anno Chriſt. DLXVI. & Imperii *Juſtinianæi* XXXIX. qui vitæ ſuæ fuit extremus.

Si quis vero uberiorem & accuratiorem Juris Civilis Hiſtoriam perlegere voluerit, adeat *Gravinam*, *Heineccium*, *Ferrierium*, alioſque, qui de Juris Civilis origine & progreſſu copioſius diſſeruerunt.

PROOEMIUM
DE
CONFIRMATIONE INSTITUTIONUM.

IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI.

IMPERATOR, CÆSAR FLAVIVS IVSTINIANVS, ALEMANICVS, GOTTHICVS, FRANCICVS, GERMANICVS, ANTICVS, ALANICVS, VANDALICVS, AFRICANVS, PIVS, FELIX, INCLYTVS, VICTOR AC TRIVMPHATOR SEMPER AVGVSTVS cupidæ Legum Juventuti S.

Imperatoriam Majeſtatem non ſolum armis decoratam, ſed etiam legibus oportet eſſe armatam; ut utrumque tempus & bel-

IMPERATOR] Hoc nomine etſi appellantur omnes exercitus Ductores, propriè tamen id tribui ſolebat iis, qui re bene geſta hoc honoris titulo acclamatione militum, vel Decreto Senatus decorati eſſent. Poſt occupatam Rempublicam perpetuum Principis Prænomen eſſe cœpit ex s. c. Nam præponebant Imperatoris nomen nominibus ſuis, non, ut olim, poſtponebant. Exempli causâ, non hoc modo C. IVLIVS DIVI. F. AVGVSTVS IMPERATOR, ſed hoc, IMPERATOR C. IVLIVS DIVI F. CÆSAR OCTAVIANVS AVGVSTVS. Sed tum quoque jam imperium adepti, quoties per ſe, aut per legatos inſignem aliquam victoriam adepti erant, IMPERATORVM nomen adſumebant. Et ſic Auguſtus nomen Imperatoris ſemel ac vicies pepererat, ut quo anno mortuus eſt, vocaretur IMP. CÆSAR DIVI F. AVGVSTVS COS. XIII. TRIB. POT. XXXVII. IMP. XXI. P. P.

ALEMANICVS, GOTTHICVS &c.] Agnomina a devictis aut bello laceſſitis gentibus ducta. Omnes hæ gentes notæ ſunt præter ANTICAM; verum non ANTICVM ſed PONTICVM legendum eſſe recte monuit SPANHEMIVS. *Lazos* enim, *Abaſgos*, & *Tzanos* ad *Pontum Euxinum* ſubegerat.

PIVS] Primus hoc cognomen obtinuit *Antoninus Hadriani* Succeſſor, inde ad alios deſcendit.

FELIX] Uſurpavit hoc cognomen *Commodus*, quem plerique Succeſſores imitati appellationem hanc IVSTINIANO tradiderunt.

lorum & pacis rectè poſſit gubernari: & Princeps Romanus non ſolum in hoſtilibus præliis victor exiſtat, ſed etiam per legitimos tramites calumniantium iniquitates expellat; & fiat tam juris religioſiſſimus, quam victis hoſtibus Triumphator.

1. Quorum utramque viam cum ſummis vigiliis, ſummaque providentia, annuente Deo, perfecimus. Et bellicos quidem ſudores noſtros, *Barbaricæ* gentes ſub juga noſtra redactæ cognoſcunt: & tam *Africa*, quam aliæ innumeræ Provinciæ poſt tanta temporum ſpatia, noſtris victoriis a cœleſti numine præſtitis, iterum ditioni Romanæ, noſtroque addita imperio proteſtantur. Omnes vero populi legibus, tam a nobis promulgatis, quam compoſitis reguntur.

2. Et cum ſacratiſſimas conſtitutiones antea confuſas in luculentam ereximus conſonantiam, tunc noſtram extendimus curam ad immenſa veteris prudentiæ volumina, & opus deſperatum quaſi per medium profundum euntes cœleſti favore jam adimplevimus.

3. Cumque hoc, Deo propitio, peractum eſt, *Triboniano* viro magnifico, Magiſtro & Exquæſtore ſacri Palatii noſtri & Exconſule nec non *Theophilo* & *Dorotheo*, Viris illuſtribus, Anteceſſoribus, (quorum omnium ſolertiam, & legum Scientiam, & circa noſtras juſſiones fidem jam ex multis rerum argumentis accepimus,) convocatis, mandavimus ſpecialiter, ut ipſi noſtrâ auctoritate, noſtriſque ſuaſionibus Inſtitutiones componerent: ut liceat vobis prima legum cunabula non ab antiquis fabulis diſcere,

Calumniantium] Calumnia eſt improbitas quæ in judiciis verſatur. Cic. 2. de Rep. —— *Ut Carneadi reſpondeatis, qui ſæpe optimas cauſas ingenii CALVMNIA ludificari ſolet.*

Tunc noſtram extendimus curam] De jure civili in artem redigendo, & diſperſa juriſprudentiâ in unum veluti corpus compingendâ *Ciceronem, Cn. Pompeium*, & *Julium Cæſarem* olim cogitaſſe ferunt.

Per medium profundum] Per medias difficultates. Liv. Lib. 31. Cap. 1. *Provideo animo in vaſtiorem me altitudinem, ac velut profundum invehi.*

Exquæſtore] Quæſtor ætate *Juſtiniani* is erat, quem noſtra ætas Cancellarium vocat, ad quem cura legum & juris pertinet. Exquæſtores & Exconſules a *Juſtiniano* dicuntur, qui a Latinis Quæſtorii & Conſulares.

ſed

ſed ab Imperiali ſplendore appetere: & tam aures, quam animi veſtri nihil inutile, nihilque perperam poſitum, ſed quod in ipſis rerum obtineat argumentis, accipiant. Et quod priore tempore vix poſt quadriennium prioribus contingebat, ut tunc Conſtitutiones Imperatorias legerent, hoc vos a primordio ingrediamini, digni tanto honore, tantaque reperti felicitate, ut & initium vobis, & finis legum eruditionis a voce Principali procedat.

4. Igitur poſt Libros quinquaginta Digeſtorum, ſeu Pandectarum, in quibus omne jus antiquum collectum eſt, quod per eundem Virum excelſum Tribonianum, nec non cæteros viros illuſtres & facundiſſimos conſecimus, in quatuor Libros eaſdem Inſtitutiones partiri juſſimus, ut ſint totius legitimæ Scientiæ prima Elementa.

5. In quibus breviter expoſitum eſt, & quod antea obtinebat, & quod poſtea deſuetudine inumbratum Imperiali remedio illuminatum eſt.

6. Quas ex omnibus Antiquorum Inſtitutionibus, & præcipuè ex Commentariis *Caii* noſtri, tam Inſtitutionum quam rerum quotidianarum, aliiſque multis Commentariis compoſitas, cum tres viri prudentes prædicti nobis obtulerunt, & legimus & recognovimus, & pleniſſimum noſtrarum Conſtitutionum robur eis accommodavimus.

7. Summa itaque ope & alacri ſtudio has leges noſtras accipite, & voſmetipſos ſic eruditos oſtendite, ut ſpes vos pulcherrima

Digeſtorum] *Digerere* eſt propriè ordinare dividendo, quo verbo uſus eſt *Cicero*, cum egit de jure civili tractando, de Orat. cum inquit, *Si quis omne jus Civile in genera DIGERAT, quæ perpauca ſunt.* Et in Verr.—*Habeo, & iſtius Patris ejus accepi tabulas, quas diligentiſſimè legi, atque DIGESSI.*

Pandectarum] Pandectæ παρὰ τὸ πᾶν δέχεσθαι, quod omnis generis leges complectantur.

Recognovimus] Id eſt, Corrigendi cauſa diligenter & attentè legimus: Cic. pro Balbo. Cap. 5. *Nos Cn. Pompeii Judicium de conſilii Sententia pronunciatum RECOGNOSCEMVS.*

Summa ope & alacri ſtudio] Epilogus exhortatorius; ut in ſuaſoriis uſitatum, a ſpe & expectatione præmiorum. Cic. 1. de Orat. 8. *Pergite, ut facitis, Adoleſcentes, atque in id ſtudium, in quo eſtis, incumbite, ut & vobis honori, & amicis utilitati, & Reipublicæ emolumento eſſe poſſitis.*

foveat, toto legitimo opere perfecto, posse etiam nostram Rempublicam in partibus ejus vobis credendis gubernari. D. CP. XI. Kalend. Decemb. D. IVSTINIANO PP. A. III. COS.

D. CP. &c. Id est, Data Constantinopoli XI. Kalendas Decembris, Domino Justiniano perpetuo Augusto tertium Consule.

Hic loci non incommode videtur exponendum, qualis ordo ratioque olim fuerit Studiorum Juridicorum apud Romanos.

A Bellorum Punicorum temporibus, quibus primum Roma elegantioribus Literis, optimarumque artium studiis honorem habere cœpit, Adolescentes primos annos dabant Græcis Literis, adeoque Grammaticos, Rhetores, Philosophos, audiebant. Hinc sumptâ virili toga sese ad forensem præparabant Eloquentiam, & a Viro quodam illustri in forum deducebantur, quod fiebat non sine solemnitate, & ut deducendi in forum officium frequens haberent Tirones, dies eligebatur *Togæ puræ* Dandæ; simul advocabatur Clientium turba, quæ Adolescentem frequens comitaretur. Hinc Ovid. Lib. III. Fast. v. 787.

Ergo ut Tironem celebrare frequentia posset,
Visa Dies DANDÆ non aliena TOGÆ.

Aliquando *Athenas, Rhodum, Mitylenen, Massiliam* studiorum causa secedebant, ne Urbanis negotiis distraherentur. Quin & si stipendia facerent, ne in castris quidem sese ab honestioribus studiis divelli patiebantur. Qui se Jurisprudentiæ consecraverant id in primis dabant operam, ne Philosophiâ destituti hæc sacra attingerent: His porro instructi præsidiis Jurisconsulto cuidam celebriori sese adjungebant, ut quid responderent, quas cautiones, Actiones, Exceptiones, Interdicta, in quavis causâ commendarent, quibus rationibus consilia sua firmarent, audirent coram; eaque sibi omnia in futuros usus enotarent. Ita denique perpolitos, exercitatosque juvenes nihil prohibebat, quo minus Respondendi de jure facerent Periculum. Professi vero Jurisconsultos, & in foro obambulabant, ut consulturis esset sui copia, & si eximia quædam Prudentiæ consultatoriæ specimina dedissent, limina sua sub ipsum Galli cantum obsideri videbant a Clientibus, quibus ipsi responsa ex solio, tanquam ex Tripode Oracula, fundebant. At istorum responsorum tum nondum erat tanta Auctoritas, ut vel Judices obstringerent, vel dicendo non sæpe everterentur ab Oratoribus; Quæ omnia aliter se cœperunt habere, ex quo certis tantum Jurisprudentibus facultas ab *Augusto* data est de Jure respondendi, impositaque judicibus necessitas, ut non recederent ab eorum Sententiis.

ELEMENTA JURIS CIVILIS

SECUNDUM

METHODUM ET SERIEM

Institutionum *JUSTINIANI.*

TIT. I.

De Justitia & Jure.

ITA videntur Jura populi Romani posse tradi commodissimè, si primo levi ac simplici via, post deinde diligentissima, atque exactissima Interpretatione singula tradantur; alioqui si statim ab initio rudem adhuc, & infirmum animum studiosi multitudine ac varietate rerum oneraverimus, duorum alterum, aut desertorem studiorum efficiemus, aut cum magno labore, sæpe etiam cum diffidentia, quæ plerumque juvenes avertit, serius ad id perducemus, ad quod leviore via ductus,

Levi ac simplici via] Quinct. Lib. 1. cap. 2. *Ut vascula oris angusti superfusam humoris copiam respuunt; sensim autem influentibus vel etiam instillatis complentur: sic animi Puerorum quantum accipere possint videndum est. Nam majora intellectu, velut parum aptos ad percipiendum animos non subibunt.* Idem in Procœmio Lib. 8.——*Incipientibus brevius ac simplicius tradi præcepta magis convenit. Aut enim difficultate institutionis tam numerosæ atque perplexæ deterreri solent; aut eo tempore, quo præcipuè alenda ingenia, atque indulgentiâ quadam enutrienda sunt, asperiorum tractatu rerum atteruntur.*

Cum diffidentia] Cic. in Orat. Cap. 1. *Vereor, ne tardem studia multorum, qui desperatione debilitati experiri id nolunt, quod assequi se posse diffidant.*

fine

ſine magno labore, & ſine ulla diffidentia maturius perduci potuiſſet.

1. Juſtitia eſt conſtans & perpetua voluntas jus ſuum cuique tribuendi. Juſtitia vero quandoque eſt attributum *Actionum*, quandoque *Perſonarum*. Juſtitia *perſonarum* eſt Studium voluntatis noſtræ juſtitiam actionum ritè exercendi; Juſtitia vero *Actionum* eſt congruentia legis & actionis erga alium exercendæ; adeo ut juſti hominis non paucæ poſſint eſſe actiones injuſtæ, & vice verſa. Receptiſſima vero eſt Diviſio Juſtitiæ in *Univerſalem* & *particularem*. *Illa* dicitur, quando quodcunque officium exercetur erga alios, etiam quod per vim, aut intentatâ in foro actione exigi non poterat; vel quæ officia præſtat non niſi *jure imperfecto* alteri debita, ut liberalitatis, Miſericordiæ, Gratitudinis. *Hæc* autem eſt, quando alicui potiſſimum exhibentur, quæ ille ſuo jure, ſive *jure perfecto* poſtulare poterat, ut in contractibus, emptionibus, Sponſionibus. Juſtitia rurſus dividi ſolet in *diſtributivam* & *commutativam*, vel ſecundum Grotium in *Rectoriam* & *Æquatoriam*. Illa inter inæquales, hæc inter æquales verſatur. *Rectoriæ* tot ſunt ſpecies, quot Societates in quibus alii imperant, alii parent, & præcipuè reſpicit quod quiſque meretur, ſive id præmium ſit, ſive pœna; ſive honor, ſive onus. *Æquatoriæ* tot ſunt ſpecies, quot ſunt genera officiorum, quæ homo erga hominem, civis erga civem præſtare tenetur & non tam dignitates & merita, præmia & pœnas, quam res in commercium venientes reſpicit.

2. Ut ea felicius in Rep. adminiſtretur, diſcitur Jus, quod eſt Ars boni & æqui, ſive ars Juſtitiæ. Hujus artis cognitio nominatur Juriſprudentia.

3 Juris præcepta quædam generalia ſunt, ut honeſte vivere,

Jus ſuum cuique tribuendi] Cic. 5. de Fin. cap. 23. *Affectio animi ſuum cuique tribuens, quæ Juſtitia dicitur.*

Honeſte vivere] Hoc præcepto vetantur omnia, quæ pugnant cum bonis moribus, & publica honeſtate, etiamſi non expreſsè prohibita. *Eſt aliquid*, inquit Cic. pro Balbo cap. 3. *quod non oporteat, etiamſi licet.* Senec. Troad. v. 334. *Quod non vetat Lex, hoc vetat fieri pudor.*

alterum

alterum non lædere, ſuum cuique tribuere.

4. Poſitiones autem, ſeu ſpecies juris duæ ſunt. Publicum & Privatum. *Publicum* jus eſt, quod ad ſtatum Rei Romanæ potiſſimum ſpectat. *Privatum* eſt, quod ad ſingulorum civium utilitatem pertinet. Utrumque quidem collectum eſt ex præceptis naturalibus, Gentium & Civilibus, ſed Privatum tantum perſequitur Juſtinianus in Inſtitutionibus.

Alterum non lædere, ſuum cuique tribuere] Cic. Lib. 1. de Offic. cap. 5. *Juſtitiæ primum munus eſt, ut ne cui quis noceat, deinde ut communibus utatur pro communibus, privatis, ut ſuis.*

Poſitiones autem ſeu ſpecies juris duæ ſunt.] Demoſthen. in Timocratem. Ἐστιν δύο εἴδη, περὶ ὧν εἰσὶν οἱ νόμοι κατὰ πάσας τὰς πόλεις· ὧν τὸ μὲν ἔστιν ὅτ' ὧν χρώμεθα ἀλλήλοις, καὶ συναλλάττομεν, καὶ περὶ τῶν ἰδίων, ἃ χρὴ ποιεῖν ἑλομένους, καὶ ζῶμεν ὅλως τὰ πρὸς ἡμᾶς αὐτούς; —— τὸ δ' ὃν τρόπον δεῖ τὸν κοινῷ τ' πόλεως ἕνα ἕκαστον ἡμῶν χρῆσθαι, καὶ πολιτεύεσθαι, καὶ κήδεσθαι τῆς πόλεως. —— *Duæ ſunt poſitiones, de quibus leges apud omnes civitates conſtituunt; prior eſt, qua convivimus, contrahimuſque mutuò, ac de iis ſcilicet, quæ privatim facienda ſunt, decernimus, vivimuſque plane nobis ipſis;* —— *Altera, quemadmodum quiſque re publicâ uti debeat, & aut civem ſe præſtare, aut Magiſtratum.* —— Plin. Lib. VIII. Epiſt. 14. *Cum ſis peritiſſimus & privati juris & publici, cujus pars Senatorium eſt.*

Rei Romanæ] i. e. Rempublicam Romanam. Virgil. Æneid. Lib. VI. v. 857.

Hic REM ROMANAM magno turbante tumultu
Siſtet eques. ——

Et alibi —— *Poſtquam RES ASIÆ, Priamique evertere gentem*
Immeritam viſum ſuperis.

Sed privatum tantum] Juris publici tractatio difficilior atque ſublimior Juſtiniano viſa eſt, quam ut Tironibus proponi debeat. Cæterum ut illud obiter moneam, apparet ex hac juris diviſione, itemque ex Juriſprudentiæ definitione Antonium apud Ciceronem Lib. 1. de Orat. 48. non Juriſconſultum ſed leguleium deſcribere, *qui legum & conſuetudinis ejus, qua PRIVATI in civitate utuntur, & ad reſpondendum, & ad agendum, & ad cavendum peritus ſit.* Præſtantiſſimam ſcilicet hujus artis partem, juris publici ſcientiam conſultò præteriit, Juriſconſultorum gloriæ ſubinvidens, & iniquè de hac ſcientiâ judicans.

TIT. II.

TIT. II.

De Jure Naturali, Gentium, & Civili.

1. Jus naturale generatim definitur, quod natura omnia Animalia docuit. Sed hoc minus propriè dicitur, cum jus & injuria non cadant in Bruta, quandoquidem ſenſu carent.

2. Propriè dictum JUS NATURALE eſt, quod natura omnes homines docuit, conditum a Deo, quo ſpectant Religio erga Deum; ut Parentibus & Patriæ pareamus; Defenſio vitæ &c.

3. JUS GENTIUM eſt, quod naturalis ratio inter omnes fere Gentes conſtituit; ſive eſt ipſum jus naturale vitæ hominis ſociali, negotiiſque Societatum, atque integrarum gentium adplicatum.

Sed hoc minus propriè dicitur] Juris propriè capax non eſt, niſi natura præceptis utens generalibus, quod recte vidit Heſiodus Op. & Dier. v. 276.

Τὸν δὲ γὰρ ἀνθρώποισι νόμον διέταξε Κρονίων,
Ἰχθύσι μὲν, καὶ θηρσὶ, καὶ οἰωνοῖς πετεηνοῖς,
Ἐσθέμεν ἀλλήλους· ἐπεὶ οὐ δίκη ἔστι μετ' αὐτῶν,
Ἀνθρώποισι δ' ἔδωκε δίκην, ἣ πολλὸν ἀρίστη.

Namque hanc hominibus legem poſuit Saturnius,
Piſcibus quidem, & feris, & avibus volucribus
Se mutuo ut devorent, quandoquidem juſtitia carent;
Hominibus autem dedit JVSTITIAM, quæ multo optima eſt.

Cic. Lib. 1. de Offic. *In equis, in leonibus juſtitiam non dicimus.* Plut. in vita Cat. Majoris. Νόμῳ μὲν γὰρ, καὶ δικαίῳ πρὸς ἀνθρώπους μόνον χρῆσθαι πεφύκαμεν.——*Lege & juſtitia adverſus homines tantum naturâ utimur.*
Juv. Sat. 15. v. 142.

——*Venerabile ſoli*
Sortiti ingenium, divinorumque capaces,
Atque exercendis capiendiſque artibus apti,
Senſum è cœleſti demiſſum traximus arce,
Cujus egent prona, & terram ſpectantia. Mundi
Principio indulſit Communis conditor illis
Tantum ANIMAS, nobis ANIMVM quoque, mutuus ut nos
Affectus petere auxilium, & præſtare juberet,
Diſperſos trahere in populum &c.——

4. Ex

4. Ex hoc jure introducta ſunt bella, diſcretæ gentes, regna condita, Agris termini poſiti, ædificia collocata, commercium, manumiſſiones, & obligationes inſtitutæ, exceptis quibuſdam obligationibus quæ jure civili introductæ ſunt.

5. Et hoc quidem ſtrictè & proprie dictum eſt jus gentium, quod alias etiam latius pro ipſo jure naturæ accipitur; uti contrà jus naturæ nobis propriè dictum, alibi jus gentium appellatur. Hinc Diſtinctio in jus gentium primævum & ſecundarium.

6. Jvs CIVILE eſt, quod quiſque Populus pro ſua Majeſtate, hoc eſt, ſumma poteſtate, ſibi conſtituit. Idque nec in totum a naturali recedit, nec per omnia ei ſervit, ſed ei vel addit quid, vel detrahit. Jus quidem civile ex unaquaque civitate appellatur;

Agris termini poſiti.] Solennem terminorum inter vicinos ponendorum ritum *Siculus Flaccus* explicat his verbis.

Cum enim TERMINOS DISPONERENT, ipſos quidem lapides in ſolidam terram conlocabant proximè ea loca, quibus foſſis factis defixuri eos erant; unguento velaminibuſque & coronis eos coronabant: in foſſis autem quibus poſituri eos erant, ſacrificio facto, hoſtiaque immaculata cæſa, facibus ardentibus in foſſis coopertis ſanguinem inſtillabant, eoque Thura, & fruges jactabant: favos quoque & vinum, aliaque quibus conſuetudo eſt TERMINIS ſacrum fieri, in foſſâ adjiciebant; conſumptiſque omnibus dapibus igne, ſuper calentes reliquias lapides conlocabant, atque ita diligenti curâ confirmabant, adjectis etiam quibuſdam ſaxorum fragminibus circumcalcabant, quo firmius ſtarent. Tale ergo Sacrificium Domini, inter quos FINES dirimebantur, faciebant. Unde Lux datur hiſce Ovidii verſibus Lib. 2. Faſt.

——*Solito celebretur honore*
Separat indicio qui Deus arva ſuo.
TERMINE, ſive LAPIS, ſive es defoſſus in agro
Stipes, ab antiquis Tu quoque numen habes.
TE DVO DIVERSA DOMINI DE PARTE CORONANT,
Binaque ſerta Tibi, binaque liba ferunt.

Et alibi. —— *Omnis erit ſine Te litigioſus Ager.*
Juv. Sat. XVI. v. 37.
Improbus aut campum mihi ſi Vicinus ademit,
Aut SACRVM effodit medio de limite SAXVM,
Quod mea cum vetulo coluit puls annua libo.
Tibull. Eleg. Lib. 1.
——*Non fixus in agris,*
Qui REGERET certis finibus arva, LAPIS.

Cum veteres *Cererem Legiferam*, & ſacra ejus *Theſmophoria* dixerunt; hoc ſignificabant, ex agrorum diviſione extitiſſe novi cujuſdam juris originem.

veluti Athenienſium, nam ſi quis velit Solonis vel Draconis leges appellare jus civile Athenienſium, non erraverit; ſic enim & jus, quo Romanus populus utitur, jus civile Romanorum appellamus. Sed quoties non addimus nomen, cujus ſit civitatis, jus Romanum ſignificamus; ſicuti cum Poetam dicimus, nec addimus nomen, ſubauditur apud Græcos Homerus, apud Romanos Virgilius.

7. Eſtque vel SCRIPTVM, vel NON SCRIPTVM.

8. SCRIPTVM eſt, quod expreſſa Legiſlatoris voluntate conſtat, quod quidem Romani plerumque ſcribere ſolebant, licet ad ſubſtantiam legis non pertineat Scriptura.

9. Scriptum autem jus Romanum eſt, Lex, Plebiſcitum, Senatuſconſultum, Principum placita, Prætorum Edicta, Reſponſa Prudentum.

10. LEX eſt jus, quod Populus Romanus Senatorio Magiſtratu interrogante, veluti Conſule, conſtituebat. Lex vero minus ſtricte accepta definiatur *Decretum, quo Superior ſibi ſubjectum obli-*

Jus Romanum ſignificamus] De Romani juris excellentiâ diſſerit M. Tullius in perſona Craſſi. Lib. 1. de Orat. cap. 43. & ſeq. Hodie jus Civile Romanorum quaſi gentium quoddam jus commune apud totam ferè Europam obſervatur, utique in quibus cauſis propriæ leges aut conſuetudines deficiunt.

LEX eſt jus] Lex Romanis, liberâ adhuc Republicâ, vocabatur, quam Populus Romanus ſuperiore Magiſtratu rogante conſtituebat. Ejuſmodi magiſtratus ſuperiores, quibus cum populo agendi jus eſſet, præter Reges, Interreges, Dictatores, Conſules, erant Tribuni militum conſulari poteſtate, Cenſores, Prætores. Ab his ergo Magiſtratibus Lex, ſi quâ opus videretur, primo domi SCRIBENDA erat. Quod fiebat adhibitis viris prudentibus & neceſſariis, cum quibus expendere ſolebant, an Lex eſſet e Republicâ, majorumque moribus conveniret. Unde plerumque addita hujuſmodi formula, SI QVID IVS NON FVIT ROGARI, EIVS HAC LEGE NIHIL ESSET ROGATVM. Scripta Lex communicabatur cum Senatu, ſine cujus auctoritate cum populo agere nefas habebatur. Hinc porro legis ſequebatur PROMVLGATIO; Publice enim Lex proponebatur, ut quilibet e populo eam legere, expendere, & ferendane eſſet, an antiquanda ſecum ſtatuere poſſet. Spatium promulgationis erat TRINVNDINVM, ut Lex nova etiam a ruſticâ plebe, quæ ſingulis nundinis rure in urbem veniebat, legi, ponderarique poſſet. Quum tamen ipſis nundinis cum populo agere haud liceret, comitia plerumque in ſequentem diem indicebantur, & his demum omnibus obſervatis, Magiſtratus

POPVLVM

gat, ut ad iſtius præſcriptum actiones ſuas componat. Cujuſlibet legis perfectæ duæ partes ſunt; una, per quam definitur, quid ſit faciendum, quidve omittendum; altera per quam indicatur, quodnam malum ſit ei propoſitum, qui præceptum intermittit, & interdictum facit. Hæc vocatur pars legis *Vindicativa*, illa *Definitiva*. *Diſpenſatio* legem vel legis partem pro tempore abrogat; *Æquitas* ejus rigorem minuit, & mentem Legiſlatoris, magis quam literam legis reſpicit.

POPVLVM IVRE ROGASSE, POPVLVSQVE IVRE SCIVISSE dicebatur. Lex ipſa ferebatur in Comitiis, olim in *Curiatis*, poſtea & *Centuriatis*, & *Tributis*, ad quæ ubi populus in *Campum Martium*, vel in Comitium ad Roſtra confluxiſſet, Præco primum legem RECITABAT, dein is plerumque, qui rogaturus erat, eandem SVADEBAT, quod & alii nonnunquam faciebant; Nec deerant, qui DISSVADERENT, quod cum Tribuni Plebis, tum etiam privati, ſi quibus a Magiſtratu concio dabatur, facere poterant. Nonnunquam & ii ipſi, qui legem rogaturi erant, eam diſſuadebant, ſi fortè non ex ſuâ, ſed Senatus Sententiâ legem ferrent. Auditis orationibus, præſentibuſque Sacerdotibus, & divina exponentibus, SITELLA, vel VRNA deferebatur, in quam conjiciebantur Centuriarum nomina. Deinde ſortibus æquatis fiebat SORTITIO, quæque prima Centuria, quæ ſecunda, quæ tertia de ſitella exiiſſet, ea eundem in Suffragiis locum atque ordinem obtinebat. Quæ prima ſorte exierat, prima ferebat Suffragia, atque inde PRÆROGATIVA, proximè ſequentes PRIMO VOCATÆ vocabantur, reliquæ IVRE VOCATÆ. Interim licebat iis, quorum intererat, legi INTERCEDERE. Faciebant id Tribuni plebis ſolenni illo VETO. Faciebant & Conſules vel intercedendo, vel comitiales dies eximendo, vel ſupplicationes decernendo, vel Ferias Latinas indicendo. Faciebant idem & Augures, & Magiſtratus, quorum erat de cœlo ſervare; qui ſi quidquam adverſi viſum auditumque obnunciarent, Comitia impediebantur, reque infectâ diſcedebatur. Si nihil ſiniſtri obnunciabatur, ipſa jam fiebat ROGATIO ſolenni formulâ, VELITIS, IVBEATIS QVIRITES HOC ITA VTI DIXI, ITA VOS QVIRITES ROGO. Tum addebatur, SI VOBIS VIDETVR, DISCEDITE QVIRITES. Quo facto in ſuam quiſque Centuriam diſcedebat, in qua erat ſuffragium laturus. Facta Diſceſſione ferebantur SVFFRAGIA olim quidem voce, poſt Tabellariam vero legem tabellis, quarum alteri inſcriptum V. R. Uti rogas, alteri A. i.e. Antiqua probo, vel Antiquo. Diſtribuebantur hæ Tabulæ per DIRIBITORES, quibus nongenti cuſtodes adſtabant, daturi operam, ne qua fraus in diſtribuendis tabellis admitteretur. Et exſtructi quidem in Campo Martio erant PONTES centum nongenti tres, totidem ſcilicet, quot numerabantur Centuriæ. Hi nihil aliud erant, quam anguſtæ quædam Subſtructiones opere ſubitaneo è tabulatis ſolo editis adornatæ, per quas iis, qui ſuffragia ferrent, viritim eſſet tranſeundum. His ergo in capite Pontium miniſtrabantur binæ iſtæ Tabellæ, quarum alter-

II. PLEBISCITVM eſt quod Plebs (Lege Horatia & Hortenſia hanc poteſtatem conſecuta) Plebeio Magiſtratu interrogante, veluti Tribuno, conſtituebat. Plebs autem a Populo eo differt, quo Species a Genere, vel potius ut *Pars a toto*: nam appellatione populi, Univerſi Cives ſignificantur, connumeratis etiam Patriciis

utram in extremâ parte ciſtulæ immittebant. Reverſi e ponte intra Cancellos concludebantur, quos Ovilia vocat Lucanus Pharſal. II. v. 197.

——*Et miſeræ maculavit OVILIA Romæ.*

Latis hoc ordine Suffragiis DIREMPTIO fiebat. Numerabantur enim Tabellæ a ſingulis Cuſtodibus, numeruſque earundem punctis notabatur. Inde nata Phraſis, Omne punctum ferre. Hor. de Arte Poet. v. 343.

Omne TVLIT PVNCTVM, qui miſcuit utile dulci.

Si plures ſententiæ legem probaſſent, SCITA vel PERLATA; ſin plures eandem rejeciſſent, ANTIQVATA dicebatur: Si Lex ex diremtione Suffragiorum a populo ſcita vel accepta appareret, tum in æneas incidebatur tabulas, vel publicè populo inſpicienda proponebatur, vel deferebatur ad Ærarium adſervanda. Hinc Ovid. Metam. Lib. I.

——*Nec verba minacia FIXO*
ÆRE legebantur.——

Hinc etiam LEGES FIGERE & REFIGERE pro leges ferre & abrogare. Nomina Leges plerumque accipiebant ab utroque Conſule, e. g. *Lex Ælia Sentia, Fuſia Caninia* &c. Nonnunquam unicum iis cognomen dabatur, ſi a Dictatore, vel Prætore, vel Cenſore latæ eſſent. Addebantur interdum alia Cognomina a materia legis deſumpta, veluti *Lex Cornelia Sumptuaria, Lex Caſſia Agraria* &c.

PLEBISCITVM eſt quod Plebs &c.] Cum Plebiſcita eodem ferè ritu, quo ipſæ leges conderentur, differentiæ tantum legum & Plebiſcitorum erunt notandæ.—*Lex* ergo a ſuperiore Magiſtratu, *Plebiſcitum* a Plebeio, i. e. Tribuno Plebis rogabatur—*Lex* ſuffragante univerſo Populo, *Plebiſcitum* ſuffragante plebe condebatur—*Leges* in campo Martio ferebantur & Comitio; *Plebiſcita* non in eo tantum, ſed & nonnunquam in Circo Flaminio, aut in Capitolio, maximè vero in Comitio, ubi ex Roſtris Tribuni ad plebem concionabantur. *Leges* in Comitiis Centuriatis & Tributis, *Plebiſcita* in ſolis Tributis condebantur, ubi non opus erat vel SCto vel Auſpiciis. Quicquid ergo tributim plebs ita juſſiſſet, id ratum habebatur, & deinde tabulis inſcriptum Ædilibus Plebeiis in aliqua æde cuſtodiendum dabatur.

Quamvis vero Plebiſcita non ab univerſo populo, ſed a ſola plebe condeſcentur: tamen non plebem tantum, ſed & Patricios obligabant. Id quod poſt multas Patriciorum tergiverſationes cautum eſt Lege primum *Horatia* Anno v. c. CCCVI; deinde *Publilia* Anno CCCCXIV, lata a *Q. Publilio* Dictatore; ac denique cum plebs anno CCCCLXVI. in Janiculum ſeceſſiſſet, lege *Hortenſia* lata a *Q. Hortenſio* Dictatore.

&

& Senatoribus. Plebis autem appellatione, ſine Patriciis & Senatoribus cæteri cives ſignificantur.

12. SENATVSCONSVLTVM eſt, quod Senatus (permittente populo vel Principe) jubet atque conſtituit.

SENATVSCONSVLTVM eſt &c.] Veteres, (qua erant Religione atque honeſtate,) ut aberrantes animi præſentia numinis ad ſaniorem ſententiam ducerentur, Senatum in loco Sacro, auſpiciiſque dicato, cogere conſueverunt. Senatui autem habendo ſtata erant præfinitaque tempora, nempe Kalendis, Nonis, Idibus; exemtis diebus Comitialibus, in quibus cum populo agebatur, quo tempore per Legem Pupiam non licebat haberi Senatum, ne Patres a Suffragiis ferendis avocarentur. At menſe Februario toto, Senatus poſtulatis Provincialium, & Legationibus audiendis cogebatur Lege Gabiniâ. Cum Senatores ſtatis temporibus conveniebant, LEGITIMVS Senatus dicebatur; INDICTVS autem, cum extra ordinem, ac præter conſtituta tempora in re trepida, ad grave aliquod negotium explicandum, a majori Magiſtratu Senatus indicebatur. Vocabatur autem Senatus a majori Magiſtratu, qui eſſet in Urbe, nempe a Dictatore, quando in magno Reipublicæ diſcrimine creabatur; vel ab eo Conſule, penes quem faſces eſſent illo menſe. Conſulibus autem abſentibus, a Prætore, qui ſecundum Conſulem potiorem obtinebat in Urbe locum, ita ut in Conſulis locum eo abſente ſuccederet; eademque ratione, dum rebus præeſſent Decemviri, vel Tribuni militares, vel Triumviri Reipublicæ conſtituendæ cauſa creati, per hos haberi Senatum oportebat. Porro qui Senatum habebat, is Jure ſuo REFEREBAT; ac ſi detrectaret, eas partes Tribunus Plebis ſuſcipiebat, cui & jus erat aut addere quod viſum erat relationi Conſulis, aut eam perſequi, aut novam exordiri. Sententiam autem primo rogabantur ante Comitia quidem Princeps Senatus, poſt Comitia vero Coſſ-Deſignati, & eorum is, qui prior fuerat renunciatus. Secundum hos, ii qui Conſulibus rogantibus viderentur; modo ne gradus Magiſtratuum negligerent, ac ne Prætorium Conſulari, Ædilitium Prætorio, Tribunitium Ædilitio præferrent. Atque is erat rogandi ordo conſtantior, licet hac in re in Senatu nonnunquam variatum fuit. Moris autem erat, ut quem ordinem rogandi Conſul initio Magiſtratus inſtituiſſet, eum toto anno teneret: unde novum fuit in C. Cæſare, ut cum conſueviſſet a Craſſo initium rogandi facere, poſt junctam affinitatem, honorem hunc tranſtulerit in Pompeium, quod tradit Suetonius. Poſt rogationem a Conſule, aut alio ex majoribus Magiſtratibus factam, ſententiam dicebant ſtantes, eâ libertate, ut non modo ſermones interponere poſſent alienos, ſed novos inſtituere, atque ad veſperam producere: ita ut cum non liceret, neque ante Ortum Solis, neque ſub occaſum, Senatuſconſultum condere, qui moram negotiis vellent injicere, diem dicendo eximerent; quod ſæpe Marcus Cato contra deteriores, & Pub. Clodius adverſus meliores feciſſe feruntur. Si Senator plures res, diverſaque capita una Sententia complecteretur, tum ab eo poſtulabatur ut DIVIDERET Sententiam, ac de ſingulis rebus ſeorſum referret. Neque ei, qui Diviſionem poſtulabat, oratione longâ erat utendum, aut conſurgendum: ſatiſque

ſatiſque erat, ſi imperaſſet, DIVIDE. Dictam autem Sententiam Conſulis erat pronunciare; ut in quam vellent partem Senatores diſcederent, quo s. c. fieret; eaque in Senatu Conſulis erat Auctoritas, ut liceret ei dictas ſententias vel pronunciare, vel ſupprimere. Hinc Cæſar libro primo de bello civili ſcribit.——*Lentulus Conſul ſententiam Calidii pronunciaturum ſe omnino negavit.* Sententia vero hac exordiri conſuevit formula. QVOD VERBA FACTA SVNT DE LITERIS, hac autem concludere, DE EA RE ITA CENSEO. Integræ ejuſmodi Senatorum Sententiæ extant apud Cic. in Philipp. & apud Livium paſſim. Ubi Conſul Sententiam pronunciaſſet, ut probantium, vel rejicientium judicia cognoſceret, Senatum diſpertiebat his verbis. QVI HÆC SENTITIS, IN HANC PARTEM; QVI ALIA OMNIA, IN ILLAM ITE. Nam ominis cauſa refugiebant pronunciare CONTRARIVM, unde id per hanc formulam ALIA OMNIA exprimebant. Quæ verba lege præſcripta explicat Plin. Lib. 8 Ep. 14. Itaque Senatores mutabant locum, & eo concedebant, ubi recitata erat Sententia, quam quiſque comprobarat. In eam autem Sententiam s. c. condebatur, in quam frequentior numerus Senatorum diſceſſerat. Et ſi de re levioris momenti, aut minimè dubiâ Conſul referret, ne tempus in exquirendis ſententiis duceretur, juſſu Conſulis, in eam quam ille pronunciaſſet Sententiam tacite diſcedebant: idque vocabatur s. c. per DISCESSIONEM. Quamvis enim ad omne s. c. Diſceſſio fieret, tamen ſi ſingularum ſententiarum recitatio Diſceſſionem non præceſſiſſet, diſcriminis gratia s. c. per DISCESSIONEM appellabatur, quod ſcilicet non ORE, ſed PEDIBVS tantum ſententia ferretur, iiſque judicium animi ſignificaretur. Hinc diſtinctio inter VERBO ADSENTIRI, & PEDIBVS IRE IN ALTERIVS SENTENTIAM. Utramque loquutionem jungit Liv. 27. 34. *L. Veturius & Licinius Cenſores eum tonderi, & ſquallorem deponere, & in Senatum venire, fungique aliis publicis muneribus coegerunt, ſed tum quoque aut VERBO ADSENTIEBATVR, aut PEDIBVS IN SENTENTIAM IBAT.*

De numero Senatorum ad s. c. faciendum neceſſario, nihil ex veteribus libris compertum eſt, quod certe auſimus confirmare——Certum vero numerum fuiſſe ad s. c. neceſſarium inde colligitur, quod mos erat, ut quivis Senator, qui s. c. impedire vellet, dicere Conſuli poſſet, NVMERA SENATVM.

Diſceſſione factâ s. c. ſcribebatur, expreſſo nomine illius in cujus ſententiam fiebat, expoſitaque ſummatim re de qua fuerat conſultatum: ut patet ex his veterum Scriptorum ſuperſtitibus exemplis. QVOD M. MARCELLVS COS. VERBA FECIT DE PROVINCIIS: vel MARCVS POMPONIVS CONSVLVIT: vel QVOD VERBA FACTA SVNT DE PHILOSOPHIS ET RHETORIBVS. Scribendo aderant non omnes qui probaſſent, ſed ii, qui majorem ſententiæ recipiendæ operam navâſſent. Senatuſconſulti formula extat in Epiſtola Cœlii ad Ciceronem. Epiſt. ad Famil. Lib. 8. Ep. 7,

S. C. AVCTORITAS. PRIDIE KALEND. OCTOB. IN ÆDE APOLLINIS SCRIBENDO AFFVERVNT L. DOMITIVS CN. F. AHENOBARBVS. Q. CÆCILIVS Q. F. METELLVS PIVS SCIPIO, L. VILLIVS L. F. POM. ANNALIS, C. SEPTIMIVS T. F. QVIRINA, C. SCRIBONIVS C. F. POP. CVRIO, L. ATTEIVS L. F. AN. CAPITO, M. OPPIVS M. F. TERENTINA. QVOD M. MARCELLVS COS. V. F. DE PROVINCIIS D. E. R. I. C. SENATVM EXISTIMARE NEMINEM EORVM,

QVI

QVI POTESTATEM HABENT INTERCEDENDI, IMPEDIENDI MORAM AFFERRE OPORTERE, QVOMINVS DE REPVBLICA QVAMPRIMVM AD SENATVM REFERRI, S. Q. C. FIERI POSSIT, QVI IMPEDIERIT EVM SENATVM EXISTIMARE CONTRA REMPVBLICAM FECISSE. SI QVIS HVIC S. C. INTERCESSERIT SENATVI PLACERE AVCTORITATEM PERSCRIBI ET DE EA RE AD SENATVM POPVLVMQVE REFERRI. HVIC S. C. INTERCESSIT C. COELIVS, L. VICINIVS. P. CORNELIVS. C. VIBIVS PANSA.

Addebatur & T. Litera, qua ſignificaretur idem & Tribunos plebis cenſuiſſe, ſive non eſſe interceſſum; ideoque s. c. firmum eſſe. Eorum qui aderant nomina s. c. adſcribebantur, dicebanturque AVCTORITATES PERSCRIPTÆ; quia clarorum virorum nomina perſcripta magnam s. c. tribuebant Auctoritatem. Scriptum s. c. initio quidem deferebatur in Ædem Cereris; poſtea vero in Ærarium, ubi leges, & pretioſiſſima quæque urbis aſſervabantur: neque ante ratum erat, quam in ærario conderetur. Qui mos aſſervandi s. c. inſtitutus fuit ab Horatio, Valerioque Coſſ. qui s. c. in Ædem Cereris deferri juſſerunt; ne deinceps, arbitrio Conſulum, ut antea, corrumperentur aut ſubducerentur. Scribendis s. c. operam dabant ſcribæ, niſi quid s. c. ineſſet, quod vulgari minime conveniret: id enim tum Senatoris manu ſcribebatur, quod TACITVM s. c. fuit appellatum. Senatuſconſultis conficiendis impedimento erant Interceſſiones eorum, qui vel eâdem eſſent poteſtate, quâ ii, qui s. c. facere vellent, vel majore. Unde Conſul Conſuli, Prætor Prætori; ac denique Tribuni plebis pro poteſtate ſibi Sacratâ lege tributa, quamvis ex minoribus eſſent Magiſtratibus, obſiſtere poterant omnibus editâ voce VETO; ita ut vel ab uno Tribunorum, quamvis cæteri conſentirent, s. c. impediretur, ac tum Senatus voluntas perſcripta cum nominibus eorum, qui intervenirent, SENATVS AVCTORITAS dicebatur, reſque rejiciebatur ad populum, cujus erat vel Tribunorum Interceſſionem, vel Senatus Auctoritatem comprobare. Quod ſi Senatus cum populo conveniret, tum leges ex s. c. condebantur. Nec tamen, ſi qui temerè intercederent, id eis erat impune; cum enim Interceſſio in rem non eſſet publicam, aut remittere cogebantur eam, aut pœnam aliquando ſubire. Si qua vero de re privata s. c. conſcriberetur, ſæpe Senatus DECRETVM appellabatur, cum id, quo publica negotia comprehendebantur, nunquam Decretum, ſed s. c. diceretur. Factum s. c. recitabatur, ac poſtea dimittebatur Senatus his formulis. P. C. NEMO VOS TENET: vel NIHIL VOS MOROR. P. C. Tandem impetrata concione s. c. populo exhibebatur, ut populi conſenſu Senatus voluntas comprobaretur. Siquidem vix ulla de re Senatus decernere poterat adverſus populi voluntatem. Et cum initio nulla de re liceret ad populum ferri, niſi ex s. c. conſequentibus temporibus per Tribunicias ſeditiones & diuturnas inter plebem & Senatum conflictationes res eò deducta eſt, ut s. c. non niſi adjuncta lege conſiſteret. Eodem ritu etiam ſub Imperatoribus condita ſunt s. c. niſi quod Princeps orationem præmitteret, & Senatores plerumque pedibus irent in Principis Sententiam.

13. CONSTITVTIO

13. CONSTITVTIO PRINCIPIS eſt jus, quod Princeps ſive cognoſcens decernit, ſive epiſtolâ conſtituit, ſive Edicto præcipit, ſive alio quocunque modo jubet atque conſtituit. Nam quodcunque Principi placet ut ſit Lex, Legis habet vigorem.

14. LEGE enim REGIA, qua Populus ei, & in eum omne Imperium ſuum, & poteſtatem contulit, effectum eſt, ut Princeps non tantum leges ferre poſſit, ſed & ut ipſe legibus civilibus ejuſmodi ſit ſolutus. Nec enim iiſdem legibus ut civis privatus poteſt teneri, quas ut Princeps pro Majeſtate ſuâ imperat. Nam imperans & parens ſimul eſſe non poteſt. Legibus ergo Dei, naturæ, adeoque & regni fundamentalibus ſolummodo tenetur.

Cognoſcens decernit] Exemplum Principalis COGNITIONIS habemus apud Plin. Ep. 31. Lib. 6. qua ſe evocatum a Cæſare ad Centumcellas narrat, inductamque cognitionem de Julii Tironis Codicillis, qui falſi dicebantur, cujus criminis rei agebantur ab hæredibus Sempronius Senecio Eques Romanus, & Eurythmus Cæſaris Libertus & Procurator. ——

Hæredes cum Cæſar eſſet in Dacia communiter Epiſtola ſcripta petierant ut ſuſciperet COGNITIONEM. Suſceperat, reverſus diem dixerat, & cum ex hæredibus quidam quaſi reverentia Eurythmi remitterent accuſationem, pulcherrimè dixerat, NEC ILLE POLYCLETVS EST, NEC EGO NERO. Indulſerat tamen petentibus dilationem; cujus tempore exacto, conſederat auditurus. A parte hæredum intraverunt duo: omnino poſtularunt ut omnes hæredes agere cogerentur, cum detuliſſent omnes, aut ſibi quoque deſiſtere permitteretur. Locutus eſt Cæſar ſumma gravitate, ſummâ moderatione, cumque advocatus Senecionis & Eurythmi dixiſſet, ſuſpicionibus relinqui reos niſi audirentur, non curo, inquit, *an iſti ſuſpicionibus relinquantur, Ego relinquor. Dein converſus ad nos* Ἐπίσασθε *quid facere debeamus? Iſti enim queri volunt quod ſibi licuit non accuſare; tum ex Conſilii Sententiâ, juſſit denunciari hæredibus omnibus, aut agerent, aut ſinguli approbarent cauſas non agendi, alioqui ſe vel de calumniâ pronunciaturum.* ——Idem Epiſt. 10. Lib. 7. *Te quoque exiſtimo velle de Vareno & Bithynis reliqua cognoſcere. Acta cauſa hinc a Polyæno, inde a Magio. Finitis Actionibus Cæſar Neutra,* inquit, *pars de morâ queretur; Erit mihi curæ explorare Provinciæ voluntatem.*

LEGE REGIA.] Cum regiæ poteſtatis adfectatio male ceſſerat C. Julio Cæſari, Auguſtus cautius rationes ſuas componebat, regioque ita utebatur imperio, ut vulgus regnari ſe non animadverteret; & Senatus paulatim ſe ad ſervile demittere Obſequium, populuſque Congiariis, Ludis, Muneribus gladiatoriis, Venationibus, ipſaque otii dulcedine delinitus jugum pati cœpit. Ait Dio Caſſius Senatum in Auguſti acta jurâſſe, eumque ſolviſſe legibus, decreviſſe denique ἵνα καὶ αὐτοτελὴς ἅπας, καὶ αὐτοκράτωρ καὶ ἑαυτῦ, καὶ τῶν νόμων, πάντα τε ὅσα βέλοιτο ποιοίη, καὶ πάνθ' ὅσα ἄν μὴ βέλοιτο, μὴ ποιῆται —— *ut ſummo cum jure, omninoque & ſui & legum potens, quæ vellet, faceret, & eorum quæ nollet, faceret nihil.*

De

15. Conſtitutiones Principum autem aliæ ſunt Univerſales, quæ totum populum ei ſubjectum obſtringunt: aliæ perſonales, quas non niſi ad certas perſonas pertinere vult. Nam quod alicui ob meritum indulget, (fortè Privilegium concedens) vel ſi quam pœnam irrogat ſingularem; vel ſi cui ſine exemplo ſubvenit, veluti gratiam faciens damnato ad Supplicium; hæc nec in Exemplum trahuntur, nec perſonam tranſgrediuntur.

De hac lege multæ enatæ ſunt inter eruditos controverſiæ; Res vero ita ſe videtur habuiſſe. Quum Auguſtus omnia inteſtinis feſſa diſſidiis nomine Principis in poteſtatem ſuam recepiſſet; Senatus æquè ac populus ei ſenſim plures honores decrevit, & modo hanc, modo illam τῶ κοινῶ partem detulit. Sic Anno v.c. DCCXXIV. ei conceſſa Tribunicia Poteſtas per omnem vitam, cautumque ut ad Auguſtum provocare jus eſſet, utque ipſe in omnibus judiciis ſuffragium Minervæ ferret. Mox Anno v.c. DCCXXVII. Conſulatu ſeptimo, ſolutus eſt Auguſtus legibus, idque denuo repetitum Anno v.c. DCCXXX. Porro anno v.c. DCCXXXI. eidem undecimum Conſuli permiſſum eſt a Senatu, ut Proconſul ſemper eſſet, liceretque ei, quotieſcunque vellet, ad Senatum referre, denique in Provinciis major eſſet ejus quam Præfectorum Auctoritas. Quin Anno v.c. DCCXXXV. facultatem ei dederunt emendandi omnia ſuo Arbitrio, ac leges, quas vellet, ferendi.

Hæc itaque, aliaque s.c. in gratiam Auguſti ſubindè facta, poſtea repeti conſueverant, quotieſcunque novi Imperatores inchoabant Imperium. Sic de Veſpaſ. Tacit. Hiſt. II. 3.——*Tum Senatus omnia Principibus ſolita Veſpaſiano decrevit.* Omnia ergo illa s.c. non uno eodemque tempore facta, ſæpiuſque deinde repetita, ſimul ſumpta, LEX IMPERII vocari conſueverunt a Juriſconſultis, ut & LEX REGIA; exemplo, ut opinor, veterum Romanorum, qui, Urbe vix natâ, Romulo ſupremam poteſtatem conceſſerant Lege Regiâ, cujus meminit Liv. Lib. XXXIV. 6.

Ad hanc legem alludit Juv. Sat. X. v. 77.

——*Jam pridem, ex quo ſuffragia nulli*
Vendimus, effugit curas. Nam qui dabat olim
Imperium, Faſces, Legiones, omnia, nunc ſe
Continet, atque duas tantum res anxius optat,
Panem & Circenſes.——

Privilegium concedens] Olim Privilegii vocabulum ferè ſemper in deteriorem partem acceptum videtur pro pœna extraordinaria, quæ certæ perſonæ tantum infligebatur. Lex Sacrata æque ac Decemviralis, dum PRIVILEGIA IRROGARI vetuit, pœnas ejuſmodi duriores quibuſdam hominibus extra ordinem infligi prohibuit, quod ex verbo IRROGARI colligas. Hor. Sat. 3. v. 117.

——*Adſit*
Regula peccatis quæ pœnas IRROGET *æquas.*

16. PRÆTORVM EDICTA (ſive IVS HONORARIVM) ſunt jus, quod Prætores, aliive id genus Magiſtratus proponebant, permittente ſcilicet populo Jus Civile per eos adjuvari, ſuppleri, emendari: non tolli aut mutari.

Aſt jam liberâ Republica ſæpius hanc Legem migrabant Tribuni plebis, & quicunque e Civibus ad majorem potentiam adſpiraverant. In Milonis odium Pompeius, in Ciceronis Clodius multa ſtatuerat, quæ a legibus abhorrebant, quæque ipſe Cicero PRIVILEGIA vocat in Orat. pro Domo §. 17. *Vetant Leges Sacratæ, Vetant* 12. *Tabulæ Leges privatis hominibus irrogari, id eſt enim PRIVILEGIVM. Nemo unquam tulit, nihil eſt crudelius, nihil pernicioſius, nihil, quod minus hæc civitas ferre poſſit. Proſcriptionis miſerrimum nomen illud, & omnis Acerbitas Sullani temporis, quid habet, quod maximè ſit inſigne ad memoriam Crudelitatis? Opinor, pœnam in CivesRomanos nominatim SINE IVDICIO conſtitutam. Hanc Vos igitur, Pontifices, judicio atque Auctoritate veſtrâ Tribuno Plebis poteſtatem dabitis, ut proſcribere poſſit quos velit? Quæro enim, Quid ſit aliud proſcribere? VELITIS IVBEATIS, VT MARCVS TVLLIVS IN CIVITATE NE SIT, BONAQVE EIVS VT MEA SINT? Ita enim fecit, etſi aliis verbis tulit. Hoc Plebiſcitum eſt? Hæc Lex? Hæc Rogatio eſt? Hoc vos pati poteſtis? Hoc ferre Civitas, ut ſinguli Cives ſingulis verſibus e civitate tollantur?*

Aſt ſolebant & Beneficia vel certo ſtatui, vel hominum generi conceſſa PRIVILEGIA vocari. Utilia Privilegiorum exempla ſunt rogatio de reditu *M. Tullii*; Lex *Manilia* de imperio *Cn. Pompeii Magni.* Eſt & Privilegium Lex illa quam *T. Ampius*, & *T. Labienus* Tribuni plebis tulerunt, ut *Cn. Pompeius Victor ex Aſia ludis Circenſibus corona aurea & omni cultu triumphantium uteretur; Scenicis autem Prætexta, Coronaque aurea.* Vell. Patercul. Lib. 2. c. 40. Leges hæ perſonales dicuntur PRIVILEGIA, eo quod veteres PRIVA dixerunt, quæ nos ſingula dicimus. Sic (ut legendum eſſe demonſtrat Bentleius) Hor. Art. Poet. v. 60.

Ut ſilvis folia PRIVOS mutantur in annos.

Legem de Privilegiis in XII. Tabulis Decemviros a Græcis accepiſſe conſtat. Hac enim de re Solonis lege cautum eſt, ΜΗΔΕ ΕΠ' ΑΝΔΡΙ ΝΟΜΟΝ ΕΞΕΙΝΑΙ ΘΕΙΝΑΙ, ΕΑΝ ΜΗ ΤΟΝ ΑΥΤΟΝ ΕΠΙ ΠΑΣΙΝ ΑΘΗΝΑΙΟΙΣ, ΕΑΝ ΜΗ ΕΞΑΚΙΣΧΙΛΙΟΙΣ ΔΟΞΗ ΚΡΥΒΔΗΝ ΨΗΦΙΖΟΜΕΝΟΙΣ.

PRÆTORVM EDICTA] Sunt Edicta nihil aliud quam leges, quas in *Tabella dealbata* Prætores initio Magiſtratus propoſuerunt, in quibus admonebant cives, quomodo de ſingulis Controverſiis jus dicturi eſſent in ſuo Magiſtratu. Quæ cum Prætura evaneſcebant, ideoque annua erant; quare Cic. in Verr. Edictum ANNVAM vocat legem. Initio ſane licebat Prætori propoſitum Edictum e re natâ mutare, diverſumque ab eo jus conſtituere, quando uſus poſceret, quod multis fraudibus pandebat viam. Siquidem Prætores, aliique Magiſtratus aut propriam cupiditatem explebant, aut alienam colligebant ambitiosè gratiam, dum ad beneficium, vel injuriam priora mutarent Edicta,

Edicta, & conderent nova. Feciſſe id animadvertimus *C. Verrem.* Is edicto *L. Annio* Hæredi ſecundo *P. Annii Aſellii* condonavit hæreditatem excluſa filia unica hærede a Patre inſtituta. Cic. in Verr. I. 41. De eo Edicto Cic. ibid. Cap. 42. *Ac ſi hoc juris non unius cauſa hominis EDIXISSES, cautius compoſuiſſes.* Idem. Cap. 45. refert ridiculum Edictum propoſuiſſe Verrem in gratiam hæredis *Minucii*, cujus Teſtamentum alioquin jure nullum erat —— *Componit*, inquit, *EDICTVM iis verbis, ut quivis intelligere poſſit, unius hominis causâ conſcriptum eſſe, tantum quod hominem non nominat.*

Ideo *C. Cornelius* Tribunus Plebis Anno v.c. DCLXXXVI. legem tulit, ut Prætores ex Edictis ſuis perpetuis, ſive fixis, jus dicerent; neque eis toto magiſtratûs anno recedere liceret ab eo jure, quo ſe uſuros initio Magiſtratûs civibus denunciaſſent. Fiebat autem, ut aut integra Edicta, aut capita aliquot in ſua poſteriora transferrent, eaque TRANSLATITIA nominata ſunt. Unde Cic. in Verr. —— *Sed in re tam uſitatâ ſatis eſt oſtendere omnes antea jus ita dixiſſe, & hoc vetus Edictum TRANSLATITIVM eſſe.* Ita ipſe Cic. ad Famil. Epiſt. 8. Lib. 3. teſtatur ſe pleraque ex *Appii Pulcri* Edicto iiſdem verbis tranſcripſiſſe in ſuum, & nova quædam addidiſſe de minuendis civitatum ſumptibus, quibus ipſe magnopere delectetur. Fuere ergo in illo Ciceronis Edicto *Cilicico*, quædam TRANSLATITIA, quædam a *Cicerone* DE NOVO addita. Cum Edicta Prætoris in certam juris reddendi normam tranſierunt, id ab aliquibus adeò perplexè traditur, ut vix internoveris diſcrimen inter Edictum perpetuum *Cornelianorum* temporum, & aliud Edictum ADRIANI juſſu digeſtum. Scilicet *Adriani* ævo ex pluribus ſuperiorum Prætorum Edictis, annuis illis [illegible] ſed propter Auctoritatem, & æquitatem eorum TRANSLATITIIS [illegible] fidnam Juriſdictionem verſis, propterea que veterum Juriſconſultorum Interpretatione ornatis, Edictum unum compoſitum eſt, & in plura capita mirâ arte tributum *Adriani* juſſu per *Salvium Julianum* Juriſconſultum, quod PERPETVVM quoque fuit appellatum alio ſenſu, ſcilicet omni poſtea tempore duraturum, ex quo Jus a futuris Prætoribus redderetur.

Quæ de jure dicundo Prætores edicebant, variè quidem pro re ſubjectâ concipiebantur; ut plurimum vero in hæc verba deſinebant, IVDICIVM DABO, vel ACTIONEM DABO. —— Sic Prætor *de negotiis geſtis* edixerat —— SI QVIS NEGOTIA ALTERIVS, SIVE QVIS NEGOTIA, QVÆ CVIVSQVE, CVM IS MORITVR, FVERINT, GESSERIT, IVDICIVM EO NOMINE DABO. Cic. de Leg. Lib. I. *Non ergo a PRÆTORIS EDICTO, ut plerique nunc, neque a* 12. *Tabb. ut ſuperiores, ſed penitus ex intimâ Philoſophiâ hauriendam juris Diſciplinam putas?*

EDICERE etiam dicitur de iis, quæ Privati decernunt, & privatim dicunt; metaphoricè verò ad id transfertur, quod, quaſi publica Auctoritate ſanciatur, in primis ratum eſſe volunt. Sic *Callicles* apud *Plautum* in *Truculento* verum ab ancillis extorquere volens,

EDICO prius, inquit, *ne duplices habeatis*
Linguas, ne ego bilingues vos necem.

Et apud Terent. in Heautont. *Soſtrata Chremetem* alloquens,

Primum hoc te oro, ne quid credas me adverſus Tuum
EDICTVM facere eſſe auſam.

17. RESPONSA PRVDENTVM ſunt ſententiæ, & opiniones Juriſconſultorum, quibus permiſſum erat de jure reſpondere. Ab his non magis, quam a jure Civili, (quod interpretabantur Prudentes) licebat Judici recedere; Unde & *Jus Civile*, ejuſque *viva Vox* dicuntur.

Huc etiam pertinent *Virgiliana* iſta

Nunc, Veneranda Pales, magno nunc ore ſonandum;
Incipiens, ſtabulis EDICO in mollibus herbam
Carpere oves.———

Atque iſta in Plauto. in Prolog. Pœnuli, ubi Prologus Comœdiæ, qui ſe Magiſtratum vel Imperatorem Hiſtrionicum fingit, primum Præconem ita excitat,

Exſurge, Præco, Fac populo audientiam,
Jamdudum expecto, ſi tuum Officium ſcias.

Deinde recitat ipſum Edictum fictitium.

BONVM FACTVM 'ST, Edicta ut ſervetis mea;

eoque finito ſubjicit,

Hæc imperata quæ ſunt, pro imperio hiſtrico
BONVM hercle FACTVM pro ſe quiſque ut meminerit.

Hæc formula BONVM FACTVM eſt antiqua & ſolennis, quam Edictis ſuis præmittebant Magiſtratus.

Prætorum exemplo ÆDILES quoque Edicta ſua proponebant, ad quæ alludit ſuo more Plaut. Cap. IV. 2. v. 44.

Euge, EDICTIONES ÆDILITIAS habet.

JVS HONORARIVM] Ita appellatur, quod, qui honores gerunt (i.e. Magiſtratus) auctoritatem huic Juri dederunt. *Honor* nonnunquam pro magiſtratu ponitur, ut apud Juvenal: Sat. 1. v. 117.

Nunc cum ſummus HONOS finito computet anno
Sportula quid referat.———

RESPONSA PRVDENTVM] Initio, jus Civile profeſſurus propriarum virium confidentiâ populo ſe præbebat. Primus *Auguſtus* publicam Juriſconſultis tribuit Auctoritatem, ut RESPONDENDI facultas non ampliùs è privato conſilio, ſed ex Principis beneficio prodiret.

Mane quotidiè Clientes ventitabant ad ædes Juriſconſultorum, & eorum veſtibula maximâ ſemper frequentiâ civium celebrabantur, ut non immeritò Juriſconſulti Domus *oraculum Civitatis* videretur. Quo pertinent illa Horatii Ser. I. 1. v. 9.

Agricolam laudat Juris, legumque peritus,
Sub Galli cantum CONSVLTOR ubi oſtia pulſat.

Et Epiſt. II. 1. v. 103.

Romæ dulce diu fuit, & ſolenne recluſæ
Mane domo vigilare, Clienti promere jura.

Et Epiſt. Lib. 1. Ep. 3.

Seu

18. Quando autem nec Senatus, nec Magiſtratus, nec Prudentes *Majeſtatem* habuerunt, conſequitur eorum Conſulta, Edicta, Reſponſa, minus propriè jus dici, & reliquis Juris ſcripti partibus adnumerari.

19. Jus civile NON SCRIPTVM eſt, quod uſus approbavit; ſive quod tacitâ populi voluntate introductum eſt. Dicitur etiam *longa Conſuetudo*, & *Diuturni mores*; quia tantum temporis, eaque

Seu linguam cauſis acuis, ſeu civica jura
RESPONDERE paras.——

Imo & *Tibullus* I. 4. quaſi amatorii juris ſcientiam ſibi adrogans, ad priſcam Juriſconſultorum imitationem ſe componit,

——*Me, qui ſpernentur, amantes*
CONSVLTENT: cunctis janua noſtra patet.
Tempus erit, quum me Veneris præcepta ferentem
Deducat juvenum ſedula turba domum.

Conſultatio fiebat formulis quibuſdam, & verbis ſolennioribus. Venia enim prius petebatur his verbis, LICET CONSVLERE? Adnuente Juriſconſulto, & reſpondente, CONSVLE, plerumque breviſſimè referebatur negotium additâ quæſtione, QVÆRO AN EXISTIMES? Vel ID IVS EST, NECNE? Reſpondebat Jureconſultus, SECVNDVM EA QVÆ PROPONVNTVR, EXISTIMO, PLACET, PVTO; ſemper operam dans ut quam modeſtiſſimè loqueretur. Hor. Ser. II. 3. v. 192.

Ergo CONSVLERE, & mox RESPONDERE LICEBIT?
CONSVLE.——

Cic. pro Muræna.——*Itaque non modo beneficii collocandi ſpem, ſed etiam illud quod aliquando fuit, LICET CONSVLERE jam perdidiſtis.*

Feſtiviſſimè *Terentius* in Phormione de jure reſpondentes, dicenteſque inducit.

——*DE. Videtis quo in loco res hæc ſiet;*
Quid ago? Dic Hegio. HE. Ego Cratinum cenſeo,
Si tibi videtur. DE. Dic Cratine. CRA. Mene vis?
DE. Te. CRA. Ego quæ in rem tuam ſint, ea velim facias; mihi
Sic hoc videtur, quod Te abſente Hic Filius
Egit, reſtitui in integrum æquum eſt & bonum,
Et id impetrabis; Dixi. DE. Dic nunc Hegio.
HE. Ego ſedulo hunc dixiße credo, verum ita eſt,
Quot homines, tot ſententiæ; Suus cuique mos.
Mihi non videtur, quod ſit factum, Legibus
Reſcindi poſſe, & turpe inceptum eſt. DE. Dic Crito.
CRI. Ego amplius deliberandum cenſeo,
Res magna eſt. HE. Nunquid nos vis? DE. Feciſtis probè:
Incertior ſum multo, quam dudum.——

actuum

actuum frequentia ad hoc jus introducendum requiritur, quæ ſufficiat ad probandam populi voluntatem.

20. Rectè autem introducta Conſuetudo legem imitatur; hoc eſt, eandem cum lege vim habet. Nihil enim intereſt, an populus ſuffragio ſuo voluntatem declarat, an rebus ipſis & factis.

21. Sed hoc maxime pertinet ad populum liberum, cujus eſt *Majeſtas*. Nam Principi ſubjectus non niſi ex voluntate ejus, ſaltem præſumptâ, jus non ſcriptum inducit.

22. Cæterum multum differunt Jura Naturalia, Gentium, & Civilia. Nam naturalia quidem jura, divinâ quadam providentiâ conſtituta, ſemper firma atque immutabilia permanent. Et Gen-

Rectè autem introducta] *Uſus eſt*, inquit Livius, *graviſſimus juris cenſor & explorator, ut non poſſit non æquum eſſe & utile, quod is probavit ſæpe periculo facto.* Cic. Orat. Part. *Quæ autem ſcripta non ſunt, ea aut Conſuetudine, aut conventis hominum & quaſi conſenſu obtinentur. Atque etiam hoc imprimis, ut noſtros mores legeſque tueamur, quodammodo naturali jure præſcriptum eſt.*

Semper firma atque immutabilia permanent.] Cic. de Legibus. Lib. 1. *Hanc igitur video Sapientiſſimorum fuiſſe ſententiam, Legem neque hominum ingeniis excogitatam, neque Scitum aliquod eſſe populorum, ſed æternum quiddam, quod univerſum mundum regeret, imperandi, prohibendique ſapientiâ.——Nihil eſt profecto præſtabilius, quam plane intelligi nos ad juſtitiam eſſe natos, neque OPINIONE, ſed NATURA conſtitutum eſſe Jus.* Ibid.——*Conſtituendi vero juris ab illâ ſumma lege capiamus exordium, quæ ſæculis omnibus ante nata eſt, quam ſcripta lex ulla, aut quam omnino Civitas conſtituta.* Ibid.

Nec ſi regnante Tarquinio nulla erat Romæ ſcripta Lex de ſtupris, idcirco non contra illam SEMPITERNAM Sextus Tarquinius vim Lucretiæ attulit. Erat enim ratio profecta a rerum naturâ, & ad recte faciendum impellens, & a delicto avocans; quæ non tum denique incipit Lex eſſe cum ſcripta eſt, ſed tum cum orta eſt; orta autem ſimul eſt cum mente Divina. Cic. de Leg. Lib. 2.——*Eſt quidem vera Lex, recta ratio naturæ congruens, diffuſa in omnes, CONSTANS, SEMPITERNA, quæ vocet ad officium jubendo, vetando a fraude deterreat.——Huic Legi nec obrogari fas eſt, neque derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari poteſt. Nec vero aut per Senatum, aut per populum ſolvi hac lege poßumus.* Cic. de Repub. Lib. 3. Fragment.

Sophocles in Antigone, v. 456.

Οὐ γάρ τι μοι Ζεὺς ἦν ὁ κηρύξας τάδε,
Οὐδ' ἡ ξύνοικος τῶν κάτω θεῶν δίκη,
Οἵ τόνδ' ἀνθρώποισιν ὥρισαν νόμους.
Οὐδὲ δύνειν τοσοῦτον ὠόμην τὰ σὰ
Κηρύγμαθ', ὡς ἄγραπτα κἀσφαλῆ θεῶν
Νόμιμα δύνασθαι θνητὸν ὄντ' ὑπερδραμεῖν.

Οὐ

tium jura, naturali ratione ſubnixa, difficilius mutantur. At Civilia ſæpe mutari ſolent, vel tacito populi Conſenſu, vel aliâ poſtea lege latâ. Intereſt tamen Reipublicæ, ne & civile Jus facile mutetur.

23. Omne autem jus, quo utimur, vel ad perſonas pertinet, quibus jus redditur; vel ad res, de quibus redditur; vel ad Actiones, per quas redditur; quæ vulgo Tria juris Objecta dicuntur, porro in hiſce elementis explicanda.

Οὐ γάρ τι νῦν γε κἀχθὲς, ἀλλ' ἀεί ποτε
Ζῇ ταῦτα, κ' ἐδεὶς οἶδεν ἐξ ὅτου φάνη.

Non enim mihi Jupiter hæc edixerat,
Nec inferiorum familiare jus Deûm,
Qui haſce mortalibus dederunt leges;
Nec tantum valere credidi tua
Edicta, ut non ſcriptas, tutaſque Deûm
Leges, mortalis cum ſim, violare audeam.
Non enim hodie modo, herive, ſed ſemper
Hæ Vigent, nemoque novit unde prodierunt.

In *Phœniſſis Euripides* ſic loquentem inducit *Polynicen*, cujus aperte juſtam vult fuiſſe cauſam.

Α, μὴ κυρήσας τῆς δίκης, πειράσομαι
Δρᾶν. μάρτυρας δὲ τῶνδε δαίμονας καλῶ
Ως πάντα πράσσων σὺν δίκῃ, δίκης ἄτερ
Αποστεροῦμαι πατρίδ' ἀνοσιώτατα.
Ταῦτ' οὐδέκασα, μᾶτερ, οὐχὶ πεπλοκὰς
Λόγων ἀθροίσας εἶπον, ἀλλὰ καὶ σοφοῖς
Καὶ τοῖσι φαύλοις ἔνδιχ', ὡς ἐμοὶ δοκεῖ.

Hæc, ſi negatur quicquid eſt juris mei,
Experiar: inque hoc advoco Teſtes Deos,
Cum jus petam, præſtemque, me patriæ tamen
Eliminari fine, jus contra, ac fidem.
Hæc ſum profatus, Mater, haud ambagibus
Implicita, ſed quæ regulis æqui ac boni
Suffulta doctis pariter & rudibus patent.

JUS ANGLICANUM.

Jus Civile ANGLIÆ ſecundum quoſdam ſex præcipue nititur fundamentis ——Lege nimirum rationis——Lege Divina——Generalibus regni conſuetudinibus——Nonnullis Principiis, ſive Maximis——Particularibus locorum conſuetudinibus——& Statutis. Sed ſi iſta contractius tradi cupiamus, Jus Angliæ duas habet partes, CONSVETVDINES nimirum veteres, tam communi populi ſponſione, quam Regis Sacramento comprobatas, & STATVTA, quæ ad dictarum conſuetudinum vel ſupplementum, vel etiam emendationem communi regni concilio ſanciuntur. Atque ita jus noſtrum in SCRIPTVM & NON SCRIPTVM accommodatè diſpertiri poſſumus. *Jus ſcriptum* apud nos continet Statuta. Illa autem non a ſola Principis voluntate proficiſcuntur, ſed univerſi regni conſenſu per Regem ad hoc convocati ſtabiliuntur; Sic tamen ut Regis approbatio neceſſariò requiratur. *Jus non ſcriptum* conſtat ex veteribus regni *conſuetudinibus*. Conſuetudo autem eſt vel *generalis* vel *particularis*. *Generalis* eſt illa, quam univerſum regnum æquè obſervat, & LEX COMMVNIS propriè apud nos dicitur.——*Particularis*, quæ in diverſis Comitatibus, Civitatibus, Burgis, Villis, aut Feudis, ſive Maneriis vim obtinet.

De conſuetudinibus & Statutis Angliæ ſic diſſerit FORTESCVTVS de laudibus Legum Angliæ. Cap. 17. & 18.——*Regnum Angliæ primò per Britanos, deinde per Romanos regulatum; iterumque per Britanos ac deinde per Saxones poſſeſſum, qui nomen ejus ex* Britannia *in* Angliam *mutaverunt. Extunc per* Danos *idem regnum parumper dominatum eſt, & iterum per* Saxones, *ſed finaliter per* Normannos, *quorum propago regnum illud obtinet in præſenti. Et in omnibus Nationum harum, & Regum earum temporibus, Regnum illud eiſdem, quibus jam regitur, conſuetudinibus continuò regulatum eſt. Quæ ſi optimæ non exſtitiſſent, aliqui regum illorum juſtitiâ, ratione, vel affectione concitati eas mutaſſent, vel omnino deleviſſent, & maximè* Romani, *qui legibus ſuis quaſi totum orbis reliquum judicabant. Similiter & alii Regum prædictorum, qui ſolum gladio regnum* Angliæ *poſſederunt, quo & potentiâ ſimili ipſi leges ejus exinanîſſe valuerunt. Neque vero tantorum temporum curriculis, Leges Civiles in quantum* Romanorum *inveteratæ ſunt, neque* Venetorum *leges, quæ ſuper alias antiquitate divulgantur, (quorum tum Inſula in initio* Britonum *inhabitata non fuit, ſicut nec* Roma *condita,) nec ullorum mundi regnorum Deicolarum leges tanto ævo inolitæ ſunt. Quare non bonas, imo non optimas eſſe* Anglorum *conſuetudines, ſicut non dicere, ita nec ſuſpicari fas eſt. —— Statuta tunc* Anglorum *bona ſint necne, ſolum reſtat explorandum. Non enim emanant illa a Principis ſolum voluntate, ut leges in regnis quæ tantum regaliter gubernantur, ubi quandoque Statuta ita conſtituentis procurant commodum ſingulare, quod in ejus Subditorum ipſa redundant Diſpendium & jacturam. Quandoque etiam inadvertentiâ Principum hujuſmodi, & ſibi conſulentium inertiâ, ipſa tam inconſultè eduntur, quod corruptelarum nomina, potius quam legum illa merentur.——Sed non ſic* Angliæ *Statuta oriri poſſunt, dum nedum Principis voluntate, ſed & totius Regni aſſenſu ipſa conduntur, quò Populi læſuram illa efficere nequeunt, vel non eorum Commodum procurare. Prudentiâ etiam & ſapientia neceſſario ipſa eße referta putandum eſt, dum non unius, aut centum ſolum conſultorum Virorum prudentiâ, ſed pluſquam trecentorum electorum Hominum (quali numero olim Senatus* Romanorum

TIT. III.

De Jure Perſonarum.

1. Prima & ſumma perſonarum diviſio eſt, quod Homines aut *liberi* ſunt, aut *ſervi*.

2. Et Libertas quidem eſt naturalis facultas ejus quod cuique facere libet, niſi ſi quid vi, aut jure prohibetur. Vis enim non cenſetur adimere libertatem, licet exercitium libertatis impedit; & cùm jure prohibemur quid agere, non videtur imminuta libertas; cum facere nos non poſſe credendum ſit, quod honeſtè ac licitè facere per leges non poſſumus.

3. Servitus autem eſt conſtitutio juris Gentium, quâ quis alieno Dominio contra naturam ſubjicitur.

4. Dicuntur ſervi a SERVANDO, quod Impp. captivos vendere, ac per hoc ſervare, nec occidere ſolent; qui etiam mancipia dicti ſunt, eò quod ab hoſtibus *manu capiantur*.

5. Servi autem aut *naſcuntur* aut *fiunt*. *Naſcuntur* ex ancillis noſtris, & vocantur VERNÆ. *Fiunt* aut jure Gentium ex captivitate; aut jure civili, cum liber homo major viginti annis ad pretium participandum ſe venundari paſſus eſt.

rum *regebatur*) *ipſa edita ſunt, ut ii, qui Parliamenti* Angliæ *formam, Convocationis quoque ejus Ordinem, & modum noverunt, hæc diſtinctius referre norunt. Et ſi Statuta hæc tanta Solennitate & prudentiâ edita, efficaciæ tantæ, quantæ conditorum cupiebat Intentio, non eſſe contingant, concitò reformari ipſa poſſunt, & non ſine* Communitatis & Procerum regni *illius aſſenſu, quali ipſa primitùs emanarunt.*

Et cum jure prohibemur] Cic. pro Cluent. cap. 53. *Legum idcirco omnes ſervi ſumus, ut liberi eſſe poſſimus.* Indicat hanc exceptionem illud *Perſianum.* Sat. 5.

Excepto ſi quid Maſuri rubrica vetavit.

Vendere ac per hoc ſervare] Hor. Epiſt. Lib. I. XVI. v. 69.

Vendere cum poſſis captivum, occidere noli.

Similiter Cæſar *Hæduis* ſignificat, ſuo beneficio ſervatos, quos IVRE BELLI interficere potuiſſet. Lib. 7. Comm. cap. 41.

6. Et in ſervorum quidem conditione nulla eſt differentia. Eandem enim omnes ſervitutem ſerviunt, licet ordo quidam ſit inter eos quoad officia, & munera, quæ alia aliis honeſtiora eſſe ſolent. Liberi autem aut *Ingenui* ſunt, aut *Libertini*.

TIT. IV.

De Ingenuis.

1. Ingenuus eſt, qui ſtatim, ut natus eſt, liber eſt.

Et in ſervorum quidem conditione] Servorum longè durior fortuna fuit Romæ, quam vel apud Hebræos, vel Athenienſes. Romani enim, ut hoſtes metu durioris ſervitutis arma lubentius deponerent, captos non tantum omni exiſtimatione, dominio rerum, nomine, tribu, & ſuffragio privârunt, ſed etiam in claſſem RERVM ex claſſe PERSONARVM eos conjecerunt; ita ut, tanquam ad conditionem pecorum redacti, a Domino vendi, permutari, oppignorari, noxæ dari, & impune malè haberi poſſent, & pro excuſatione ſufficeret, RES MEA EST. *Florus* eos in omnia obnoxios, idcirco quaſi *ſecundum genus hominum* vocat. Lib. 3. Cap. 20. imo vix homines habebantur; ut Fœmina regerit Marito apud Juv. Sat. 6. v. 221.

O Demens, ita Servus HOMO eſt!

JUS ANGLICANUM.

Olim apud nos erant ſervi iidem fere, qui apud Romanos *adſcriptitii glebæ* dicti ſunt; ii nimirum, qui cum agro unà ſerviebant Domino, & cum fundis mancipabantur, alienabanturque. Vocabantur VILLANI REGVARDANTES, quia nimirum villis inſerviebant. Nunc vero apud nos eſt certa perſonarum conditio ſervorum inſtar, libera tamen & ingenua; eorum nimirum, quos APRENTICIOS dicimus, qui ad artem aliquam mechanicam, ſive aliam mercenariam perdiſcendam heris ſuis conventione ſuâ, Parentum, vel Gubernatorum, aſtringuntur. Hi enim in herorum poteſtate ſunt durante tempore conventionis, & illis acquirunt, non ſibi, vel Parentibus ſuis, niſi aliter conventum fuerit.

Ingenuus eſt] Latini ingenuum vocant, quod nativum eſt. Hinc Lucretius *ingenuos Fontes*, & Juvenalis *ingenuum tophum* appellat —Sat. 3. v. 18.

——Quanto præſtantius eſſet
Numen aquæ, viridi ſi margine clauderet undas
Herba, nec INGENVVM violarent marmora tophum.

2. Sed

2. Sed & ſi quis ex patre ſervo, vel incerto, matre vero libera, ſive conceptionis, ſive partûs, ſive medio tempore, naſcitur, ingenuus eſt.

3. Partus enim hoc caſu ventrem ſequitur.

TIT. V.

De Libertinis.

1. Libertini ſunt, qui ex juſta ſervitute manumiſſi ſunt.

2. Manumiſſio eſt de manu, i.e. poteſtate datio.

3. Eaque variis modis contingit; & quidem non tantum Cenſu, Vindictâ, Teſtamento, ut olim; ſed etiam in S.S. Eccleſiis; inter amicos, adhibitis tamen quinque teſtibus; item per Epiſtolam, a quinque teſtibus ſubſcriptam; aut per quamlibet ultimam voluntatem; aut inter vivos apud Magiſtratum quovis loco & tempore, aliiſque modis.

Libertini ſunt,] Horat. Sat. Lib. 1. 6.

Nunc ad me redeo libertino Patre natum,
Quem rodunt omnes libertino patre natum.

Eaque variis modis contingit] Manumiſſiones antiquitus fiebant ſolenniter 1mo. *Cenſu*, quando Servus juſſu Domini nomen ſuum in cenſum luſtralem conferebat——Deinde cum *Vindicius Vitelliorum* Servus conjurationem *Brutorum*, aliorumque juvenum ad ſenatum detuliſſet, Præmium ei decernebatur Libertas & Civitas; Unde 2do. ſolenni illi Manumiſſioni, quæ coram magiſtratu fiebat, *vindictæ* nomen inditum. Fiebat hæc manumiſſio coram Conſule, Prætore, Procoſ. adhibito Lictore, qui ſervi percuſſo capite, eodemque in girum circumacto, inflictâque alapa, addebat verba, HVNC HOMINEM LIBERVM ESSE VOLO. Hinc Perſ. Sat. 5. v. 75. de *Dama* Servo in girum acto,

——Heu! ſteriles veri, quibus una Quirites
Vertigo facit; Hic Dama eſt, non treſſis Agaſo,
Vappa & lippus, & in tenui farragine mendax;
Verterit hunc Dominus, momento turbinis exit
MARCVS DAMA.——

Ibidem, v. 88.

VINDICTA poſtquam meus a Prætore receſſi.

Huc pertinent illa Claudiani. Conſul. Honor. v. 613.

Adſpice, mox lætum ſonuit clamore Tribunal.
Te faſtos ineunte quater, ſolemnia ludit

Omnia libertas; deductum VINDICE morem
Lex celebrat, famulusque jugo laxatus herili
Ducitur, & GRATO remeat securior ICTV.

Et *Horatii*,

Tunc mihi Dominus, rerum imperiis hominumque
Tot tantisque minor? quem ter VINDICTA, quaterque
Imposita haud unquam miserâ formidine privet.

Accessit porro 3°. ex legibus XII. Tabb. Manumissio *per Testamentum*; quâ si quibus libertas daretur verbis directis——DAVVS SERVVS MEVS LIBER ESTO; liberti ejusmodi vocabantur ORCINI, seu CHARONITÆ, quasi qui nullum Patronum nisi *in Orco* haberent.

Loco manumissionis per *censum* Imperatores Christiani introduxerunt aliud manumissionis genus quod fiebat in S.S. Ecclesiis; ubi recitatis jussu Domini tabulis, & a Clero signatis, Servus libertatem consequebatur.

Manumissiones minus solennes erant *per Epistolam*,—vel *inter amicos*—vel *per Convivium*, si aliquis servum secum epulari juberet. Indecorum scilicet olim habebatur cum servis vilibusque hominibus accumbere; iisque non *lecti*, sed *subsellia* erant parata. Hinc Parasitus apud *Plaut.* in *Stich.* III. 4. v. 32.

Haud postulo equidem me in LECTO accumbere,
Scis tu me esse imi SVBSELLII virum.

Et in eadem Comœdia Servi duo V.4. v. 21.

——*Potius in SVBSELLIO*
Cynicè accipiemur, quam in LECTIS.

Quod si ergo Servus accumbere juberetur, signum hoc erat datæ libertatis: Quo & locus Luc. XII. 37. a nonnullis (parum forsan accuratè) refertur——Μακάριοι οἱ δοῦλοι ἐκεῖνοι οὓς ἐλθὼν ὁ Κύριος εὑρήσει γρηγοροῦντας. Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι περιζώσεται, καὶ ΑΝΑΚΛΙΝΕΙ αὐτοὺς, καὶ παρελθὼν διακονήσει αὐτοῖς.

Hinc Libertas quondam duplex dicebatur. *Justa* & *non-justa*. *Justa* erat, quæ vindictâ, Censu, Testamento data; & hâc manumissi, planè erant pleneque liberi. *Non-justa* quæ inter amicos, in convivio, per Epistolam; Hac vero manumissi poterant in servitutem revocari, & vestigia quædam retinebant servitutis. Hinc Tacit. Annal. Lib. XIII. 27.—— *Quin & manumittendi duas species institutas, ut relinqueretur pœnitentiæ, aut novo beneficio locus. Quos vindictâ Patronus non liberaverit, velut vinculo servitutis attineri. Dispiceret quisque merita, tardéque concederet, quod datum non adimeretur.*——Suet. in Aug. Cap. 40.——*Servos non contentus multis difficultatibus a libertate, multoque pluribus a libertate JVSTA removisse.*

Libertini veste albâ & annulo donabantur a Patronis; deinde pileati, & raso capite incedebant, & capillos quidem radere solebant in templo *Feroniæ*, adsumebant etiam Prænomen, nomenque Patroni suo addebant, quo alludit *Persius*

——*Exit*
MARCVS Dama.——

4. Tempore Auguſti, Libertini triplicis erant conditionis, alii peſſimæ, qui DEDITITII erant, & non multum a ſervis differebant: alii melioris, ut LATINI; alii optimæ, qui habebant *jus Civium Romanorum*, licet ingenui non eſſent. Sed *Juſtinianus* omne ferè diſcrimen ingenuorum & Libertinorum abolevit, ſalvo tamen jure Patronatûs.

TIT. VI.

Quibus ex cauſis manumittere non licet.

1. Non tamen cuicunque volenti manumittere licet per *Legem Æliam Sentiam*, cujus duo ſunt capita.

DEDIT[ITII] *Dedititii* vix umbram libertatis conſequebantur, cum ejuſdem eſſent conditionis cum populis dedititiis,——*Latini* ejuſdem erant conditionis cum *Latinis* in colonias deductis, qui civitatis jura non obtinebant, ——Conſtitutum eſt lege *Junia Norbana*, ut manumiſſi *per Epiſtolam*, aut *inter Amicos*, aliiſque modis minus ſolennibus, non *civitatis*, ſed *Latinorum* tantum jura conſequerentur. Hinc non deſunt Exempla manumiſſionum *per Epiſtolam*, aut *inter Amicos*, per *Vindictam* deinde ideò confirmatarum, ut liberti jura civitatis obtinerent. Plin. Lib. 7. Epiſt. 16.——*Spero, imo confido facile me impetraturum, ut ex itinere deflectat ad te, ſi voles VINDICTA liberare, quos proxime INTER AMICOS manumiſiſti.*——Nonnunquam & ab Imperatoribus *Latini Juniani* jura *Quiritium* impetrabant.——Plin. Lib. 10. Epiſt. 4. ——*Proximo anno, Domine, graviſſimâ valetudine uſque ad periculum vitæ vexatus, Jatraliptem aſſumpſi, cujus ſolicitudini & ſtudio, Tuæ tantum Indulgentiæ beneficio referre gratiam parem poſſum. Quare rogo, Des ei civitatem Romanam. Eſt enim peregrinæ conditionis, manumiſſus a peregrinâ.*

JUS ANGLICANUM.

Forma manumittendi apud nos regnante *Gulielmo primo* dicto *Conqueſtore* ſic deſcribitur.

Si quis velit Servum ſuum liberum facere tradat eum Vicecomiti per manum dextram in pleno comitatu, & quietum illum clamare debet a jugo Servitutis ſuæ per Manumiſſionem, & oſtendat ei liberas portas & vias, & tradat illi libera arma, ſcilicet Lanceam & Gladium, & deinde liber Homo efficitur. Lambard. Archai. 126.

Per legem Æliam Sentiam] Licentia manumittendi reſtricta primum eſt per hanc legem, cui occaſionem dedit, imperante *Auguſto*, nimia manumittendi facilitas; qua fiebat, ut Urbs peſſimorum, viliſſimorumque hominum colluvie

2. Primo cavetur, ne quæ fiat Manumiſſio in fraudem Creditorum. In fraudem autem Creditorum manumittere videtur, qui vel jam eo tempore, quo manumittit, ſolvendo non eſt, vel qui datis libertatibus deſiturus eſt ſolvendo eſſe.

3. In fraudem autem Creditorum non cenſetur facta manumiſſio, niſi concurrat 1. Conſilium, & 2. Eventus, i. e. niſi manumittens animum fraudandi habuerit, & Creditores damnum reverà ſenſerint.

4. Secundo prohibetur, ne minor viginti annis manumittat, niſi Vindictâ apud Conſilium (id eſt, apud Collegium, in quo Romæ adhibebantur 5. Senatores, & 5. Equites; in Provinciis 20. Recuperatores, cives Romani) juſtâ manumiſſionis causâ approbatâ; quod poſt reſtrictum ad minores 18. Annis; tandem & impuberibus eadem ætate, qua alia, & libertates teſtamento dare permiſſum.

5. Et ſemel quidem cauſa illa approbata, ſive vera ſit, ſive falſa, favore libertatis non retractatur.

6. Juſtæ autem manumiſſionis cauſæ ſunt, vel honeſtus affectus forte erga Patrem, Matrem, Filium, filiam, fratres ſororeſve naturales; aut Pædagogum, aut nutricem, aut Educatorem, aut Alumnum, aut collactaneum manumittendos; item erga ancillam intra 6. menſes uxorem ducendam: Juſta etiam cauſa videbatur, ſi quis manumitteret ſervum non minorem 17. annis procuratoris habendi causâ.

luvie adflueret. Sæpe etiam Domini ſervos omnes manumittebant in fraudem Creditorum — Sæpe Servi a minoribus, quorum amores adjuverant, libertatem ſibi mercedis loco ſtipulabantur, cujus rei exempla multa depingunt *Plautus* & *Terentius*.

Recuperatores] Horum crebra apud veteres fit mentio, quodque eorum fuerit Officium, præſertim colligi poteſt ex Oratione *Ciceronis* pro *Cæcina* quam ad Recuperatores habuit. Meminit & *Plaut. Bacchid.* Act. 3. Sc. 3.

Poſtquam quidem Prætor RECVPERATORES dedit,
Damnatus demum, vi coactus reddidit
Ducentos & mille Philippûm.

Hinc *recuperatorium judicium* apud *Ciceronem*, *Suetonium*, *Plinium*, quod per hujuſmodi judices a Prætore, ut de privatis cognoſcerent controverſiis, datos, exercebatur.

TIT. VII.

De lege Fuſia Caninia tollenda.

1. Lege *Fuſia Caninia* certus modus, (id eſt, numerus) conſtitutus erat ſervorum teſtamento manumittendorum. Qui 10. habebat, non plus parte dimidiâ; qui 30. non plus tertiâ; qui 100. non plus quartâ; qui 500. non plus quintâ. Nemo vero ultra 100. manumittere poterat. Sed hæc antiquata eſt, quoniam abſurdum videbatur morientibus libertatem adimere, quam vivi habent.

TIT. VIII.

De his qui ſunt ſui, vel alieni juris.

1. Secunda Perſonarum diviſio eſt, quod quædam perſonæ ſunt *ſui juris*, quædam *alieno juri* ſubjectæ: atque hæ iterum in poteſtate vel *Dominorum*, vel *parentum* ſunt.

2. In Dominorum poteſtate ſunt Servi; in quorum & perſonam & bona Domino jus competit.

3. Et quidem in perſonam Dominus olim habebat jus vitæ, neciſque. Nunc tantum emendationem, aut modicam Coercitio-

Lege Fuſia Caninia] Lata eſt Hæc Lex *Auguſti* temporibus ut ex *Suetonio* intelligimus cap. 40. Aug. ubi ratio legis indicatur.——*Magni præterea exiſtimans, ſincerum, atque ab omni colluvione peregrini ac ſervilis Sanguinis incorruptum ſervare populum, & civitatem Romanam parciſſimè dedit, & manumittendi modum terminavit.*

Et quidem in perſonam Dominus olim habebat jus vitæ, neciſque] Poteſtas Dominica duo potiſſimum jura complectebatur; alterum quod Domini per Servos acquirerent; alterum quod jure vitæ & necis in eos uterentur. De poſteriore jam nonnulla ex Antiquitate monenda ſunt. Non mirum eſt, quod jus vitæ & necis *Romæ* Dominis competeret, quibus Servi non *perſonarum*, (ut ſupra obſervatum eſt) ſed *rerum* loco eſſe videbantur. Sed quo magis *Romæ* a Virtute deſcitum, eo durius immaniuſque cum Servis actum eſt, in quos veluti per jocum & ludum ſæviebant Domini truculentiſſimi. Juv. Sat. 6. v. 218.

Pone crucem Servo: Meruit quo crimine Servus
Supplicium? Quis teſtis adeſt? Quis detulit? Audi,
Nulla unquam de morte hominis cunctatio longa eſt.

Nec

nem. Si Dominus hodie ſervum ſine juſta cauſa occiderit, tenetur *lege Corneliâ de Sicariis*. Si aliàs in eum ſævierit, bonis conditionibus eum vendere cogitur.

Nec quidquam miſeros eripiebat cruciatibus, niſi ſe ad *Aras Deorum*, vel *Principis Statuam* reciperent, ſibique deprecatorem pararent. Unde Reipublicæ intererat Dominos in ſervilia corpora impune ſævientes latis legibus coerceri; Quod factum eſt a variis Conſtitutionibus *Auguſti, Claudii, Hadriani D. Pii, & Conſtant. M.*

Obſervandum vero eſt, quod Jus Aſyli erat etiam apud *Judæos*, quod habuit Homicida ex caſu vel errore; De φυγαδευτείων jure, ſeu urbibus Refugii multa ſtatuit Lex Sacra, multa Magiſtri ad legis Interpretationem neceſſaria.——Apud *Græcos* etiam vetuſta admodum occurrunt τῆς ἀσυλίας exempla. Sic apud *Thucydidem* legimus, *Pauſaniam* in fanum ſe proripuiſſe; ſic alibi quoſdam πρὸς τὴν ἑστίαν confugiſſe. Quinetiam mentio fit *Aræ Miſericordiæ* apud Athenienſes a *Pauſania* Hiſtorico; & Servi ad *Theſei* Sacellum confugerunt, quia habebat jus Aſyli, & jus ibi dicebatur Servis τοῖς πρῶσιν αἰτῆσι. —— A Templis Gentium in Eccleſ. Chriſtianam tranſiit Aſylorum Privilegium, ſed apud nos in Angliâ ſub Rege Henrico VIII. lege latâ ſublatum eſt.

Jura vero ſervorum ſolutiora multo erant *Athenis*, quam *Romæ*; unde Plautus in Sticho.

Atque id ne vos miremini, homines ſervulos
Potare, amare, atque ad cœnam condicere;
Licet hoc Athenis nobis.——

Et Demoſthenes Philipp. III.——Ὑμεῖς τὴν παῤῥησίαν ὅτι μὴ τῶν ἄλλων, ἅπω κοινὴν οἴεσθε δεῖν εἶναι πᾶσι τοῖς ἐν τῇ πόλει, ὥστε κὴ τοῖς ξένοις, κὴ τοῖς δούλοις αὐτοῖς μεταδεδώκατε.

Bonis conditionibus eum vendere cogitur] Apud Athenienſes Lege concedebatur Servis Actio adverſus iniquos Dominos, qua poterant eos adigere, ut ſe venderent.

——Τοῖς δούλοις ἐξεῖναι πρῶσιν αἰτεῖσθαι, κὴ ἀποτίμου μεταβάλλειν ὁπωιοῦν.

Quinetiam ſervi Libertatem conſequebantur vel invitis Dominis pecuniâ numeratâ.

——Τοῖς δούλοις ἐξεῖναι ἑαυτοὺς ἐλευθερῶσαι ἀργύριον καταβαλλόντας τῷ δεσπότῃ. Unde Plautus.

Quid tu me vero libertate territas?
Quid ſi Tu nolis, filiuſque etiam Tuus,
Vobis invitis, atque amborum ingratiis
Unâ libellâ Liber poßum fieri.——

Apud veteres tamen quidam in ſervos adhibebant æquitatem, imo & clementiam. Plin. Lib. 5. Epiſt. 19. ſic ad Paulinum ſcribit——*Video quam molliter tuos habeas, quo ſimplicius confitebor tibi, qua indulgentiâ meos tractem. Eſt mihi ſemper in animo Homericum illud,* Πατὴρ δ' ὡς ἤπιος ἦεν, *& hoc noſtrum* PATERFAMILIAS; In qua voce Seneca veterum humanitatem obſervat—*Ne illud quidem videtis,* inquit, *quam omnem invidiam majores noſtri Dominis, omnem contumeliam ſervis detraxerint. Dominum* PATREMFAMILIÆ *appellarunt, ſervos* FAMILIARES. - Epiſt. 47.

4. Quantum

4. Quantum ad bona, quod quiſque Servus acquirit, Domino acquirit.

TIT. IX.

De Patria Poteſtate.

1. Patria Poteſtas eſt jus, quod Cives Romani habent in liberos ſuos.

2. Quanquam enim jure naturæ omnibus Parentibus jus aliquod ſit in liberos; nulli tamen ſunt homines, qui talem habent in liberos poteſtatem, qualem Romani.

3. In perſonam enim filii Pater olim habebat jus vitæ & necis, hodie modicam tantum coercitionem; graviora filiorum admiſſa nunc ſolus Magiſtratus vindicat, eoque nonnunquam Patris voluntatem ſequitur.

4. Bona etiam filius olim fere omnia acquirebat patri; hodie autem tantum *Peculium profectitium*, quod ex re ſive occaſione Patris proficiſcitur; & *uſumfructum adventitii*, quod nactus eſt Filius privata ſua induſtriâ, vel ex maternâ ſucceſſione.

Nulli tamen ſunt homines] Cum jus Patriæ poteſtatis apud Romanos planè ſingulare eſſet, operæ pretium erit exponere, quinam illius effectus majores, quam apud aliam quamvis gentem fuerunt.

Primò, Pater in filium habebat jus vitæ & necis.——*Secundò*, Pater habebat jus filium ter vendendi.——*Tertiò*, quicquid Liberi vel ex operis ſuis, vel aliunde acquirebant, illud Patri acquirebatur.— *Quartò*, Pater potuit filium exhæredare nulla causâ adjectâ.

Poſſit autem cuipiam mirum videri, tantam & tyrannicam planè poteſtatem Parentibus apud veteres fuiſſe conceſſam; nec tamen credendum eſt Romanos hoc caſu ſine gravibus rationibus ita egiſſe, quæ videntur fuiſſe ſequentes; *Primò*, Ut eſſet aliquis quaſi Domeſticus Magiſtratus.——*Secundò*, Ut ita Patres ad tollendos liberos allicerentur.——*Tertia* denique hujus rei ratio fuit, quod benignitas Patris non facile iniquum quid in liberos commiſſura crederetur.

Sed jus illud vitæ & necis, vendendi & alienandi poteſtas, utpote a ratione juris naturæ, atque pietate nimis longè recedens, merito poſtea diſplicuit, permiſſumque duntaxat patri privatim filium caſtigare atque corrigere; ſi vero quid tale filius admiſiſſet, quod graviorem animadverſionem deſideraret, ad Magiſtratum rem deferri leges voluerunt. Ita paulatim aſperi & duri Romanorum mores mitigari cœperunt, ut videtur, Græcorum

5. Cæterum effectus patriæ poteſtatis ſpeciales pluſimi ſunt, ut in jure nuptiarum, Tutelarum, Teſtamentorum, Obligationum, aliique conſpicui, uti ſuis locis apparebit.

6. Ad Matrem hæc poteſtas minime pertinet; ei tamen reverentia & Pietas debetur.

7. Acquiritur autem Patria poteſtas potiſſimum 1. Juſtis Nuptiis. 2. Legitimatione. 3. Adoptione.

TIT. X.

De Nuptiis.

1. Nuptias præcedere ſolent ſponſalia, quæ ſunt mentio, & repromiſſio futurarum nuptiarum.

condimentis; a quibus cum bonarum literarum diſciplinas accepiſſent, ad hanc ſunt manſuetudinem morum, facilitatemque revocati.

JUS ANGLICANUM.

Poteſtas illa, quam Romani in ſuos liberos habuerunt apud nos multò eſt remiſſior; & amorem illum Paternum, & officium Liberorum potius redolet, qui juris divini, & naturalis vigore omnium mentibus inſtillatur quam aliquo juris civilis Vinculo aſtringitur.

Sponſalia] Qui apud Romanos uxorem ducturus erat, ab eo in cujus poteſtate ea erat eam in matrimonium ſibi datum iri STIPVLABATVR; & alter, ſi conveniret, id SPONDEBAT: qui contractus mutuus SPONSALIA dicitur. Hujus veteris moris multa extant veſtigia apud *Plautum*, qui in Aulul. I. 4. Megadorum ab Euclione filiam ſtipulantem inducit his verbis.

ME. *Quid? Nunc etiam mihi Deſpondes filiam?* [*ergo?*
EV. *Illis legibus, cum illâ dote, quam tibi dixi.* ME. SPONDEN'
EV. SPONDEO.

Et apud *Terentium*.

——*Hac fama impulſus Chremes*
Ultro ad me venit, unicam gnatam ſuam
Cum dote ſummâ filio uxorem ut daret;
Placuit; DESPONDI: Hic nuptiis dictus eſt dies.

Dum de ſponſalibus ageretur, *Sponſus ſperatus*, *Sponſa* vero *ſperata* dicebantur. Sponſalia nudo conſenſu fieri poterant, ſed plerumque tamen in tabulas referebantur, eæque præſentium Annulis obſignabantur. Unde Juv. Sat. 6. v. 199.

Si tibi legitimis pactam junctamque TABELLIS
Non es amaturus.——

Et

2. Jure Canonico & hodierno dividuntur Sponſalia in ea, quæ fiunt *de præſenti*, & *de futuro*. Illa fiunt conſenſu præſenti ; hæc promiſſione in futurum.

3. Sponſalia illa de præſenti ſecundum jus Romanum ſunt ipſum Matrimonium, cujus forma in ſolo conſenſu conſiſtit.

4. Nuptiæ ſunt Viri & Mulieris conjunctio, individuam vitæ conſuetudinem continens.

5. Dicitur *Viri & Mulieris*, ut intelligatur prohibita ſimultanea Polygamia, crimen capitali pœnâ vindicandum. Dicitur *Conjunctio*, ſcilicet animorum non corporum ; Nuptias enim non Concubitus, ſed Conſenſus facit. Dicitur *individuam*, quia Votum, Animuſque contrahentium eſt, ut Matrimonium ſit individuum ; Præter ſpem enim & per Accidens fit, quòd Divortio quandoque dividatur. Dicitur *vitæ conſuetudinem continens*, id eſt, Vitæ Societatem, Communionem utriuſque fortunæ, omniſque rei Divinæ & humanæ.

Et Sat. 10. v. 336.

——*Veniet cum SIGNATORIBVS Auſpex.*

Tum Sponſus Annulum pronubum, quaſi Arrhæ ſive pignoris loco, dabat. Quem morem Juvenalis indicat. Sat. 6. v. 25.

Conventum tamen, & Pactum, & Sponſalia, noſtra
Tempeſtate paras ; jamque a Tonſore Magiſtro
Pecteris, & Digito PIGNVS fortaſſe dediſti.

His peractis, dies nuptiis eligebatur ; certi enim dies mali ominis habebantur ; ut omnes Kalendæ, Nonæ, Idus, & qui dies eas proximè ſequuntur ; tum Maius Menſis, Parentalia, Saliorum feſtum &c.

Nuptiæ contrahebantur tribus modis, *Uſu* nempe, *Confarreatione*, & *Coemptione*. Primo VSV, vel uſurpatione contrahebantur nuptiæ, cum mulier matrimonii causâ anno integro & continuo cum viro fuiſſet. Secundo, fiebat Matrimonium CONFARREATIONE, cum certis verbis adhibitis, teſtibus decem præſentibus, ſolennique Sacrificio (in quo FARRE utebantur) coram Pontifice peracto, mulier in manum viri conveniebat ; & huic Confarreationi contraria fuit DIFFARREATIO, cum Matrimonium ſimilibus ritibus diſſolveretur. Hic autem erat antiquiſſimus & digniſſimus matrimonii contrahendi modus, unde γάμος κατὰ τὸν ἱερὸν νόμον dicitur. Denique COEMPTIONE, hoc eſt, imaginariâ emptione, & venditione, fiebant Nuptiæ, quando nummis, dicis causâ, adhibitis, mulier in poteſtatem Viri tranſibat.

De nuptiarum ſolennibus copioſè agit Barn. Briſſonius de ritu Nuptiarum.

6. Ut autem juſtæ ſint nuptiæ requiritur 1. ut perſonæ contrahant, quæ jus Connubii habent. 2. Ut juſta obſervetur Forma.

7. In perſonis requiritur. 1. Ut ſint cives Romani, 2. Juſtæ ætatis, 3. Nec Cognatione, 4. Nec Affinitate, 5. Nec honeſtate, 6. Nec alia Juris Civilis ratione, 7. Nec vitio, quod generationi obſtat, impediti.

8. Primum illud requiſitum arcet peregrinos, qui jure ſuo, non Romano nubunt; & ſervos, qui non *Matrimonium*, ſed *Contubernium* contrahunt.

9. Secundum vult ut maſculi ſint puberes, Fœminæ viri-potentes. Tales autem mares poſt annum 14. fœminas poſt annum 12. Jus credit.

10. Tertio prohibetur Matrimonium in linea recta, hoc eſt, inter aſcendentes, & deſcendentes in infinitum; quod & in adoptivis locum habet, licet diſſolutâ adoptione. In linea obliqua jus Civile tantum vetat conjungi, qui ſibi Parentum, liberorumque loco ſunt, nec non fratres & ſorores; etiam adoptivos, Adoptione durante. Jure vero civili ad quartum uſque gradum *excluſivè* prohibentur nuptiæ inter collaterales. Unde Conſobrinos ac patrueles, id eſt duorum fratrum vel ſororum liberos, matri-

Arcet peregrinos] Cum Latino etiam vel Latina, peregrino vel peregrinâ, non erant juſtæ nuptiæ niſi conceſſum eſſet; Concedebat enim ejuſmodi nuptias populus lege ſingulari, ut docet Livius, Lib. 38. 36. ubi de *Campanis* auctor eſt, quod primùm habuerint jus Connubii cum Romanis; & poſt defectionem, cum iterum victi a Romanis eſſent, *M. Val. Meſſala*, & *C. Livio Salinatore Coſſ.* a Senatu petierint, *ut ſibi cives Romanas ducere uxores liceret; & ſi qui prius duxißent, ut haberent eas; & ante diem nati, ut juſti ſibi liberi, hæredeſque eßent*; idque impetrârint. Notum eſt, quantum invidiæ *Antonio* nuptiæ cum *Cleopatra* conflaverint. Sed poſt conſtitutionem *Antonini Caracallæ* promiſcua fuere inter gentes connubia, & ita intelligendus Prudent. adv. Symmach. 11. v. 612.

Diſtantes regione plagæ, diviſaque ponto
Litora conveniunt nunc per vadimonia ad unum
Et commune forum; nunc per commercia, & artes
Ad cætum celebrem; nunc per genialia fulcra
Externi ad JVS CONNVBII.——

monio

monio conjungi jus civile permittit, quia a ſe invicem diſtant quarto gradu. Jure vero Canonico inter collaterales prohibitio ad quartum gradum *incluſivè* porrigitur.

11. Parentis autem loco dicitur, qui immediatè Stipiti ſubjectus eſt, ex quo ipſe, aliaque remotior cognata perſona deſcendit, qualis ego ſum fratris mei filiæ, nepti, Pronepti &c.

12. Quartum Impedimentum facit Affinitas, quæ eſt neceſſitudo inter Conjugem & alterius Conjugis cognatos. Affinitatis autem veneratione abſtinendum eſt a nuptiis eorum, qui nobis inſtar Parentum, aut liberorum, aut fratrum, ſororumve ſunt. Sic in recta linea vetitæ ſunt nuptiæ inter Vitricum & Privignam, Socerum & nurum, Privignum & Novercam, generum & Socrum in infinitum. Inter Affines collaterales vetitæ ſunt nuptiæ cum uxore quondam fratris tui, vel ſorore quondam uxoris. Inter duos vero comprivignos nuptiæ recte contrahuntur, etiamſi fratrem communem ex novo Parentum matrimonio ſuſceptum habeant. Nulla enim hic Affinitas eſt, quia affines tantum comparatione Conjugum dicuntur; hoc eſt, omnes cognati mariti ſunt affines uxoris, & e contrà. Ipſi vero cognati viri & Uxoris inter ſe non ſunt affines; qua ratione duo fratres rectè duabus junguntur ſororibus.

13. Quintò, impedit honeſtas & Pudor naturalis. Semper enim in conjunctionibus non ſolum quid liceat conſiderandum, ſed & quid honeſtum ſit. Hinc nec filiam Uxoris poſt divortium natam, nec ſervili cognatione mihi junctam recte duco.

14. Sextò, Ratio juris Civilis vetat matrimonium Tutoris, Curatoris, ejuſque filii & nepotis cum pupillâ vel adultâ; item Præſidis cum Provinciali, propter metum fraudis & concuſſionis. Olim Senatores non rectè ducebant Plebeiam, aliamve humilem, quod poſt mutatum.

15. Septimum & ultimum requiſitum facile intelligitur ex fine potiſſimo Matrimonii, qui eſt procreatio Sobolis.

16. Ad formam autem Nuptiarum Jus Civile tantum requirit conſenſum tum contrahentium, tum eorum, quorum illi in poteſtate ſunt, Parentum.

17. Con-

17. Conſenſus autem conſtat 1. Intellectu. 2. Voluntate. Unde certa regula eſt, Quæ obſtant vel Intellectui, ut Error Subſtantialis, Dolus, Amentia; vel Voluntati, ut Vis, metuſque major, & conſenſum & Matrimonium vitiare.

18. Jus Civile eorum parentum conſenſum requirit, in quorum poteſtate ſunt Liberi; Hunc vero conſenſum requirit naturalis æque ac civilis Ratio.

19. Si adverſus ea quæ diximus aliqui coierint, nec Vir, nec Uxor, nec Nuptiæ nec Matrimonium nec Dos intelligitur. Itaque ii, qui ex tali coitu naſcuntur, tales ſunt, quales ſunt ii, quos mater vulgò concepit. Nam nec hi patrem habere intelliguntur, quum & iis Pater incertus ſit, unde ſolent SPVRII appellari ἀφ' ἑστίας τὴν ἀπορρὰν, & ἀπάτορες, quaſi ſine patre filii.

Eorum Parentum conſenſum requirit] Terent. in Adelph. Act. 4. Sc. 5.

Quâ ratione iſtuc? Quis deſpondit? Quis dedit?
Cui, quando nupſit? Auctor his rebus Quis eſt?

Quaſi ſine Patre Filii] Soli liberi ex juſtis nuptiis nati in patriâ erant poteſtate, & hinc vocabantur LEGITIMI. Reliqui omnes ILLEGITIMI dicebantur, & a priſcis Romanis duabus Literis S. P. ſignari ſolebant, quia erant SINE PATRE. Exemplum elegans hujus moris exſtat apud *Gruteri* Inſcriptiones, p. 434. 4.

C. MAMERCIO. S. P. F.
IANVARIO. Q. AED. PRAET. IIVIR. Q. IT.
P. PACCIVS. IANVARIVS. FILIO. NATVRALI
ET. MAMERCIA. GRAPTE. MATER. INFELICISS.
FILIO. ET. COGNATAE. PIISSIMIS. FECERVNT.

Hic enim C. Mamercius Januarius Paccii Januarii non Spurius, ſed filius naturalis, & in dignitate conſtitutus, adpellatur S. P. F. i. e. ſine Patre Filius.——Sic quia *Servii Tullii* ignorati ſunt Parentes, Seneca inquit——*Hoc ſubnotat duos Romanos Reges eſſe, quorum alter Patrem non habet, alter matrem. Nam de Servii matre dubitatur; Anci Pater nullus; Numæ Nepos dicitur.* Quæ verba obſervatu digna ſunt, quia luculenter illuſtrant loquutionem Scriptoris Epiſtolæ ad Hebræos, ubi dicit *Melchiſedecum* ἀπάτορα καὶ ἀμήτορα fuiſſe. Ita Plutarchus Quæſt. Rom. pag. 68. Διὰ τί τὰς ἀπάτορας ἀνειλεῖσθαι φοὺς καλοῦσι. Eurip. in Trag. Ion.

——— Ὡς γὰ ἀμήτωρ,
Ἀπάτωρός γε γεγὼς, τὸν θρέψαντα
Φοῖβα νάὸς θεραπεύω.

———*Nam tanquam incertâ matre,*
Et incerto Patre natus, illud, quod me aluit,
Phœbi templum colo.

Ad-

20. Recte contracta Matrimonia ſolvuntur, vel *morte*, vel *Divortio*.

21. Divortium eſt Diſſolutio matrimonii eo animo facta, ne divertentes unquam iterum conjungantur.

22. Fiebat olim Divortium vel *bona gratiâ*, cùm mutuo conſenſu diſcederent-----Vel *malâ gratia*, cum invita altera parte ob culpam ſeu cauſam ejus diſcederetur. Cauſas autem ejuſmodi Jus Civile, etiam noviſſimum, complures & leviores agnoſcit. Jus Canonum nullas, permittens tantum ſeparationem THORI & MENSÆ, quod propriè Divortium non eſt.

Addantur hæc Horatiana e Lib. 1. Sat. 6.

——Perſuades hoc tibi verè
Ante poteſtatem Tulli, atque ignobile regnum,
Multos ſæpe viros NVLLIS MAIORIBVS ortos
Et vixiſſe probos, amplis & honoribus auctos.

Erant illegitimi quatuor generum——Alii naturales ex Concubinâ, vel viduâ, aut Virgine ſtuprata——Alii ſpurii ex Meretrice——Alii ex Adultera ——Alii denique ex inceſtuoſis amplexibus nati erant.

Divortium] Quamvis Divortia viris permitterent leges, non tamen ullum Romæ exſtitit exemplum ante annum ab V. C. circiter quingenteſimum, quo primus uxorem ob ſterilitatem dimiſit *Sp. Carvilius Ruga*. At poſtea frequentiſſima Romæ fuere Divortia, & quidem non ſolum ob cauſas alicujus momenti, verum etiam ob leviſſimas. Fiebat olim Divortium non ſine ſolemnitate, at poſtea invaluit, ut paucioribus adhibitis Cæremoniis diſſolveretur Matrimonium. Primo, confringebantur Tabulæ dotales, ut patet ex Tacit. Ann. XI. 30.——*Frueretur imo iis, & redderet uxorem, rumperetque tabulas nuptiales*. Eæ enim Tabulæ ut matrimonio firmando, ſic etiam diſſolvendo inſerviebant. Juv. Sat. 9.

——TABVLAS quoque RVPERAT, & jam
Signabat.

Deinde adimebantur claves; Quemadmodum enim novæ nuptæ ingreſſæ domum Mariti claves in ſignum communicati cum eâ Dominii tradebantur; ita clavibus ademptis dirimebantur Connubia. Tum porro dicebantur ſolennia verba; His enim omnino opus fuiſſe vel inde patet, quod Cic. de Orat. 1. 40. ait——*Certis quibuſdam verbis, non novis nuptiis, fieri cum ſuperiore Divortium*. Verba vero illa hæc erant RES TVAS TIBI HABETO, vel TVAS RES TIBI AGITO, eaque pronunciare plerumque ſolebat Libertus. Juv. Sat. 6. v. 145.

Collige Sarcinulas, dicet LIBERTVS, & EXI,
Jam gravis es nobis, & ſæpe emungeris; EXI
Ocyus, & propera; ſicco venit altera naſo.

Solebant

23. Secundus modus acquirendi Patriam poteſtatem eſt LEGITIMATIO, quæ eſt Actus legitimus, quo liberi naturales fiunt legitimi.

24. Naturales autem liberi hic dicuntur, qui ex concubinâ nati ſunt. Concubina autem erat mulier vilioris conditionis, quam quis uxorem non habens loco uxoris in domo habebat, dignitate & animi deſtinatione ab uxore differentem.

25. Ergo extra Concubinatum (qui per leges nomen aſſumpſit) nati, ſive ex meretrice, qui patrem certum demonſtrare non poſſunt, ſive ex ſtupro, Adulterio, Inceſtu, jure Romano non legitimantur.

26. Legitimandi autem modi potiſſimum tres in jure obſervantur. 1. Oblatio Curiæ. 2. Subſequens Matrimonium. 3. Reſcriptum Principis.

27. Oblatio Curiæ fiebat, cum Pater filium naturalem ad munus Decurionum (qui in municipiis inſtar Senatorum, multiſque

Solebant etiam nuncium mittere conjugi, eaque ſpeciatim dicebatur RENVNCIATIO Matrimonii.——Ut Matrimonium vero ſolvebatur *Divortio*, ſic Sponſalia ſolvebantur *Repudio*. In repudiis ſponſæ mittendis ſolennia erant verba——TVA CONDITIONE NON VTOR.

Concubina autem erat] Quamvis & licita, nec inhoneſta Romanis hæc conſuetudo videretur, paulatim tamen evanuit Concubinatus, poſtquam Chriſtiana Pietate indignus videri cœpit.

Ad munus Decurionum] In pleriſque Municipiis ea fuit inſtituta Reipublicæ forma, quæ imaginem quandam ſpeciemque Reipublicæ Romanæ referret. Quemadmodum Romæ *Senatus*, ita in municipiis *Decurionum* erat Collegium, quod ampliſſimum ordinem vocat Cic. pro Cœlio. XI.——*Nam quod eſt objectum, Municipibus eſſe Adoleſcentem non probatum ſuis, nemini unquam præſenti PVTEOLANI majores honores habuerunt, quam Abſenti M. Cœlio, quem & abſentem in AMPLISSIMVM ORDINEM cooptarunt.* Quemadmodum porro Romæ erant *bini Conſules*, ita in Municipiis *Duumviri*, item Dictatores, Quæſtores, Cenſores, imo & Prætores. In Municipiis etiam leges ferebantur, ut patet ex Cic. de Leg. III. 16.——*Et Avus quidem noſter ſingulari virtute in hoc municipio, quoad vixit, reſtitit M. Gratidio, cujus in matrimonio Sororem, Aviam noſtram, habebat, ferenti legem Tabellariam.*—— Denique & Flamines ſuos habebant, non ſecus ac Romani, quorum meminit Cic. pro Milon. 10. & publica Vectigalia, quibus ſumptus in Republica neceſſarii ſuſtinebantur, ut adeò in omnibus videantur Municipes ſe ad Romanæ Reip. formam, quantum fieri poterat, compoſuiſſe.

Multiſque nexibus & oneribus obnoxii erant] Abhorrebant adeo omnes a Decu-

nexibus, & oneribus obnoxii erant,) ſubeundum, vel filiam naturalem Decurioni nubendam offerret.

28. Secundò fit Legitimatio, cum Pater Concubinam, ex qua liberos habet naturales, uxorem ducit.

29. Tertiò fit Legitimatio, cum Pater, vel ipſi Liberi naturales Imperatori preces offerunt, prolato ſimul teſtamento Patris, in quo hæredes ſcripti ſunt, petuntque jura legitimorum liberorum, cumque Princeps his deſideriis annuit.

30. Cæterum cum Pater filium vel filiam in inſtrumento publico vel privato, cui tres teſtes ſubſcripsêre, vel in teſtamento, vel apud acta appellaverit ſine mentione, quod nothus ſit, non legitimâſſe, ſed matrimonium præcedens agnoviſſe cenſetur.

Decurionum munere, ut jam Trajani temporibus multi inviti fierent Decuriones ut patet ex Plin. Epiſt. Lib. 10. Epiſt. 114.

TRAIANUS PLINIO.

——*Honorarium Decurionatus omnes, qui in quaque civitate Bithyniæ Decuriones fiunt, inferre debeant necne, in univerſum a me non poteſt ſtatui. Id ergo, quod ſemper tutiſſimum eſt, ſequendam cujuſque civitatis legem puto: ſcilicet adverſus eos, qui INVITI fiunt Decuriones, exiſtimo id acturos, ut erogatio cæteris præferatur.*——

JUS ANGLICANUM.

Sponſalia privata, vel ſine ſolennitate perſonarum contrahentium conventio, ſunt vel DE FVTVRO, quando aliqui ſe futuros conjuges ſpondent; vel DE PRÆSENTI, quando per verba de præſenti Viri & Mulieres quoad matrimonium ſimul in ſe invicem conſentiunt. Nuptiæ ſunt, cum in facie Eccleſiæ (Bannis prius legitimè denuntiatis) Vir & Mulier, Parocho interrogante, per verba, & cæremonias uſitatas ſe Maritum & uxorem ſolenniter profitentur, & tales a Parocho cum benedictione pronunciantur.

Obſervandum eſt, quod Nuptiæ celebrari debent in Eccleſiis vel Capellis, ubi altera pars contrahentium habitat, tempore divinorum inter horas octavam & duodecimam ante Meridiem, & quod ante Nuptiarum celebrationem tribus Diebus Dominicis, vel feſtivis tempore divinorum in eccleſiis, ubi contrahentes habitant, futuri Matrimonii Denuntiationes fiant; niſi ut aliter fiant, ab Ordinario diſpenſatum fuerit.——Cum vero plura ſint Impedimenta quæ de jure Canonico Matrimoniis obſtant, Statutis declaratur, quod omnes perſonæ legitimæ ſint ad matrimonium contrahendum, qui divino jure contrahere non prohibentur, & quod nulla prohibitio ultra gradus Leviticos Matrimonium impediat.

Parentum Conſenſus apud nos non tam neceſſarius eſt, ut Contractum Matrimonialem inter Liberos *de præſenti* perfectum defectus ejus ſolvere poſſit.

TIT. XI.

De Adoptionibus.

1. Tertius modus acquirendi patriam Poteſtatem eſt ADOPTIO, quæ eſt Actus legitimus, quo liberos alienos non invitos in jus liberorum noſtrorum adſciſcimus.

Duo ſunt Matrimonii apud nos Conſequentia vel Effecta: quorum prius eſt, ut bona mobilia (a noſtris CATALLA PERSONALIA dicta,) quæ uxor adducit, in Viri ſui patrimonium ſtatim omnia ſine diſcrimine coaleſcant & quaſi abſorbeantur. —— Alterum vero nuptiarum conſequens eſt Dos illa legitima ſive rationabilis, cujus nomine tertiam partem Tenementorum terrarumque omnium, quas Vir Feudi jure poſſedit, ad vitam ſuam vendicat. Si tamen Virum læſæ Majeſtatis, aut Feloniæ convinci contingat, Dotem ſuam Uxor amittit.

Qui ob Matrimonii nullitatem ſeparantur, DIVORTIO dirimi propriè a noſtris Juriſperitis dicuntur; cum ob aliam aliquam cauſam, THORI tantum & MENSÆ ſeparatio fit, vinculo Matrimoniali firmo nihilominus permanente.

Si adverſus Jus Leviticum aliqui coiverint, nec Vir, neque Uxor, nec Nuptiæ, nec Dos intelligitur. Et qui ex tali coitu naſcuntur naturales tantum ſunt.

Qui ex coitu illicito procreantur apud nos nullo modo fieri poſſunt legitimi. Hinc *FORTESCVTVS de laudibus legum Angliæ.* Cap. 39. — *Prolem ante Matrimonium natam, ita ut poſt, legitimam Lex Civilis & ſuccedere facit in Hæreditate Parentum; ſed prolem, quam Matrimonium non parit, non ſinit Lex Anglorum; naturalem tantum eam eſſe, & non legitimam, proclamans.* —— *Ex quo conſiderare licet, quanto zelo Lex Angliæ illicitos proſequitur concubitus, dum ex eis editam prolem nedum judicat non eſſe legitimam, ſed & ſuccedere prohibet in Patrimonio Parentum; fortius ergo, firmiuſque repellit peccatum, quam Lex prædicta Civilis, quæ citò, & quaſi inultum Luxuriæ crimen remittit.* ——

ADOPTIO,] Cur inventa a Romanis ſit Adoptio, & cur ea Romæ frequentius, quam uſquam terrarum, ſit uſurpata, paulo altius eſt repetendum.

1. Romanæ Familiæ habuerunt ſua ſacra privata, ſuos focos, & aras domeſticas, & ferias. De iis ſacris quum eſſet lege decemvirali conſtitutum, SACRA PRIVATA PERPETVO MANENTO, omnia ſane agebant Romani, ne ſacra illa gentilia interirent. Quare *Clodium* hoc nomine graviter reprehendit *Cicero*, quod effecerit *ut Sacra Clodiæ gentis interirent.* Hinc, ſiqui ex juſtis uxoribus liberos haud ſuſtuliſſent, ii adoptabant extraneos, qui tunc in SACRA & GENTEM TRANSIRE dicebantur.

2. Altera acceſſit ratio, pœnæ nimirum orbitati, præmiaque τῇ πολυπαιδίᾳ propoſita. Ne ergo Parentes ἄπαιδες, aut orbi, vel præmiis iſtis exciderent, vel pœnas darent, alios adoptabant. Quin adeò fraudulenter poſtea Romani hac in re egerunt, ut, quum per legem Papiam trium liberorum Parentes reliquis in honorum petitione præferrentur, ii, quibus iſte liberorum numerus

2. Videndum autem 1. quot modis fiat Adoptio, & quæ ſit forma & effectus ſingularum ſpecierum adoptionis. 2. Qui iſtis modis adoptare. 3. Qui ita adoptari poſſint.

3. Quod primum caput attinet, Adoptio duplex eſt, vel Adoptio in ſpecie dicta, vel Arrogatio.

4. Adoptio in ſpecie dicta eſt, qua perſona in alterius patris ſive naturalis, ſive adoptivi poteſtate conſtituta, auctoritate Ma-

numerus deerat, per adoptionem ſibi quærerent liberos, eoſdemque deinde, (ne oneri eſſent) ubi honoribus potiti eſſent, ſtatim emanciparent. Tacit. Annal. xv. 19.——*Percrebuerat ea tempeſtate praviſſimus mos, cum propinquis Comitiis, aut ſorte Provinciarum, plerique orbi fictis adoptionibus adſciſcerent filios, Præturaſque, & Provincias inter patres ſortiti ſtatim emitterent manu, quos adoptaverant. Qui magna cum invidia ſenatum adeunt, jus naturæ, labores educandi adverſus fraudem & artes, & brevitatem adoptionis enumerant; Satis pretii eſſe orbis, quod multa ſecuritate, nullis oneribus, gratiam, honores, cuncta prompta & obvia haberent. Sibi promiſſa legum diu exſpectata in ludibrium verti, quando quis ſine ſolicitudine parens, ſine luctu orbus, longa patrum vota repentè adæquaret. Factum eſt ex eo S. C. ne ſimulata Adoptio in ulla parte muneris publici juvaret, ac ne uſurpandis quidem hæreditatibus prodeſſet.*——

3. Si quis patricii ordinis Tribuniciam poteſtatem ambiret; utVoti fieret compos, Plebeio cuidam ſe adoptandum dabat. Exemplum hujuſmodi fraudulentæ Adoptionis præbuit *P. Clodius* — Simile dedit *Dolabella*, qui ob eandem cauſam in Gentem Liviam plebeiam tranſiit.

Erant vero Adoptiones duorum generum. Aliæ ADROGATIONES, aliæ ADOPTIONES ſtrictiore ſenſu dicebantur. Illis *homines* ſui juris; his *liberi alieni* in alterius poteſtatem, gentem, nomen, & ſacra tranſibant.

Antiquiſſima videtur fuiſſe Adrogatio ſic dicta a ROGATIONE ad populum lata. Arrogati vero tam jure legeque filii erant ejus, qui adoptaverat, ac ſi ex eo patre matreque familias ejus eſſent nati. Adoptionem ſequebatur hæreditas nominis, pecuniæ, ſacrorum, teſte Cicerone pro Domo. XIII. ubi exagitatur Clodius a Fonteio adoptatus, quod in ea adoptione nihil legitimè factum ſit ſiquidem *neque Fonteius eſſet, quod eſſe debebat, neque Clodius Patris adoptivi Hæres, neque amiſſis ſacris paternis in adoptiva pervenerit.* Immo, quemadmodum Patricii adoptati a plebeiis ad plebem tranſibant; ita plebeii adoptati a Patriciis horum conſequebantur nobilitatem ac privilegia, quod demonſtratur exemplo Cn. Cornelii Coſſi qui ex Licinià, plebeia familia, adoptatus in patriciam Corneliam *Tribunus militum Conſulari poteſtate* fuit, ad quam dignitatem anno demum ſequente plebeiis via patuit teſte Livio 5. 12. Demonſtratur idem exemplo *Liviæ*, quam Tacitus Annal. 5. 1. *NOBILITATIS per Claudiam Familiam, & ADOPTIONE Liviorum, Juliorumque clariſſimæ* fuiſſe ait; & Auguſti de quo Ovid. Faſt. 4. v.21.

Hic ad Te magna deſcendit imagine menſis,
Et fit ADOPTIVA NOBILITATE Tuus.

ſtratus adoptatur: ſive ab aſcendente, quo caſu tranſit in poteſtatem Adoptantis; ſive ab extraneo, quo caſu non tranſit, nec filius-familias fit, licet filius fiat.

5. Arrogatio eſt Adoptio, qua Perſona SVI IVRIS, olim auctoritate populi, poſt Principis, in filium-familias aſſumitur, ita ut ipſe cum liberis omnique fortuna in poteſtatem Arrogatoris tranſeat.

6. Multum ergo & ratione perſonæ adoptandæ, & ratione Auctoritatis & modi, & ratione effectus differunt Adoptio & Arrogatio.

7. Quod autem ad ſecundum caput, ſive perſonas adoptantes, & arrogantes pertinet; in illis requiritur 1. juſta ætas, ut non tantum Pater Adoptans plena pubertate, hoc eſt 18. annis major ſit filio (nam Adoptio naturam imitatur) ſed ut ipſe pater non ſit minor 60. annis, niſi ex causâ fortè juniori adoptare permittatur. 2. In patre requiritur, ut careat vitio, quod generationem perpetuo impedit. 3. Ut ſint mares, & patriæ poteſtatis capaces. Excluduntur ergo Fœminæ, quæ tamen ob ſolatium liberorum amiſſorum, permittente Principe, adoptant quidem, at non ut patriam Poteſtatem conſequantur; ſed tantum jus vocandi, educandique liberos, & Succeſſores ab inteſtato habeant. 4. Ut neque Tutor, neque Curator fuerit Adoptans.

Ita ut ipſe cum liberis] Tacit. Annal. Lib. 4. cap. 57. *Dubitaverat Auguſtus Germanicum Sororis nepotem, & cunctis laudatum Rei Romanæ imponere, ſed precibus uxoris evictus Tiberio Germanicum, ſibi Tiberium adſcivit.* ADSCISCERE autem eſt vocabulum Adoptionis.——Suet. in Tib. cap. 15. ſcribit *Tiberium prius coactum fuiſſe Germanicum adoptare, quam ipſe ab Auguſto adoptaretur.*——Hadrianus vero Antoninum Pium hac lege adoptavit, ut ille Marcum & Verum ſibi adoptaret. Capitol. in Ant. ——

Excluduntur ergo Fœminæ] Quum liberâ Republica mulieres adoptare nondum poſſint, ſolebant eæ tamen jam eo tempore hæredes ex lege inſtituere, ut nomen ſuum ferrent. Exemplum eſt apud Cic. Epiſt. ad Attic. 7. 8. ——*Dolabellam video Liviæ teſtamento cum duobus co-hæredibus eße in Triente, ſed juberi mutare nomen: eſt* πολιτικὸν σκέμμα, *rectumne ſit nobili Adoleſcenti mutare nomen mulieris teſtamento, ſed id* φιλοσοφώτερον διευκρινήσομεν *cum ſciemus, quantum quaſi ſit in Trientis Triente.*

8. Quantum

8. Quantum ad tertium caput; requiritur in perſona adoptandâ, 1. ut ſit libera. Servus, ſi adoptetur, non fit filius, ſed liber. 2. Ut ratione ætatis & conditionis per naturam poſſit eſſe filius adoptantis.

9. Poteſt & Pubes, & ex conſtitutione Antonini impubes adoptari & arrogari. In arrogatione tamen impuberis, & major cautio, & effectus ſingulares notandi. Et 1. quidem accuratior cauſæ cognitio hic requiritur; imprimis an arrogatio illa impuberi ſit honeſta & utilis, & an ex naturali affectione procedat. 2. Ut Arrogator ſatiſdet, ſi infra pubertatem pupillus deceſſerit, reſtiturum ſe bona illis, qui, ſi adoptio facta non eſſet, ſuccedendi jus haberent. Effectus ſingulares ſunt etiam 1. circa Emancipationem & exhæredationem ex juſtâ causâ, quo caſu Pater filio tantum bona ſua reddit. 2. Circa Emancipationem & exhæredationem ſine cauſa, quo caſu emancipatus ſive exhæredatus & ſua, & quartam partem patris arrogatoris bonorum accipit.

TIT. XII.

Quibus modis jus patriæ poteſtatis ſolvitur.

1. Patria poteſtas ſolvitur potiſſimum tribus modis. 1. Morte. 2. Emancipatione. 3. Dignitate.

2. Mors eſt vel *naturalis* tum patris, tum filii, quæ utraque poteſtatem patriam ſolvit; vel *Civilis*, cum pater aut filius deportatur, aut ſive pœnæ, ſivè alterius Servus fit.

JUS ANGLICANUM.

Hic Romanus adoptandi mos, aut a nobis nunquam receptus eſt, aut jampridem evanuit. Audivimus quidem de illâ Adoptione apud nos, quam Romani in uſu habuerunt, ſed privata Adoptantis, & Adoptati voluntate, & conventione, magis quam aliquo jure, communiri viſa eſt. Apud nos liberum eſt, ut terras a nobis perquiſitas, vel etiam a majoribus deſcendentes, (niſi ſaltem conditionaliter datæ, ſive ut nos loquimur INTALLIATÆ fuerint,) cuicunque ſive agnato, ſive cognato, ſive etiam extraneo dare poſſimus, liberis etiam noſtris nihil impedientibus

Sive alterius ſervus ſit.] Non modo ſervi, ſed & Peregrini nec habere, nec eſſe poterant in patriâ Poteſtate, ut patet ex Plin. Epiſt. 10. 6.

PLINIVS

3. *Emancipatio* eſt Actus legitimus, quo liberi de manu ſive poteſtate Patris dimittuntur. Eaque eſt 1. vel *legitima*, quæ ſecundum LL. 12. Tabb. per imaginarias venditiones, & intercedentes manumiſſiones fiebat, qui modus, velut liberis injurioſus, ſublatus. 2. *Anaſtaſiana*, quæ ſecundum conſtitutionem Anaſtaſii auctoritate fit Principis: Vel 3. *Juſtinianea* quæ fit auctoritate Magiſtratus.

4. Videtur & quædam præſumpta Emancipatio, cum Pater vel infantem exponit, vel filium diu paſſus ſit ut Patrem Familiæ vivere.

5. Regulariter autem nec inviti Parentes emancipant, nec inviti liberi emancipantur, aut familia ejiciuntur, niſi utrumque forte juſtam ob cauſam fiat.

PLINIVS TRAIANO.

Proxima infirmitas mea, Domine, obligavit me Poſthumio Marino Medico, cui parem gratiam referre beneficio tuo poſſum, ſi precibus meis ex conſuetudine bonitatis tuæ indulſeris. Rogo ergo, ut propinquis ejus des civitatem, Chryſippo Mithridatis, uxorique Chryſippi Stratonicæ Epigoni, item liberis ejuſdem Chryſippi Epigono & Mithridati, ITA VT SINT IN PATRIS POTESTATE, atque iis in libertos ſervetur jus Patronorum. Item rogo indulgeas jus Quiritium L. Satrio Abaſcantio, & P. Cæſio Phoſphoro, & Pancharіæ Soteridi, quod a Te, volentibus Patronis, peto.

Emancipatio] Emancipatio (apud Græcos χειραφετία, ἐξοικείωσις, & ἐκποίησις) eſt legis actio, quâ quis apud competentem judicem de Patris poteſtate dimittitur. *Mancipare* autem vel *mancipio dare* propriè ſignificat proprietatem rei alicujus alicui tradere, unde eleganter *Lucretius* 3. v. 985.

Vitaque MANCIPIO nulli DATVR, omnibus VSV.

Et *Plaut. Syrus Mimographus.*

Fortuna VSV DAT multa, MANCIPIO nihil.

Et *Hor.* Epiſt. 2. Lib. 2.

Quædam, ſi credis Conſultis, MANCIPAT VSVS.

Veteres vero non minus verbo emancipare quam mancipare utuntur pro mancipio dare, tradere, vendere, alienare. Cic. de Senect. —*Ita Senectus honeſta eſt, ſi nemini EMANCIPATA eſt.*—

Hor. Epod. 9. v. 12.

Romanus (eheu! Poſteri negabitis;)
EMANCIPATVS Fœminæ
Fert vallum & arma miles.——

i. e. δεδουλώμενος τῇ γυναικί.——

6. Dignitas

6. Dignitas autem jure antiquiſſimo nulla, ſecundum Juſtinianum ſola Patriciatus, hoc eſt, eorum qui Principi a conſiliis, & inſtar Patrum erant, tollebat Patriam poteſtatem; quod tandem productum ad omnem Dignitatem, quæ a curiâ liberat, & nominatim ad Epiſcopatum.

7. Adoptio propriè non eſt modus tollendi patriam Poteſtatem, licet qui aſcendenti filium ſuum adoptandum dat, jus ſuum amittat.

8. Nec Captivitas ad hos modos pertinet. Sive enim ab hoſtibus captus revertitur, jure Poſtliminii omnia recuperat; ſive apud eos decedit, Lege Cornelia ſtatim, cum captus eſt, mortuus eſſe fingitur.

Sola Patriciatus] Stante Republicâ *Patricii* dicebantur, qui eorum Senatorum Progenies erant, quos Romulus creaverat. Antiquiſſimæ quoque cujuſque Senatoriæ Familiæ liberi ætate *Livii* Patricii appellabantur. Verum longè aliter Patricii in Conſtitutionibus recentiorum Impp. accipiendi ſunt. Nam tranſlato *Conſtantinopolin* imperio cœpere Principes ex Senatoribus, qui Curulibus Magiſtratibus functi erant, ſibi Conſiliarios, & quaſi PATRES eligere, quos PATRICIOS dici placuit, quaſi Patres communis Reipublicæ.

Hæc appellatio *Claudiano* lepidi joci materiam tribuit. Is enim in *Eutropium* Patricium, cujus bona publicata, & in fiſcum coacta erant, ſic ludit.

Direptas Quid plangis opes, quas Natus habebit?
Non aliter poteras Principis eſſe PATER.

Jure Poſtliminii] Ad jus Poſtliminii nihil intereſt, quomodo captus revertatur, utrum dimiſſus, an vi, vel fallacia, aut victis poſtea hoſtibus, ſive ut Homerus Odyſſ. v. 14.

Η δόλῳ, ἠὲ βίῃ, ἢ ἀμφαδόν, ἠὲ κρυφηδόν.

Ita tamen, ſi eâ mente fuerit, ut illuc non reverteretur. Et ideo reſponſum eſt Regulum non eſſe poſtliminio reverſum, quia juraverat ſe Carthaginem reverſurum.—— Cic. Lib. 1. de Orat.—— *Similique in genere inferiore ordine, ſi quis apud nos ſervîßet ex populo fœderato, ſeque liberâſſet, ac poſtea domum revenißet, quæſitum eſt apud majores noſtros, num is POSTLIMINIO rediiſſet, & amiſiſſet hanc civitatem.*——Idem in Topicis.—— *Scævola autem P. Filius junctum putat eſſe verbum ut ſit in eo & POST & LIMEN, ut quæ a nobis alienata ſunt, quum ad hoſtem pervenerint, ex ſuo tanquam limine exierint, hinc quum redierint ad idem limen, POSTLIMINIO videantur rediiſſe.*——

JUS ANGLICANUM.

Ut tam arctus non eſt apud nos Patriæ poteſtatis nexus, quam apud Romanos fuit, ſic neque eſt tam ſolennis ejuſdem per emancipationem ſolutio.

Nam

TIT. XIII.

De Tutelis.

1. Tranſeamus nunc ad aliam diviſionem perſonarum. Homines ſui juris vel ſunt in *tutela* aut *curâ*, vel *neutro jure* tenentur.

2. *Tutela* eſt Vis & poteſtas in capite libero, ad tuendum eum, qui per ætatem ſe nequit defendere, jure civili data & permiſſa.

3. Eſtque triplex. *Teſtamentaria*, *Legitima*, vel *Dativa*.

4. *Teſtamentaria* propriè dicta eſt, cum Pater liberis impuberibus, ſive natis, ſive poſthumis in poteſtate ſuâ conſtitutis teſtamento, vel codicillis teſtamento confirmatis, tutorem dat.

Nam nihil inter noſtros reperio, quod prohibet filium, vel filiam, cum annum viceſimum primum impleverit, vel invito patre eſſe ſui juris. Certum eſt eos tum poſſe cum quocunque contrahere, & ex quocunque contractu non minus quam ſexagenarium obligari. Hæc enim ætas apud nos plena eſt maturitas.

Cum Pater liberis impuberibus] Tutela impuberum adeò antiqua eſt, ut & ſub Regibus exemplum reperiatur. *Ancum* enim *Martium* Filiis Tutorem dediſſe *L. Tarquinium Priſcum* adparet ex Liv. 1. 46. ——*Notitiamque eam brevi apud Regem liberaliter, dextréque obeundo officia in familiaris amicitiæ adduxerat jura, ut publicis pariter ac privatis conſiliis bello, domique intereſſet, & per omnia expertus poſtremo Tutor etiam liberis Regis teſtamento inſtitueretur.*——Quum ergo *Tarquinius* nec agnatus fuerit, nec eo tempore Leges de Tutelâ dativâ exſtarent, adeoque ea Tutela proculdubio teſtamentaria fuerit, ſequitur ut hæc ſit reliquis antiquior.

Legibus XII. Tabb. ea tutelæ ſpecies confirmata eſt, proſpectumque ut Patri de liberorum tutelâ in teſtamento diſponendi facultas eſſet.

PATER FAMILIAS VTI LEGASSIT SVPER PECVNIÆ
TVTELÆVE SVAE REI, ITA IVS ESTO.

Obſervandum eſt

1mo Quod LEGARE hic non ſolum ſingulas res teſtamento relinquere, ſed &c. omne Teſtamentarium negotium denotat, idemque adeo eſt, ac teſtari, Teſtamento ſtatuere vel decernere.

2do SVPER pecuniæ, tutelæve ἀρχαικῶς dicitur. Non enim rarum fuit apud antiquos caſum ſecundum pro ſexto adhibere. Sic in Marmore *Salernitano* apud Grut. P. CCCXLIII. 2.

ACERRIO. FIRMEO. LEONTIO. PRIMARIO. VIRO
ET. EDITORI. MVNERIS. SVI. CVM FERARVM
LIBYCARVM. QVI. VIXIT. ANN. XXX.
DIGNISSIMO. FILIO.
CONSACRABERVNT.

3^tio^ Quod

5. Quaſi teſtamentaria, non verè teſtamentaria ergo eſt Tutela, cum Pater emancipatis filiis, vel aliis quidem, ſed Codicillis non confirmatis teſtamento tutorem dat, qui tamen ſine inquiſitione a Magiſtratu confirmandus eſt: nec non cum mater liberis hæredibus inſtitutis tutorem dat cum inquiſitione a Magiſtratu confirmandum.

TIT. XIV.

Qui teſtamento Tutores dari poſſunt.

1. Magna autem eſt Poteſtas patris in dando Tutore: tum quod perſonas attinet, quas dat: tum quod modum, ad quem dat.

2. Dari enim teſtamento poſſunt Tutores omnis generis Viri, non tantum Patres, ſed & Filii-familias; qui in ejuſmodi publicis muneribus pro Patribus habentur. Sed & furioſus, minor, & Servus Tutores teſtamento dari poſſunt: quanquam quam diu eo ſtatu ſunt, officium ſuſcipere aut facere non poſſint. Interim enim, dum furioſus nondum mentis compos factus eſt, nec minor ætatem 25. Annorum complevit, Curator a Magiſtratu datur, qui dati Tutoris officio fungitur, & Tutor etiam quandoque dicitur.

3. Servus autem proprius Tutor datus directam, alienus fidei-

3tio Quod *Pecunia* non ſolum nummos, ſed & omnem ſubſtantiam Teſtatoris, imò & jura complectitur.

Denique SVÆ REI dum additur, id ſane referendum eſt ad liberos, qui jure veteri erant in Dominio Quiritario, adeoque res Mancipi.

Formula vero dandi Tutoris teſtamento hæc erat—TVTOR ESTO, vel TVTOREM DO.

JUS ANGLICANUM.

Tutelæ verbum non frequens eſt apud nos, ſed CVSTODIÆ potius. Nam ut multas juris ſpecies a Normannis, ſic etiam & Dictiones mutuati ſumus. Illi autem (GARDIAN) eum appellant, quem Romani Tutorem; vel potius Tutorem, & Curatorem unicâ hac appellatione comprehendunt; in quo nos quoque eos imitamur, eum quem illi (GARDIAN) Cuſtodem vel Gardianum dicentes.

Cuſtodes itaque hos aliquando Patris voluntas, aliquando legis neceſſitas, aliquando Magiſtratus conſtituit.

commiſſariam accipit libertatem, etſi Teſtator libertatis mentionem nullam fecerit.

4. Ad modum tres pertinent regulæ. Tutor teſtamento dari poteſt ad certum tempus, vel ex certo tempore, vel ſub conditione, vel ante hæredis inſtitutionem. Interim dum dies vel conditio expectatur, datur alius a Magiſtratu.

5. Certæ rei vel cauſæ Tutor dari non poteſt, quia perſonæ, non cauſæ vel rei Tutor datur, niſi forte dandus ſit ob Patrimonium diffuſum, & difficultatem adminiſtrationis rei longius diſtantis.

6. Verba quibus teſtator Tutorem dedit, propriè ſunt accipienda. Unde filiis, & filiabus datus, etiam quidem poſthumis, ſed non nepotibus datus intelligitur. Liberorum & Poſterorum vero appellatione nepotes quoque continentur.

TIT. XV.

De Legitima Agnatorum Tutela.

1. Cum ſpes teſtamentariæ Tutelæ deficit, ſuccedit *Legitima*, quam Lex defert.

2. Lege autem 12. Tabb. ad Tutelæ onus vocatur proximus Agnatus, quod commodum hereditatis ab inteſtato habet.

JUS ANGLICANUM.

Dari Tutor Teſtamento poteſt, qui liberam habet rerum ſuarum adminiſtrationem; ille nimirum qui plenam ætatem aſſecutus compos mentis eſt. Sin aliquis conſtituatur vel minor, & memoriâ minus ſanâ exiſtens, is tum demum adhiberi debet, cum talis defectus ſublatus fuerit.

Vocatur proximus Agnatus] Quum poſſet contingere ut inteſtatus ſaltem quoad tutelam decederet Pater-familias, legibus decemviralibus ita erat conſtitutum.——

SI INTESTATO MORITVR, CVI SVVS HERES NEC ESCIT, AGNATVS PROXIMVS TVTELAM NANCITOR.

Ab hac lege LEGITIMA dicta eſt Tutela, ad quam Agnati ab ipsâ lege vocabantur.

Quænam ſit hujus legis origo, eruditis nondum liquet; Veteres autem Legiſlatores mirificè hic diſcrepârunt.

SOLON

3. Sunt autem Agnati cognati per virilis ſexus cognationem conjuncti, quaſi a patre cognati; veluti frater eodem patre natus, fratris filius, ex eoque nepos, & ſimiles. Horum conditio jure veteri in plurimis præſtabat conditioni Cognatorum ſpeciatim dictorum.

Solon agnatos a tutelâ prohibuit, veritus proculdubio ne hereditatem, quam ſperarent, capere mallent, quam expectare. Hinc potius cognatis credidit Pupillos, nec proximis tamen ſemper, ſed quoſcunque *Archontes* idoneos judicâſſent. Pupillorum vitæ conſulere ac cavere voluit hac lege, Μὴ ὀπτροπεύειν εἰς ὃν ἡ ἐσία ἔρχεται τῶν ὀρφανων τελευτησάντων.——Hanc *Solonis* legem in vitâ ejus refert *Diogenes Laertius*.——

Charondas contra ſejunctâ educationis, bonorumque cura, illam penes cognatos, hanc penes agnatos eſſe voluit, quum nec illi tollendi è medio pupilli, nec hi diſſipandarum facultatum ullam haberent cauſam.

Lycvrgvs agnatos proximos ad tutelam vocavit, forſan quod in tanta *Spartanorum* continentiâ & paupertate non admodum metuerentur inſidiæ---- Exemplum legitimæ agnatorum tutelæ eſt apud Herodotum Lib. 1. 65. ubi ipſe Lycurgus dicitur ὀπτροπεύσας Λεωβώτεω ἀδελφιδέος μὲν ἑωυτῦ, βασιλεύοντος δὲ Σπαρτιητέων, — *Tutor & idem Patruus Leobotæ Spartiatarum Regis*.——Spartanos ergo imitati videntur Decemviri, Lacedæmoniorum ſane non minus quam aliorum Græcorum inſtitutis in XII. Tabb. receptis. Satiſne vero prudenter eam Spartanorum legem civitate donarint Decemviri, alii viderint.——Non ſane tanta erat *Romanorum*, quanta *Laconum* continentia; non idem utrobique divitiarum contemptus. Hinc tot iniquiſſimi Heredipetæ, quorum characterem egregiè expreſſerunt Perſius Sat. 2. v. 12. 13.

——Pupillumve utinam, quem proximus Hæres
Impello, expungam!——

Juv. Sat. 6. v. 38.

——Tollere dulcem
Cogitat hæredem, cariturus turture magno,
Mullorumque jubis, & captatore macello.

——Sat. 12. v. 93.

Nec ſuſpecta tibi ſint hæc, Corvine: Catullus,
Pro cujus reditu tot pono altaria, parvos
Tres habet hæredes.——

Hor. Sat. Lib. 2. 5. v. 23.

——Captes aſtutus ubique
Teſtamenta ſenum; neu, ſi vafer unus & alter
Inſidiatorem præroſo fugerit hamo,
Aut ſpem deponas, aut artem illuſus omittas.

Vide etiam. Martialis Ep. Lib. 6. Ep. 63. & Lib. 8. Ep. 27.

4. Cognati autem in ſpecie dicti ſunt, per fœminini ſexus perſonas cognatione juncti, quique agnati jus ſuum aliqua capitis diminutione amiſerunt.

5. Uti enim Agnatorum prærogativa Jure Civili introducta eſt, ita ſecundum idem omni capitis diminutione tollitur: Quæ autem cognati ex jure naturæ habent jura, maxima, & mediâ tantum capitis diminutione tolluntur.

TIT. XVI.

De Capitis Diminutione.

1. Eſt autem *capitis Diminutio*, prioris ſtatus mutatio.

JUS ANGLICANUM.

FORTESCUTUS de laudibus legum Angliæ, Cap. XLIV.

Leges Civiles imo puberum tutelas proximis de eorum ſanguine committunt, agnati fuerint ſeu cognati, unicuique videlicet ſecundum gradum & ordinem, quo in hæreditate Pupilli ſucceſſurus eſt. Et ratio hujus legis eſt, quia nullus tenerius, favorabiliuſve infantem alere ſataget, quam proximus de ſanguine ejus. Tamen longè aliter de Impuberum cuſtodia ſtatuunt leges Angliæ. Nam ibidem —— Si Hæreditas, quæ tenetur in Socagio, deſcendat Impuberi ab aliquo agnatorum ſuorum, non erit impubes ille ſub cuſtodia alicujus agnatorum ejus, ſed per ipſos cognatos videlicet conſanguineos ex parte matris ipſe regetur. —— Et ſi ex parte cognatorum hæreditas ſibi deſcenderit, Pupillus ille cum hæreditate ſua per proximum Agnatum, & non cognatum ejus cuſtodietur, quouſque ipſe fuerit adultus. —— Nam leges illæ dicunt, quod committere Tutelam infantis illi, qui eſt ei proximè ſucceſſurus, eſt quaſi Agnum committere Lupo ad devorandum.

Eſt autem capitis Diminutio] Origo capitis Diminutionis a cenſibus Romanis videtur repetenda. Notum eſt Servium Tullium Regem univerſum populum Romanum in ſex claſſes, & CXCIII. centurias deſcripſiſſe, in quibus conſtituendis, non regionum urbis, aut communium ſacrorum, ſed opum, & facultatum iniit rationem. Unde in primam claſſem conjecit, qui CM. æris, aut majorem cenſum haberent. —— In ſecundam qui infra centum uſque ad LXXV. millia poſſiderent —— Tertiæ claſſis L. millium cenſum eſſe voluit, Quartæ XXV. millium, Quintæ XII. millium. —— In ſextam denique claſſem conjecti egeni & tenues, qui vel PROLETARII dicti, vel CAPITE CENSI. Illi, quod propagandâ tantum, alendâque prole rempublicam juvarent; Hi, quod præter CAPVT & nomen nihil admodum in cenſu profiterentur, id nomen adepti ſunt. Quemadmodum ergo CAPITE CENSI dicebantur, qui ſaltem jure libertatis & civitatis gaudebant, adeoque in cenſuales

ſuales tabulas referri poterant: ita Servi, Peregrini, Filii-familias CAPITE DESTITVI dicebantur, quod non poſſent in cenſum ſuo nomine referri. Sic de ſervis dicitur eos CAPVT NON HABERE; Et filiis-familias opponi conſtat LIBERA CAPITA. Sed & Capitalis pœna Romanis dicebatur non tantum illa, quæ ultimum inferebat ſupplicium, ſed quæ cenſu eximebat, adeoque vel Libertatem vel Civitatem perimebat. Quoties ergo quis quacunque de cauſa a tabulis cenſualibus delebatur, toties caput de civitate dicebatur eximi, & inde ejuſmodi ſtatus mutatio CAPITIS DIMINVTIO adpellabatur. Hanc ergo Capitis Diminutionem Jureconſulti in MAXIMAM, MINOREM ſive MEDIAM, & MINIMAM dividunt pro triplici hominis ſtatu, qui Romæ poterat mutari. Si quis non civitatis tantum, ſed & ipſius libertatis feciſſet jacturam, Diminutionem capitis MAXIMAM dicebatur paſſus, & hoc quidem contingebat,

I. Incenſis, i. e. iis, qui cenſum vel militiam ſubterfugerant.

II. Captis ab hoſtibus. Hinc Horatius Car. Lib. 3. Od. 5.

Fertur pudicæ Conjugis oſculum
Parvoſque natos, ut CAPITIS MINOR
Abs ſe removiſſe, & virilem
Torvus humi poſuiſſe vultum.

III. *Servis pœnæ*, ſive iis, qui atroci ſententiâ ad extremum ſupplicium damnati erant. Plin. Epiſt. x. 40. refert, *Nicomediæ & Niceæ quoſdam, qui vel in opus damnati, vel in ludum ſimiliaque his genera pœnarum, publicorum Servorum officio miniſterioque defunctos.* Capitali ſupplicio veteri jure nemo civium plecti poterat; commiſſo vero flagitio, quod morte expiandum videbatur, Quæſitores non civem capitis damnabant, (nec enim fas erat,) ſed civem eſſe negabant, SERVUMQVE vocabant POENÆ, ut vitam non tanquam civis amitteret, ſed tanquam ſervus.

IV. Libertis ingratis, quos Claudius Imp. revocabat in Servitutem. —— Suet. Claud. 25. —— *Ingratos, & de quibus Patroni quererentur revocavit in ſervitutem, advocatiſque eorum negavit ſe adverſus libertos ipſorum jus dicturum.* —— Hoc ex inſtituto Athenienſium tranſtulit Claudius, apud quos Libertate donati Patronum colere, eique lege conſtituta præſtare tenebantur hac lege.

Τὸς ἀπελευθερωθέντας μὴ ἀφίσασθαι π ἀπὸ τῶν ἀπελευθερώσαντων, μήτε ἕτερον ὑπαχέφεσθαι φροστάτην, ἢ ἃ κελεύσιν οἱ νόμοι ποιεῖν. ——

Si in hanc legem commiſiſſent Liberti, iis Ἀποστασὶς dica ſcribebatur ex hac lege.

Ἀποστασὶς γραφὰς εἶναι κατὰ τῶν ἀπελευθερωθέντων τοῖς ἀπελευθερώσασιν, ἐὰν ἀφιζῶνται τὶ ἀπ' αὐτῶν, ἢ ἕτερον ὑπαχέφωνται Προστάτην, καὶ ἃ κελεύσιν οἱ νόμοι μὴ ποιῶσι, ἢ τὸς μὲν ἀλόντας δέλους εἶναι, τὸς δὲ νικήσαντας τελέως ἤδη ἐλευθέρους. ——

V. Majoribus xx. annis, pretii participandi cauſa ſe venundari paſſis. Solebant enim Adoleſcentes male feriati ſe ipſos aliis vendendos dare, ac deinde proclamare ad libertatem. Exempla hujuſmodi fraudis in ſcenam produxit Plautus in Perſ. I. 3. v. 55. III. 1. IV. 3. v. 9.

VI. Ingenuis mulieribus ſervili amore bacchantibus. Auctor hujus juris Claudius Imperator fuit, ut patet ex Tacit. Ann. XII. 53. —— *Inter quæ refertur*

fertur ad Patres de pœna fœminarum, quæ ſervis conjungerentur, ſtatuiturque ut ignaro domino ad id prolapſæ in ſervitute; ſin conſenſiſſent, pro libertis haberentur.

MINORE ſive MEDIA capitis Diminutione civitatis tantum jura ſalvâ libertate perimebantur; adeoque ii qui erant in hanc conditionem delapſi ad peregrinitatem redigebantur. Et hujus quidem conditionis habebantur EXVLES, quibus aquâ & igne fuerat interdictum. Magna autem Romæ erat inter EXSILIVM & RELEGATIONEM differentia. Illud jura civitatis perimebat, quum relegatus ea ſalva haberet. Hinc Ovid. Triſt. 2.

Quippe RELEGATVS, non EXSVL dicor in illo,
Parcaque fortunæ ſunt tibi verba meæ.

Quam differentiam alibi ita deſcribit. Triſt. V. 2.

Nec vitam, nec opes, jus nec mihi civis ademit;
Nil niſi me patriis juſſit abeſſe focis.
Ipſe RELEGATI, non EXSVLIS utitur in me
Nomine. ——

Ad Exſilium quod attinet, Cives ad illud adigebantur AQVÆ ET IGNIS INTERDICTIONE, qui ritus paulò altius videtur repetendus.

Antiquiſſimum hoc erat juris Romani Principium, neminem poſſe invitum jura civitatis amittere. Cicero pro Domo. XXIX. — *Hoc juris a majoribus proditum eſt, ut nemo civis Romanus aut libertatem, aut civitatem poſſit amittere, niſi ipſe AVCTOR factus ſit.* —— Idem juris publici axioma multis verbis inculcat Cic. pro A. Cœcin. cap. 33. docetque ideo *Aretinorum* proſcriptionem, Sulla vivo, irritam fuiſſe, quod *Civitas adimi non poſſet.* Quamvis itaque Civitatis juribus nemo invitus privaretur, attamen ea ſtatim amittebantur, ſimul ac quis in aliam ſe civitatem aſcribi paſſus eſſet, quum ex veteri jure duarum civitatum civis nemo eſſe poſſet. Unde noluit *Atticus* Athenis civitatis jura ſuſcipere, ne Romanam civitatem amitteret. Quod ſi ergo quenquam e civitate ejectum vellent Romani, eum non vi expellebant, quod ex principio ſupra allato fieri non poterat, ſed illi TECTO, AQVA & IGNE interdicebant. Quibus neceſſariis vitæ ſubſidiis ademptis, ultrò exſilium eligere cogebatur damnatus. Quum itaque a nemine recipi poſſet, neceſſario in aliquam civitatem exteram ſe conferebat, eoque demum facto, civitatis jura amittebat. Hinc denuo Cic. pro Domo. XXX. —— *Qui erant rerum capitalium condemnati non prius hanc civitatem amittebant, quam erant in eam recepti, quo vertendi, hoc eſt, mutandi ſoli cauſa venerant. Id autem ut eſſet faciundum non ademtione civitatis, ſed tecti, & aquæ, & ignis interdictione faciebant.* Ergo ſi accuratè loqui velis non aquæ & ignis interdictione eximebatur caput de civitate, ſed adſcriptione in aliam civitatem in quam Exſul diſceſſerat. Hinc *Cic.* Oratione allegata negat ſe aquæ & ignis interdictione civitatis jura amiſiſſe, quia nulli ſe populo adjunxiſſet, ſed delituiſſet apud amicos. ——

Deinde huic aquæ & ignis interdictioni addebatur DEPORTATIO, quâ ipsâ quoque jura civitatis eodem modo amittebantur. Auctor illius inſtituti *Auguſtus*, cui ab exſulibus hinc inde diſperſis periculum imperio ſuo metuenti, *Livia* ſuaſerat, ut illos patriâ extorres inſulis includeret, & hinc poſtea nihil

2. Eſtque triplex, Maxima, minor ſive media, & minima, pro triplici ſtatu, ſeu conditione hominis, ſcilicet Libertatis, Civitatis, & familiæ.

3. MAXIMA eſt, cum quis libertatem, & conſequenter jus civium & omnia amittit, quod ſervis factis contingit.

4. MINOR ſive MEDIA eſt, cum ſalvâ libertate civitas, & conſequenter jus familiæ amittitur, quod fiebat aquæ & ignis interdictione, cui adjecta fuit Deportatio.

5. MINIMA eſt, cum ſalvâ libertate & civitate, familia amittitur, quod accidit emancipatis & arrogatis.

6. Ergo nec Manumiſſio Servi, nec Dignitatis Amiſſio, nec Relegatio, capitis Diminutio eſt.

nihil fuit iſta in Inſulas deportatione frequentius. Tacit. Annal. III. 68. *——Tum Lucium Piſonem ſententiam rogat. Ille multum de clementiâ Principis præfatus aqua atque igni Silano interdicendum cenſuit, ipſumque in INSVLAM Gyarum RELEGANDVM.* Annal. IV. 21. *Boniſque exutus interdicto igni atque aqua Saxo Seriphio conſenuit.*

Moleſta imprimis erat vel relegatio, vel deportatio in Gypſum Ægypti inſulam, itemque in Gyaros fumo notabiles Juv. Sat. I. 73.

Aude aliquid brevibus GYARIS, & carcere dignum,
Si vis eſſe aliquis.——

Et Oaſin inter Ægyptum & Cyrenas muſcis, & culicibus famoſam. — Omnes autem Exſules perinde habebantur, ac ſi eſſent qui eam ſententiam receperant morte mulctati. Unde & diem quo ab exſilio quis redierat NATALEM vocabant, tanquam quo vitam primum recepiſſent, itemque ALTERIVS VITÆ INITIVM. Ita & Athenienſes Patriæ reſtitutos exſules δευτεροπότμους, quaſi SECVNDA FATA ORSOS adpellabant.

MINIMA denique Capitis Diminutio jura familiæ atque Agnationis tollebat.

Obſervandum eſt, quod apud veteres MINVERE eſſet idem ac MVTARE. Terent. in Hecyr. Act. 4.

——Equidem cupio & vix contineo.
Sed non MINVAM meum conſilium.——

Idem in Andr. Act. 2. Scen. 3.

Nam hocce haud dubium eſt, quin Chremes
Tibi non det Gnatam, nec tu ea cauſa MINVERIS
Hæc quæ facis, ne is mutet ſuam ſententiam.

Pro triplici ſtatu] Hæc tria ſcitè Chremes apud Terent. in Eunucho Act. 4. Scen. 7. his verbis complectitur.

Dico eam eſſe LIBERAM, CIVEM ATTICAM, MEAM [SOROREM.

JUS

TIT. XVII.

De Legitima Patronorum Tutela.

1. Etſi Lex XII. Tabb. agnatum tantum ad tutelam verbis vocaret, ratio tamen ejus ſupra dicta etiam vocat Patronum, ejuſque liberos ad tutelam libertorum impuberum, quorum hæreditatem ſperare poterant; Ubi enim ſucceſſionis eſt Emolumentum, ibi & Tutelæ onus eſſe debet.

TIT. XVIII.

De Legitima Parentum Tutela.

1. Exemplo Patroni receptum eſt, ut Pater ſit legitimus Tutor filii, Nepotiſve impuberis emancipati. Nam & Parens manumiſſor Patronus videbatur, & filius manumiſſus libertus.

TIT. XIX.

De Fiduciaria Tutela.

1. Non quidem ratio Legis XII. Tabb. ſed cauſa fiduciæ efficit, ut mortuo Parente qui emancipaverat, liberi ejus perfectæ ætatis

JUS ANGLICANUM.

Diminutionem quam CAPITIS *Romani* appellarunt, & in tres ſpecies diſtribuerunt, non eodem modo *Angli* dividunt; ſed tacitè duplicem ſuis legibus agnoſcunt. Ejus, quam minimam illi dixerunt, Hi rationem nullam habent. Nam ut qui a Patre emancipantur, jus prioris familiæ non amittunt, quo minus ad ſucceſſionem ab inteſtato non recipiantur; ſic qui ab aliis adoptantur, jus novæ familiæ ex ſola conventione, aut expreſsâ adoptantium benignitate aſſequuntur, nullo legum ad majorem ſpem exſpectato auxilio.

Qui ſervi pœnæ ſunt, illi nimirum qui vel Læſæ Majeſtatis, vel Feloniæ judicium paſſi ſunt, omnia amittunt, quæ amitti poſſunt; non Civitatem tantum & libertatem, ſed & omnia ſua, atque vitam. Succeſſorem non habent præter Fiſcum, aut Dominum Feudi. Hos itaque MAXIMAM CAPITIS DIMINVTIONEM pati meritò dixerimus.

Apud nos certa ſunt Delicta, quæ REGNI ABIVRATIONE ſive exilio vindicantur; Hanc autem pœnam qui ſuſtinent MINOREM ſive illam quam MEDIAM Romani vocarunt capitis Diminutionem ſubire videntur.

tutores

tutores legitimi haberentur vel fratris, Sororiſve, vel cæterorum ſimilium emancipatorum.

2. Sed omnis hæc diſtinctio inter Agnatos & cognatos, nec non inter cauſas legitimæ tutelæ inutilis facta eſt, poſtquam *Juſtinianus* agnatorum & cognatorum jura in ſucceſſionibus & Tutelis exæquavit. Ad cognatum ergo qui proximus eſt, vel ſi plures ejuſdem gradus ſunt, ad omnes eos pertinet Tutela.

3. Sed & illud juris novi, & extraordinarium eſt, quod ad virile hoc munus, mater & Avia ſi velint, ſique renuncient ſecundis nuptiis & S.C. Velleiano, admittantur, omnibuſque aliis conjunctis præferantur.

TIT. XX.

De Attiliano Tutore, & eo qui ex Lege Julia & Titia dabatur.

1. Hæc de Tutela Teſtamentaria & Legitima, quæ cum omnino vel ad tempus ceſſat, Tutor datur a Magiſtratu.

2. Non autem olim apud Romanos omnis Magiſtratus jure ſuo exercebat hanc poteſtatem, ſed is cui hoc Lege, Senatuſconſulto, aut Principis conſtitutione, nominatim conceſſum erat. Olim in Urbe Romanâ a Prætore Urbano & majore parte Tribunorum Plebis ex L. *Attilia* dabatur Tutor, dictus inde *Attilianus*. In provinciis vero Romano imperio ſubjectis ex L. *Julia* & *Titiâ*

Si Senatuſconſulto Velleiano renuncient] Mulieribus peculiare beneficium tribuerunt edictis ſuis Auguſtus & Claudius, quibus occurrebatur imbecillitati mulierum, quæ conjugali amore atque inconſultâ facilitate ſeſe temerè implicabant. Itaque cavebatur ne virorum obligationes in ſe ſuſciperent, neve actioni, qua viri tenebantur, ſe ſubjicerent. *M.* tandem *Silano*, & *Velleio Tutore* Coss. ſubventum plenius fuit fœminis omnibus pro aliis quibuſcunque bonâ fide, non callidè, neque dolo intercedentibus, & alienis obligationibus, ſciente Creditore, conſentientibus.

Ex L. Atilia dabatur Tutor] Exemplum eſt apud Liv. XXXIX. 9. ubi Feſcennia Hiſpala poſt Patroni mortem, quia nullius in manu eſſet, Tutotorem a Tribunis & Prætore petiiſſe dicitur.——Ejuſmodi Tutor dictus eſt DATIVVS a formulâ qua Prætores uti ſolebant DO TE TVTOREM.——

Præſes Provinciæ tutorem conſtituebat. Quia tamen per has Leges non ſatis proſpectum erat Pupillis, cum Tutores abſque inquiſitione darentur, neque dati compellerentur ſuſcipere tutelam, poſtea Conſules Tutores ex inquiſitione dare cœperunt; deinde Prætores ex Conſtitutionibus, quibus introducta fuit Cautio REM PVPILLI SALVAM FORE exigenda a Tutoribus, & de iis compellendis ad Tutelæ adminiſtrationem. Tempore deinde *Juſtiniani* Romæ Præfectus Urbi, vel Prætor; in Provinciis autem Præ-

Poſtea Conſules] Ad *Trajani* uſque tempora Tutores a Conſulibus datos legimus. Apud Plin. Epiſt. IX. 13. *Cornutus* dicit *ſe a CONSVLIBVS Tutorem eſſe datum Helvidii filiæ petentibus Matre ejus & Vitrico.*

Deinde Prætores ex conſtitutionibus] Cum Conſulares Tutelæ diſplicerent, jus dandi Tutores Prætoribus conſtitutione reſtituit *M. Antoninus* Imp. ita tamen ut ſingularem faceret Prætorem, quem ab Officio TVTELAREM vel PVPILLAREM adpellabant. Hæc Prætura ſatis diu Romæ manſit. ANICII AVCHENII BASSI PRÆTORIS TVTELARIS mentio fit in marmore apud Reineſ. Inſcript. VI. 4.

Præfectus Urbi] Præfectus Urbi diverſis temporibus diverſi generis fuit, & primo ab ipſo Romulo inſtitutus. *Auguſtus* Imperator Præfectum Urbi inſtituit, cujus poteſtas ordinaria, continua, & per plures ſæpe annos prorogata fuit, cujus rei exemplum eſt in Piſone apud Tacitum Annal. VI. cap. 2. ubi egregiè de hac præfecturâ loquitur.——*Per idem tempus L. Piſo Pontifex, rarum in tanta claritudine, fato obiit; nullius ſervilis ſententiæ ſponte auctor, & quotiens neceſſitas ingrueret, ſapienter moderans. Patrem ei cenſorium fuiſſe memoravi: ætas ad octogeſimum annum proceſſit: Decus triumphale in Thracia meruerat, ſed præcipua ex eo gloria, quod PRÆFECTVS VRBI recens, continuam poteſtatem, & inſolentiâ parendi graviorem, mirè temperavit. Namque antea profectis domo regibus, ac mox magiſtratibus, ne urbs ſine imperio foret; in tempus deligebatur, qui jus redderet, ac ſubitis mederetur; feruntque ab Romulo Dentrem Romulum, poſt ab Tullo Hoſtilio Numam Marcium, & ab Tarquinio Superbo Spurium Lucretium impoſitos. Dein Conſules mandabant, duratque ſimulacrum, quotiens ob Ferias Latinas præficitur, qui conſulare munus uſurpet. Cæterum Auguſtus bellis civilibus Cilnium Mæcenatem equeſtris ordinis cunctis apud Romam atque Italiam præpoſuit. Mox rerum potitus ob magnitudinem populi, ac tarda legum auxilia, ſumpſit e Conſularibus, qui coerceret ſervitia, & quod civium audaciâ turbidum, niſi vim metuat. Primuſque Meſſalla Corvinus eam poteſtatem, & paucos intra dies finem accepit, quaſi neſcius exercendi. Tum Taurus Statilius, quanquam provecta ætate, egregiè toleravit. Dein Piſo viginti per annos pariter probatus, publico funere ex decreto Senatus celebratus eſt.*——Munus ejus erat jus dicere, præſertim inter Dominos & Servos, libertos & Patronos; de criminibus Tutorum & Curatorum cognoſcere, nummulariorum fraudes coercere

ſides ex inquiſitione Tutores creabant, vel Magiſtratus juſſu Præſidum, ſi non eſſent magnæ Pupilli facultates. Diſpoſuit tandem *Juſtinianus* ut *Defenſor Civitatis*, vel aliæ publicæ perſonæ, id eſt, Magiſtratus una cum civitatis Antiſtite ſeu Epiſcopo poſſent Tutores vel Curatores creare etiam non expectatâ juſſione Præſidum, ad evitandos ſumptus, ſi facultates Pupilli non excederent quingentos ſolidos; quod ſi ampliores eſſent facultates, ut tunc Tutor a Præſide deſignaretur, qui *caveret Rem Pupilli ſalvam fore.*

3. Impuberes autem in tutela eſſe naturali juri conveniens eſt: ut is qui perfectæ ætatis non ſit, alterius tutela regatur.

TIT. XXI.

De Auctoritate Tutorum.

1. Hæc de ſpeciebus Tutorum. Omnium autem officium eſt non tantum perſonam pupilli probè educandam & inſtruendam curare, ejuſque res & negotia diligenter, & ut bonum patremfamilias decet, adminiſtrare; ſed & negotiis, quæ pupillus, qui infantiam egreſſus eſt, cum aliquo periculo rei familiaris gerit *auctoritatem* interponere.

cere, & omnino quietem publicam procurare. Creabatur hic Præfectus plerumque ex iis, qui alios honores omnes cum laude geſſerant, & quaſi Vicarius Principis erat.

Defenſor Civitatis] Hic Ἔκδικος & *Vindex* appellatus ſimilis erat Tribuno Plebis Rom. atque hujus erat Plebis jura adverſus Magiſtratus tueri.

Impuberes autem] Cic. 1. de Offic. cap. 34. *Ineuntis enim ætatis inſcitia ſenum conſtituenda & regenda prudentia eſt.*——

JUS ANGLICANUM.

Dativos Tutores aliquando apud nos habemus. Si enim matre præmortuâ Pater inteſtatus decedat, liberoſque relinquat impuberes in feudum aliquod minimè ſucceſſuros, non raro contingit ut Judex Eccleſiaſticus illis cuſtodem det, qui & perſonis & Patrimonio eorum proſpiciat, donec annum ætatis ſuæ decimum quartum compleverint. Ad tale tamen munus leges noſtræ neminem compellunt, ſed Judices potius eos eligunt, atque movent, quos conſanguinitatis vel affinitatis vinculum ad hoc officium amore provocat.

Aliquando etiam minoribus dantur Cuſtodes per Magiſtratus Municipales.

2. Eſt autem *Auctoritas*, negotii a pupillo cum extraneo gerendi expreſſa approbatio, ſtatim in ipſo negotio facienda.

3. Dicitur CVM EXTRANEO, quia Tutor in rem ſuam auctor fieri non poteſt, non magis quam in propriâ cauſa teſtis, vel judex; ſed ad hoc Curator, ſi forte quod negotium cum Tutore gerendum ſit, dandus eſt.

4. Pupillus autem ſine Tutoris auctoritate negotium gerens alios quidem ſibi obligat; ipſe aliis *civiliter* non obligatur: adeo-

Eſt autem Auctoritas] Antiquiſſimum erat juris Romani principium, alieno nomine agere poſſe neminem, neque promittere tertium quid facturum, daturumve. Ergo nec Tutor pupilli nomine quidquam aut agere, aut promittere poterat. Quum tamen lubrica pupillorum ætas, conſiliique infirmitas non paterentur pupillis liberam permitti rerum ſuarum adminiſtrationem, Tutoribus plus poteſtatis concedendum, diſtinguendumque exiſtimabant Romani, infanſne eſſet pupillus, an iſtos infantiæ annos ſuperâſſet. Si infans eſſet; Tutor omnino agebat non Pupilli, ſed ſuo nomine. Sin infantiæ annos ſuperâſſet pupillus, ipſe omnes actiones legis, omneſque contractus poterat explicare, ita tamen ut Tutor perfecto negotio præſens ſtatim AVCTOR fieret; & hinc vocabatur AVCTORITAS. Quemadmodum enim populus IVBEBAT, Senatus AVCTOR fiebat, ita pupillus agebat, & contrahebat, Tutor interponebat AVCTORITATEM, ſine quâ validum haud erat negotium, ſiquidem deterior eo ipſo fieret Pupilli conditio.—Non ergo AVCTORITAS erat nuda approbatio, nec juſſus, ſed actus legitimus & ſolennis, certâque formulâ explicandus. Ubi Pupillus verbi gratia in cretione Hæreditatis verba legitima pronunciaverat, interrogabatur Tutor, AVCTORNE eſſet, ut Pupillus Hæreditatem adiret, cerneretque? Eoque adfirmante, rata erat Pupilli actio.

JUS ANGLICANUM.

Qui annis viginti uno minor eſt, nomine ſuo contrahere non poteſt, niſi pro rebus ad victum, veſtitumque & inſtitutionem neceſſariis ſine auctoritate & conſenſu ejus ſub cujus cuſtodiâ, vel poteſtate eſt. Ut nec in judicio ſtare adverſus ipſum Cuſtodem aut Tutorem.——Meliorem conditionem ſuam per ſe poteſt facere qui minor eſt, deteriorem nequaquam.

Tutores vero domos minorum, parcos, vivaria, ſtagna, molendina aliaque pertinentia ſuſtentare debent, ne per negligentiam corruant, vel depereant, per quam vaſtum valeat adjudicari.

Illa etiam authoritas Cuſtodum eſt, ut contrahant, in judicio ſtent, reliquaque faciant pro pupillo ſuo, quæ rerum, ſtatuſque ſui vel conſervationem, vel etiam incrementum ſpectant, & rationibus reddendis ei juſtam ætatem adepto obnoxii ſunt.

que

que conditionem ſuam poteſt facere meliorem, non deteriorem. Præterquam, quod ne lucroſam quidem hæreditatem ob ſolum metum damni acquirere poſſit; ne lateat æs alienum, & ne ſpecie apparentis lucri facile in damnum incidat. Nam hæres adeundo hæreditatem ſtatim fit obnoxius legatariis, creditoribuſque Defuncti ex quodam *quaſi contractu*.

TIT. XXII.

Quibus Modis Tutela Finitur.

1. Tutela finitur, vel *facto hominis*, per *excuſationem Tutoris* vel per *remotionem ſuſpecti*; vel *ipſo jure*.

2. De excuſatione Tutoris, & remotione ſuſpecti infra tractabitur. Modorum quibus Tutela ipſo jure finitur, alii pertinent ad omnes Tutelas, ut mors naturalis & Civilis, ſive Tutoris, ſive Pupilli, nec non pubertas; alii tantum ad certas ſpecies tutelarum. Sic teſtamentaria finitur exiſtente die, vel conditione teſtamento adjectâ. Legitima agnatorum olim minimâ capitis diminutione, ex eo quod ceſſare faceret jus agnationis, quod conſequitur onus tutelæ.

3. Denique alii ex his modis tutelam omnimodo finiunt: ut mors Pupilli, & Pubertas: alii tantum in perſona tutoris, in cujus locum alius quandoque legitimus, quandoque a Magiſtratu datus ſuccedit.

TIT. XXIII.

De Curatoribus.

1. Tutelam ſequitur *Cura*, quæ eſt vis & poteſtas adminiſtrandi bona eorum, qui vel per ætatem minorem xxv. annis, vel per animi corporiſque vitium ea adminiſtrare nequeunt.

2. Cura fere eſt unius generis. Dantur Curatores a Magiſtratibus, & ab iiſdem, a quibus Tutores.

3. Teſtamento non dantur Curatores, cum Patri poſt pubertatem de bonis filii teſtamento ſtatuere non licet; Datus tamen ab

eo

eo Curator confirmatur decreto Prætoris vel Præſidis, ac proinde naturam ſapit Teſtamentarii.

4. Inviti autem adoleſcentes jure civili Curatores non accipiunt præterquam in litem, quia legitimam perſonam per ſe ſtandi in judicio non habent.

5. Furioſi quoque & Prodigi, (quibus bonis a Magiſtratu interdictum) licet majores XXV. annis ſint, tamen in curatione ſunt adgnatorum ex lege XII. Tabb.

6. Qui autem ſemel petierunt, acceperuntque Curatorem, eis rei ſuæ adminiſtratio committi non debet, quamvis rem bene gerentibus, niſi impetratâ venia ætatis.

Inviti autem Adoleſcentes] Cum initio furioſis ac prodigis tantum obtruderentur Curatores, factum inde eſt, ut cum aliquo famæ detrimento conjuncta videretur Curatio; adeo ut ne minor quidem, quamvis infirmum eſſet in tam lubricâ ætate conſilium, cujuſquam curationi ſubeſſet, antequam LEX LÆTORIA ea in re adoleſcentibus proſpiceret. Hac lege cavebatur Adoleſcentibus diſſolutis & laſcivis, ac luxu perditis, quibus causâ cognitâ Curatores dabantur; Circumſcriptis etiam ſuccurrebatur, ac recidebantur fraudes verſutorum hominum, qui lucrum alienâ ex imbecillitate captabant. Plenius deinde remedium acceſſit a Prætore, cujus Edictum non circumſcriptis modo ſed & lapſis opem ferebat, ut non ſolum alienam fraudem, ſed etiam imperitiæ ſuæ damnum effugerent. Vetuit autem Lex Lætoria Adoleſcentum ſtipulationes; perimebatur enim Actio creditorum adverſus Adoleſcentem, quâ de cauſa ei credere metuebant. Plaut in Pſeudol. I. 3. v. 68.

Perii, An non tum LEX me perdit QVINAVICENNARIA?
Metuunt credere omnes.——

Furioſi quoque & Prodigi] Legem Decemviralem de furioſis & prodigis ex Cic. Quæſt. Tuſcul. III. 2. & de Invent. II. 59. ita reſtituit Gothofredus. SI FVRIOSVS AVT PRODIGVS EXISTAT AST EI CVSTOS NEC ESCIT, AGNATORVM GENTILIVMQVE IN EO, PECVNIAVE EIVS POTESTAS ESTO. Poſtea Curatorem accipiebant, ſi poſtulantibus agnatis, iis a Prætore interpoſitâ ſententia bonis eſſet interdictum. Unde Horat. 2. 3.

——INTERDICTO huic omne adimat jus
Prætor, & ad SANOS abeat Tutela PROPINQVOS.

Formula quâ bonis interdicebat Prætor hæc erat. QVANDO TIBI BONA PATERNA AVITAQVE NEQVITIA TVA DISPERDIS, LIBEROSQVE TVOS AD EGESTATEM PERDVCIS, OB EAM REM TIBI EA RE, COMMERCIOQVE INTERDICO.

Niſi impetrata venia ætatis] Hoc beneficium Principes dabant Adoleſcentibus XX. Puellis XVIII. annorum, ſi frugi eſſe probarentur.

7. Inter-

7. Interdum ipſis pupillis Curator datur ob temporarium Tutoris Impedimentum aut Excuſationem. Regula enim eſt, Tutorem habenti Tutorem dari non poſſe; ſicuti Patrem habenti Pater alius dari non poteſt. Interdum vice Tutoris, aut Curatoris fungitur Actor.

8. *Actor* autem hic dicitur adjutor Tutoris vel Curatoris ab eodem nominatus, a Magiſtratu confirmatus, ut adminiſtret periculo nominantis Tutoris, vel Curatoris, cum nec ipſi ob morbum aliudve impedimentum rem gerere, nec (quia Domini non ſunt) Procuratorem ad hoc conſtituere; nec pupillis minoribuſve, fortè quod infantes aut abſentes ſunt, ut conſtituant auctores fieri poſſunt. Ideo vero Imp. ait conſtitui potius Actorem, quam Procuratorem, quod Procurator periculo ejus litiget, cujus eſt cauſa; Actor vero periculo ejus, a quo conſtituitur, rem gerat.

Actor autem dicitur] Tranſlatum eſt hoc nomen ad vicariam Tutelam ex inſtitutis veterum domeſticis. Domi enim è ſervis quenquam præficere ſolebant rei familiari, qui & ipſe ACTOR vocabatur. Talem ſe eſſe ſimulabat *Leonidas* apud Plaut. Aſin. II. 9. v. 53.

Nam ſi ſcîet noſter Senex fidem huic non eſſe habitam,
Succenſeat, cui omnium rerum ipſius ſummam credidit.

Talis quoque eſt, quem deſcribit Lucas, Cap. XII. 42. Εἶπε δὲ ὁ Κύριος, Τίς ἄρα ἐστὶν ὁ πιστὸς οἰκονόμος καὶ φρόνιμος, ὃν καταστήσει ὁ Κύριος ἐπὶ τῆς θεραπείας αὐτοῦ, τοῦ διδόναι ἐν καιρῷ τὸ σιτομέτριον; Sed & in fundos mitti ſolebant Servi, qui cæteris tanquam vicarii Dominorum imperarent, & hi etiam dicti ACTORES. Plin. Epiſt. Lib. III. 19.——*Aſſumo te in conſilium rei familiaris, ut ſoleo. Prædia agris meis vicina, atque etiam inſerta venalia ſunt; in his me multa ſolicitant, aliqua nec minora deterrent. Solicitat primum ipſa pulchritudo jungendi; deinde, quod non minus utile, quam voluptuoſum, poſſe utraque eâdem opera, eodem viatico inviſere, ſub eodem Procuratore, ac pene iiſdem ACTORIBVS habere.*

JUS ANGLICANUM.

Maſculi puberes, & fœminæ viripotentes apud Romanos uſque ad viceſimum quintum annum completum curatores accipiebant, nos tantum ad viceſimum primum. Tutorem autem & Curatorem unico Gardiani nomine complectimur, licet illum perſonæ, hunc rebus præcipuè tribui manifeſtè conſtat.

TIT.

TIT. XXIV.

De Satisdatione Tutorum & Curatorum.

1. Dictum de Tutela & Cura seperatim; sequuntur tria utrique speciei communia. 1. Satisdatio. 2. Excusatio. 3. Suspecti Postulatio.

2. Uti inconsulta impuberum, adolescentumque ætas multis exposita est insidiis, ita multæ, ut fortunas suas salvas habeant, jure introductæ sunt cautiones, & remedia: quæ intelliguntur tum ex illis, quæ tutori statim ab initio facienda incumbunt; tum ex actionibus, & remediis, quibus plerumque finito eorum munere pupilli & adolescentes damnum passi juvantur.

3. Tria autem potissimum ab initio facienda. 1. Jusjurandum. 2. Inventarium. 3. Satisdatio, sive Cautio, quæ fit datis fidejussoribus rem pupilli vel adolescentis salvam fore.

4. Hanc cautionem *Legitimi* quidem Tutores semper præstant, rarò *Testamentarii*, quia Pater præsumitur satis bene liberis prospexisse. Dativi etiam Tutores, & Curatores illi, quos Minores Magistratus, ut Scriba in Urbe, aut Duumviri in Provinciis dedere, satisdant; non autem qui a Magistratibus cum inquisitione, quæ est pro cautione, dantur.

5. Aliquando tamen & testamentarii & ex inquisitione dati satisdant, scilicet cum ex pluribus tutoribus datis unus cæteros provocat, ut vel ipsi satisdent, vel sibi satisdare parato soli administrationem cedant. Interest enim pupilli negotia sua per unum potius quam per plures expediri.

6. Unde sæpe Testator, aut si is neglexerit, Magistratus statuit quis ex pluribus administrare debeat: aut denique tutores ipsi statuunt, aut divisionem tutelæ faciunt, ut aliqui vel partem tantum certam administrent, vel nihil, qui honorarii dicuntur, qui tamen re male gestâ etiam conveniuntur, sed excussis prius facultatibus ejus qui gesserit.

7. Actiones autem & remedia, quibus pupilli vel adolescentes juvantur sunt vel ordinaria, vel extraordinaria. Ordinaria sunt quatuor.

quatuor. 1. Actio Tutelæ directa, qua agitur contra Tutores, & utiliter contra Curatores, de qua infra ad Titulum de Obligationibus, quæ quaſi ex contractu naſcuntur. 2. Actio *Hypothecaria*, qua agitur contra omnes, qui quid ex bonis, quæ Tutoris vel Curatoris fuerunt, cum Tutor, vel Curator eſſet, poſſident. Hæc enim tacitè pignori obligata ſunt, de qua actione infra in Titulo de Actionibus. 3. Actio *ex ſtipulatu* contra fide-juſſores, de qua infra ad Titulum de Verborum Obligationibus. 4. Actio *Subſidiaria* in factum contra Magiſtratus minores, qui vel nullam, vel non idoneam ſatiſdationem exegerunt.

8. Extraordinarium remedium eſt *Reſtitutio in Integrum*, quæ omnibus minoribus per ætatem circumventis aut læſis, etſi præſentibus Tutoribus, aut Curatoribus, imo etſi in judicio negotium, quo læſi ſunt, factum fuerit, ſubvenit.

TIT. XXV.

De Excuſationibus Tutorum & Curatorum.

1. Quamvis Tutela ac Cura munus publicum ſit, tamen ex certis cauſis conceditur *excuſatio* & vacatio ab onere Tutelæ vel Curæ.

Reſtitutio in integrum] Terent. Phor. II. 4. v. 10.

Sic hoc videtur: Quod Te abſente hic filius
Egit, RESTITVI IN INTEGRVM æquum eſt & bonum:
Et id impetrabis.——

JUS ANGLICANUM.

Tutor ſive Cuſtos ille ſolus, qui a Magiſtratu vel ordinario datur, ad ſatiſdandum jure noſtro tenetur. Is autem priuſquam admittitur ad Tutelam, juramento recipit (vel olim recipiebat) ſe omnia Pupilli ſui negotia ad utilitatem & commodum ejus adminiſtraturum, verum & fidele inventarium bonorum ſuorum confecturum, & intra certum tempus (quod illi per judicem aſſignatur) exhibiturum; nec non rationes ſui muneris, cum ad id exactus fuerit, juſtas & ſinceras redditurum. Ultra hoc etiam idoneos dat fidejuſſores cum illo conjunctim, & per ſe diviſim pro fideli atque rectâ ſuæ Tutelæ adminiſtratione obligatos.

2. Ad juſtam autem excuſationem requiritur, ut fiat 1. ex cauſa, 2. ex modo, 3. tempore legitimis.

3. Cauſæ hic enumerantur 14.----1. Numerus liberorum, trium Romæ, in Italia quatuor, in Provinciis quinque & quidem ſuper-

Numerus liberorum, trium Romæ] Quum hoc ad celebre illud jus trium, quatuor, & quinque liberorum pertineat; quale illud fuerit ex antiquitatibus Romanis erit paulò altius repetendum.

Plurimi Romanorum, dici non poteſt, quantum a nuptiis abhorruerint. Cauſæ hujus rei variæ; Amores furtivi, luxuria matronarum, & præcipue illa orbitatis præmia, quæ toties celebrant veteres. Colebantur ejuſmodi μισογάμοι ab omnibus, viaque ipſis ad honores & commoda patebat, nemine illis negante ſuffragium ob hæreditatem, quam quiſque ſpe devoraverat. Unde lepide ſenex ille *Periplectomenes* apud Plaut. Mil. Glorioſ. III. 1.

Quando habeo multos cognatos, quid opus mihi ſit liberis?
Nunc bene vivo ac fortunatè, atque ut volo, atque animo ut lubet.
Mea bona morte cognatis dicam, inter eos partiar.
Illi apud me edunt, me curant, viſunt quid agam, ecquid velim;
Priuſquam lucet, adſunt, rogitant noctu ut ſomnum ceperim.
Eos pro liberis habeo; quin mihi mittunt munera;
Sacrificant: dant inde partem majorem mihi, quam ſibi.
Adducunt ad exta: me ad ſe ad prandium, ad cœnam vocant.
Ille miſerrimum ſe retur, minimum qui miſit mihi;
Illi inter ſe certant donis: ego hoc muſſito mecum:
Bona mea inhiant, certatim mittunt dona & munera.

Erant etiam qui Philoſophiæ causâ abſtinebant a matrimonio exemplo veterum, *Thaletis, Pythagoræ, Democriti, Platonis* &c. Quæ cum ita ſe haberent, Romani præmiis erant ad conjugia ineunda invitandi.——Jam libera republicâ & pœnas cælibatus, & fœcunditatis præmia fuiſſe certiſſimum eſt — *Julio Cæſari* legibus promovenda viſa eſt πολυπαιδία civium, ſed eo paulo poſt interfecto non diu admodum leges iſtæ ſaluberrimæ viguerunt.—Multo magis hæc cura *Auguſti* ſubiit animum, qui tamen non niſi poſt multa molimina ſolitudini iſti invenit remedium. Tulit celeberrimam illam *Legem Juliam* de maritandis ordinibus, de quâ Horat. Epod. 18. v. 17.

Diva producas ſobolem, Patrumque
Proſperes decreta ſuper jugandis
Fœminis, proliſque novæ feraci
Lege marita.———

Tandem ferri juſſit *Legem Papiam Poppæam*, in qua capita haud pauca agebant de præmiis πολυπαιδίας.——Sic e pluribus Candidatis præferebatur is, qui plures ſuſtuliſſet liberos.——E Conſulibus prior ſumebat faſces, qui Collegam liberorum multitudine anteibat.——Liberti ob multitudinem liberorum ab operis, ingenuæ & libertæ a tutelâ liberabantur.——Juvabant etiam liberi in hæreditatibus & ſolidi capacitate. Imò & honoratior in theatro

ſtitum. Proſunt liberi ex legitimis nuptiis procreati, illegitimi vero vel adoptivi non proſunt. Defuncti vero proſunt, ſi in acie amiſſi fuerint. Hi enim, qui pro Republica ceciderunt, in perpe-

theatro locus dabatur iis, qui plures haberent liberos. Imprimis verò hac lege fuerat cautum, ut qui ſecundum hanc legem liberos tres Romæ natos, ſuperſtites, qui quatuor in Italia, vel quinque in provinciis haberet, omnium munerum perſonalium immunitatem haberet. —Hinc ergo natum jus Trium, quatuor & quinque liberorum, quod tamen & liberis orbi, & ſteriles nonnunquam beneficio Principum obtinebant. Exempla ſunt apud Plin. Epiſt. II. 13. *Equidem Juvenis ſtatim Juveni quantum potui per ætatem avidiſſimè contuli, & nuper ab optimo Principe TRIVM LIBERORVM ei IVS impetravi.* & in Epiſt. VII. 16. X. 95. — imò & in inſcriptionibus, veluti in illa apud Gruter. p. CIↃ. LXXXI. ubi laudatur STATIA IRENE IVS LIBERORVM HABENS, & in aliis, in quibus frequentiſſimæ litteræ I. L. H. id eſt, IVS LIBERORVM HABENS.

Ne fraus legi fieret, cautum fuit ut Profeſſio liberorum intra diem triceſimum fieret, & in acta publica referretur. Huc pertinet lepida illa Adulteri excuſatio apud Juvenal. Sat. 9. v. 82.

Nullum ergo meritum eſt, Ingrate, ac Perfide, nullum,
Quod tibi filiolus, vel Filia naſcitur ex me?
Tollis enim & LIBRIS ACTORVM ſpargere gaudes
Argumenta Viri. Foribus ſuſpende coronas,
Jam Pater es. Dedimus, quod famæ opponere poſſis;
Jura Parentis habes, propter me ſcriberis hæres;
Legatum omne capis, nec non & dulce caducum:
Commoda præterea junguntur multa caducis,
Si NVMERVM, ſi TRES implevero. ——

Hi enim qui pro Republica ceciderunt] Multis etiam præmiis ad bene de Republicâ merendum ſuos cives invitârunt Athenienſium Legiſlatores. Non tantum publicè orationem habebant in funere, ſed etiam publica erat ſepultura eorum, qui in bello occubuiſſent ex hac lege,

Δημοσία ταφὰς τῶν ἐν τῷ πολέμῳ ἀποθανόντων.

Legem laudat Thucydides, & morem hunc publicè ſepeliendi eos qui in bello occubuiſſent, & pro concione laudandi deſcribit Lib. 2. Ἐν δὲ τῷ αὐτῷ χειμῶνι οἱ Ἀθηναῖοι τῷ πατρίῳ νόμῳ χρώμενοι δημοσία ταφὰς ἐποιήσαντο τῶνδε ἐν τῷδε τῷ πολέμῳ πρῶτον ἀποθανόντων τρόπῳ τοιῷδε. τὰ μὲν ὀστᾶ προτίθενται τῶν ἀποχρωμένων, σκηνὴν ποιήσαντες, καὶ ὑπφέρει τῷ αὐτῷ ἕκαστος ἤν τι βέλτιστα, ἐπειδὰν δὲ ἡ ἐκφορὰ ᾖ, λάρνακας κυπαρισσίνας ἄγουσιν ἅμαξαι, φυλῆς ἑκάστης μίαν. ἔνεστι δὲ καὶ τὰ ὀστᾶ ἧς ἕκαστος ἦν φυλῆς· μία δὲ κλίνη κενὴ φέρεται ἐστρωμένη τῶν ἀφανῶν, οἳ ἂν μὴ εὑρεθῶσιν ἐς ἀναίρεσιν. ξυνεκφέρει δὲ ὁ βουλόμενος καὶ ἀστῶν καὶ ξένων, καὶ γυναῖκες παρεῖσαι αἱ προσήκουσαι ὀπὶ τὸν τάφον ὀλοφυρόμεναι. τιθέασιν ἔν ἐς τὸ δημόσιον σῆμα, ὃ ἔστιν ὅπὶ τῶ καλλίστῳ προαστείῳ τῆ πόλεως, καὶ ἀεὶ ἐν αὐτῷ θάπτουσι τοὺς ἐκ τῶ πολέμων, πλήν γε τοὺς ἐν Μαραθῶνι· ἐπειδὰν δὲ κρύψωσι γῆ, ἀνὴρ ἡρημένος ὑπὸ τῆ πόλεως, ὃς ἂν γνώμη τε δοκῆ μὴ ἀσυνέτος εἶναι, καὶ ἀξιώματι προήκη λέγει ἐπ' αὐτοῖς ἔπαινον τὸν πρεπόντα· μετὰ

tuum per gloriam vivere intelliguntur. 2. Adminiſtratio fiſci, vel cujuſcunque rei a Principe commiſſa cura. 3. Abſentia Reipublicæ causâ. 4. Poteſtas Magiſtratuum majorum. 5. Lis de omnibus bonis, vel majore bonorum parte, quia qui talem litem exercent ſæpe ſolent inimici eſſe capitales. 6. Triplex onus Tutelæ non affectatæ. 7. Magna paupertas. 8. Adverſa valetudo, ſive morbus Sonticus. 9. Imperitia literarum. 10. Si teſtator ob inimicitias quem tutorem dederit. 11. Inimicitia capitalis inter Tutorem & Pupillum, vel patrem ejus. 12. Si pater pupilli ſtatus controverſiam, ſeu litem de libertate aut in-

μετὰ δὲ τοῦτο ἀπέρχονται· ὧδε μὲν θάπτουσι καὶ ἐν πρώτοις τοῦ πολέμου ὁπότε ξυμβαίη αὐτοῖς, ἐχρῶντο τῷ νόμῳ.——*Eadem hyeme Athenienſes patrio inſtituto publicè humârunt eos, qui in hoc bello primi mortem obierunt, in hunc ferè modum. Triduo antequam funus efferatur, tabernaculum faciunt, & ſub eo defunctorum oſſa proponunt, & unuſquiſque ſuo cadaveri inferias affert, ſi quas velit. Quum autem funeris efferendi dies venit, plauſtra adducuntur, quæ arcas ex cupreſſo factas ex ſingulis tribubus ſingulas portant. In his autem inſunt oſſa ſingularum tribuum ex quibus ſinguli ſunt. Unus autem lectus ſtratus fertur inanis illorum cauſa, qui non exſtant, & quorum cadavera inter alia cæſorum corpora reperiri ſuſcipique non potuerunt. Quilibet autem tam de civibus quam peregrinis funus proſequitur: & mulieres quæ cum illis propinquitatis vinculo ſunt conjunctæ ad ſepulchrum adſunt ejulantes. Hæc autem in publico monumento condunt, quod eſt in pulcherrimis urbis ſuburbiis, atque hic ſemper ſepeliunt eos, qui in bello ceciderunt, illis exceptis, qui in campis Marathoniis obierunt. Poſtquam autem eos humarunt, vir aliquis ab ipſa civitate delectus, qui & prudentia & dignitate cæteris præſtare videatur orationem illorum laudibus convenientem ſuper ipſis habet; poſtea verò diſcedunt. Hoc igitur modo Athenienſes ſuorum in bello cæſorum corpora ſepeliunt. Et toto belli tempore, quoties hoc ipſis accidebat, hoc ritu utebantur.*

Neque tantum cum terræ mandabantur, pro concione laudabantur; ſed etiam is honos in bello interfectis quotannis inſtaurabatur. Cic. de Orat. ——*Sed in populari oratione, qua mos eſt Athenis laudari in concione eos, qui ſint in præliis interfecti, quæ ſic probata eſt, ut eam quotannis ut ſcis illo die recitare neceſſe ſit.*——Plin. Lib. II. Epiſt. 7. cum narraſſet Cottio filio Spurinnæ honorem Statuæ habitum, addit.——*Rarum id in Juvene, ſed Pater hoc quoque merebatur, cujus graviſſimo vulneri magno aliquo fomento medendum fuit. Præterea Cottius ipſe tam clarum ſpecimen indolis dederat, ut vita ejus brevis, & anguſta debuerit hac veluti immortalitate proferri.*

Poteſtas Magiſtratuum majorum] Majores Magiſtratus dicuntur, qui majora habent auſpicia, ſcilicet Conſules, Prætores & Cenſores; Minores, qui minora. Secundò, Majores dicuntur, qui lictorem vel viatorem habent, quos nec Ædiles, nec Quæſtores habuerunt.

genuitate

genuitate moviſſet tutori. 13. Ætas major 70. annis. 14. Munus Grammaticorum, Rhetorum, Medicorum, qui intra numerum ſunt, decreto ordinis probati & cooptati, & Romæ, vel in patria has artes docent. Sed & juris Profeſſoribus idem tribuit Conſtantinus.

4. Et hæ quidem cauſæ communes ſunt Tutoribus & Curatoribus; Illa propria eſt Curatoris, quod qui tutelam geſſit, jure Romano ejuſdem Curator eſſe non cogatur.

5. Minores autem & milites, nec non mariti quod attinet curam bonorum uxoris, ſurdi etiam & muti, & fœminæ niſi a Principe filiorum tutelam ſpecialiter poſtulent, non excuſantur, ſed repelluntur.

6. Modus excuſationis ita ſervandus eſt, ut Tutor cauſam excuſationis proponat probetque magiſtratui a quo datus eſt: & ſi is cauſam rejiciat, a decreto rejectionis, non a datione appellet. Sed & aliam poſt aliam excuſationem interponere poteſt.

7. Quoad tempus, Excuſatio proponenda eſt intra quinquaginta dies numerandas ex eo tempore, ex quo cognovit quis ſe tutorem eſſe datum, ſi in eadem civitate ſint, vel intra centeſimum ab urbe lapidem morentur. Si vero ultra centeſimum habitent lapidem a loco tutelæ, in ſingulos dies vicena millia paſſuum iis conceduntur, donec veniant ad locum ubi tutores dati ſunt, & amplius triginta dies, qui tamen ita debent computari, ne minus ſint, quam quinquaginta dies.

8. Atque talis juſta excuſatio demum liberat ab onere & periculo Tutelæ & Curæ, minime vero injuſta. Quin & qui falſis

Ætas major 70. Annis] Senes æque ac Magiſtratus veteres reveriti ſunt, quæ reverentia conſiſtebat in aſſurgendo, in loco dando ac cedendo, domo deducendo, ac reducendo. Juv. Sat. 13. v. 54.

Credebant hoc grande nefas, ac morte piandum,
Si juvenis vetulo non aſſurrexerat. ———

Fuit etiam venerabilis Senectus excuſatione honorum, & vacatione munerum perſonalium. Ab honoribus excuſabant Anni 60. in Urbe. A Decurionatu excuſabant Anni 65. A Tutelis cæteriſque muneribus perſonalibus Anni 70.

alle-

allegationibus immunitatem obtinuit, nihilominus obligatur ex eo tempore, quo datus eſt.

TIT. XXVI.

De Suſpectis Tutoribus & Curatoribus.

1. Tertium Commune eſt *remotio Suſpecti*. Suſpectus autem Tutor eſt qui non ex fide Tutelam gerit.

2. In hujus crimine ſex conſideranda ſunt. 1. Unde deſcendat. 2. Quis de eo cognoſcat. 3. Qui Tutores ſuſpecti poſtulentur. 4. Qui poſtulent. 5. Quibus ex cauſis. 6. Ad quem effectum & pœnam.

3. Judicium de ſuſpectis tutoribus ex Leg. XII. Tabb. deſcendit, & optima ratione olim ſevere & frequenter exercitum fuit.

4. Cognitio de ſuſpecto Tutore eſt juriſdictionis ordinariæ ad omnes Magiſtratus pertinens.

5. Omnes Tutores & Curatores ſuſpecti poſſunt poſtulari, ſive teſtamentarii, ſive alii, ne Patrono quidem excepto, dummodo famæ ejus parcatur. Idem de Parente dicendum.

6. Poſtulare autem poteſt ſuſpectum quilibet ex populo. Eſt enim quaſi publica hæc accuſatio. Imo & mulieres pietate aliqua ad hoc ductæ, & minores ex conſilio neceſſariorum. Non tamen impuberes.

7. Cauſa autem ſuſpecti poſtulationis non tantum eſt fraus & dolus; ſed & negligentia, inconſiderantia, ruſticitas, inertia in gerendo vel non gerendo admiſſa, non autem paupertas.

JUS ANGLICANUM.

De excuſatione Tutorum vel Curatorum leges noſtræ nihil loquuntur, quia nemini invito hoc onus imponunt. ———

Ex Leg. 12. Tabb. deſcendit] Huc pertinere creditur, quod ſcribit Cic. 3. de Offic. cap. 15. *Dolum malum etiam legibus fuiße vindicatum, ut TVTELAM 12. Tabb.* Quamvis autem ex 12. Tabulis ſit hoc crimen; Decemviri tamen illud ab Athenienſibus acceperunt, apud quos nota erat ἡ τῆς ἐπιτροπῆς γραφή, quam cuivis inſtituere licebat adverſus Tutorem qui Pupillum ullâ adfecerat injuriâ.

8. Effectus

8. Effectus accuſationis hujus *inſtitutæ* eſt, quod accuſato ſtatim interdicitur adminiſtratio; *Finitæ* autem accuſationis juſtæ effectus eſt condemnatio, qua non tantum planè removetur ſuſpectus, ſed & ob dolum & latam culpam fit infamis, quin & corporali pœna quandoque afficitur; veluti cum libertus tutelam Patroni liberorum fraudulenter geſſit; vel cum Tutor copiam ſui non fecit, ne pupillus alimenta conſequatur; vel cum Tutor præſens per mendacium negat pupillo alimenta ſuppetere. Si autem latitante Tutore Pupillus non poſſit alimenta conſequi, mittitur in bona ejus.

Ob dolum & latam culpam fit infamis] Hinc *turpe Tutelæ judicium* memorat Cic. de Orat. I. 26. Idem pro Q. Roſcio Comœdo 6.— *Si qua ſunt privata judicia ſummæ exiſtimationis, & pœne dicam capitis, tria hæc ſunt, FIDVCIÆ, TVTELÆ, SOCIETATIS. Æquè enim perfidioſum & nefarium eſt, fidem frangere, quæ continet vitam; & Pupillum fraudare, qui in tutelam pervenit; & ſocium fallere, qui ſe in negotio conjunxit.*

Corporali pœna quandoque afficitur.] Inſigne hujus ſeveritatis exemplum ſtatuit *Galba*, qui *Tutorem, quod pupillum, cui ſubſtitutus hæres erat, veneno neceſſet, cruce affecit; implorantique leges, & civem Romanum ſe teſtificanti, quaſi ſolatio & honore aliquo pœnam levaturus, mutari, multoque præter cæteras altiorem & dealbatam ſtatui crucem juſſit.*——Suet. Galba. 9.

FINIS LIBRI PRIMI.

ELEMENTA JURIS CIVILIS

SECUNDUM

METHODUM ET SERIEM

Inſtitutionum *JUSTINIANI.*

LIB. II.

TIT. I.

De rerum diviſione, & acquirendo ipſarum Dominio.

1. SUperiore libro de jure perſonarum expoſuimus; modo videamus de *Rebus*, altero ſcilicet Juris Objecto; quo pacto eæ dividantur; acquirantur; & per quas perſonas. Res vero vel *in noſtro Patrimonio*, vel *extra Patrimonium* noſtrum habentur. *In Patrimonio noſtro*, (id eſt, in bonis noſtris) habentur eæ res, quæ ſunt in hominum commercio, quæve humani juris eſſe dicuntur. *Extra Patrimonium* eſſe dicuntur, quæ ſunt extra commercium, quæve ſunt divini juris, & nullius in bonis. Res etiam quædam naturali jure *communes* ſunt omnium; quædam *publicæ*; quædam *Univerſitatis*; quædam *nullius*; pleraque *ſingulorum*. Dilatat vero ſeu explicat hæc Diviſio ſuperiorem; quæ eo pertinet, ut intelligamus, ea, quæ ſingulorum

rum ſunt, in Patrimonio haberi; quæ communia, publica, Univerſitatis, & maximè quæ divini juris ſunt, extra Patrimonium eſſe.

2. Res COMMVNES ſunt, quarum proprietas eſt nullius, uſus omnium hominum communis; ut Mare, Aer, aqua profluens; nec non littus, quod intelligitur, quatenus hybernus fluctus maximus excurrit.

3. Res PVBLICÆ ſunt, quarum proprietas eſt certi populi, uſus omnium hominum communis, ut Flumina, Portus.

4. Res VNIVERSITATIS ſunt, quæ cujuſque civitatis, vel alicujus Collegii ſunt propriæ, deſerviunt vero ſingulorum uſibus; ut Theatra, Stadia, Forum, Curia.

5. Res NVLLIVS ſunt res Sacræ, Religioſæ, & Sanctæ; quod enim divini juris eſt, id nullius in bonis eſt.

Uſus omnium hominum communis] Cic. pro Sexto Roſcio Amerino. ——*Etenim quid tam eſt commune, quam ſpiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, litus ejectis?* —— Quamobrem meritò de Pœnorum injuriâ queritur Ilioneus. Æn. Lib. I. v. 543.

Quod genus hoc hominum, Quæve hæc tam barbara morem
Permittit patria? Hoſpitio prohibemur arenæ;
Bella cient, primâque vetant conſiſtere terrâ.

Et Lib. VII. v. 229.

——*Littuſque rogamus*
Innocuum, & cunctis undamque, auramque patentem.

Et Ovid. Metam. VI. v. 349.

Quid prohibetis aquas? Uſus COMMVNIS aquarum eſt;
Nec ſolem PROPRIVM natura, nec aera fecit,
Nec tenues undas; ad PVBLICA munera veni.

Probata erat Græcis querela *Megarenſium* adverſus *Athenienſes*, qui eos portubus ſuis arcebant διὰ τὰ κοινὰ δίκαια, ut *Plutarchus* loquitur; & Lacedæmoniis nulla belli cauſa juſtior viſa eſt.

Quæ cujuſque civitatis] Pertinet huc illud M. Tullii 3. de finib. c. 20. ——*Theatrum commune cum ſit, recte tamen dici poſſe, ejus eſſe eum locum, quem quiſque occupavit.* Et de Officiis Lib. 1. 17. —— *Ut enim ab infinitâ illâ diſcedatur, propior eſt ejuſdem Gentis, nationis, linguæ, quâ maximè homines conjunguntur: interius etiam eſt, ejuſdem eſſe civitatis. Multa enim ſunt civitatibus inter ſe communia: Forum, Fana, Porticus, Viæ, Leges, Jura, Judicia, Suffragia.*——

6. SACRÆ res ſunt, quæ rite Deo conſecratæ ſunt, veluti ædes Sacræ, & Donaria, quæ rite ad miniſterium Dei dedicata ſunt; quæ etiam alienari, & obligari prohibentur, exceptâ cauſa redemptionis captivorum. Si quis autem auctoritate ſuâ quaſi ſacrum ſibi conſtituerit, ſacrum non eſt, ſed profanum. Locus autem in quo ædes ſacræ ſunt ædificatæ, etiam diruto ædificio, ſacer adhuc manet.

SACRÆ res ſunt,] Res ſacræ dicebantur, quæ publico civitatis inſtituto auctoritate Pontificûm erant Diis ſuperis ſolenniter conſecratæ; quales erant Aræ, Ædes, Donaria &c. Et quidem uni Deo, publicè conſecratæ Ædes FANA; pluribus ſimul tanquam συμβώμοις dedicatæ DELVBRA dicebantur. Publicè, inquam, conſecratæ, nam vel Senatus Auctoritas, vel Populi juſſus, vel Principis Decretum accederet oportebat; Privatâ enim auctoritate nihil fiebat ſacrum.

Templa ſacra fiebant 1. INAVGVRATIONE, dum Augures ſpatium ſolenniter capiebant. Id enim dicebatur INAVGVRARI. Quæcunque vero loca non erant inaugurata, ea non TEMPLA dicebantur, ſed ÆDES SACRÆ.

Sequebatur 2. LVSTRATIO AREÆ, quæ fiebat a militibus, quibus fauſta erant nomina, felicibus ramis; quibus ſuccedebant Virgines Veſtales cum pueris, puelliſque patrimis & matrimis, quæ aquâ e rivis, fontibus, amnibuſque hauſtâ univerſam aream perluebant. Denique & Magiſtratus aderant, qui, præeunte Pontifice, ſuovetaurilibus luſtrabant ſpatium, & ſuper ceſpitem reddebant exta, ac denique precati Deos, ut ſuas ſedes divinâ ope attollerent, fundamenta ſolenniter jaciebant, injecto ingente ſaxo; Lapis ejuſmodi dicebatur AVSPICALIS.

3. Abſoluta Æde, DEDICATIONE opus erat peragendâ a *Magiſtratu majore*, qui, præeunte Pontifice, ſolenne carmen recitabat poſtem manu tenens; unde & MANV Conſecrationes fieri dicebantur. Cic. de Leg. 2. *Bene vero quod Mens, Pietas, Virtus, Fides conſecratur MANV.* Et Ovid. Faſt. Lib. 5. 403.

Sacra vocant auguſta Patres; auguſta vocantur
Templa Sacerdotum rite DICATA MANV.

Ut vel unam exempli causâ proferamus formulam, Jovi Feretrio Templum his verbis dedicavit Romulus.——IVPITER FERETRI, HÆC TIBI VICTOR ROMVLVS REX ARMA FERO, TEMPLVMQVE IIS REGIONIBVS QVAS MODO ANIMO METATVS SVM DEDICO SEDEM OPIMIS SPOLIIS, QVÆ REGIBVS DVCIBVSQVE HOSTIVM CAESIS ME AVCTOREM SEQVENTES POSTERI FERENT. Liv. 1. 10.

Solebant denique 4. LEGES quædam adjici, quales hinc inde in vetuſtis marmoribus leguntur. Sic Plin. Trajano de Æde Matris magnæ transferendâ.——*Ego cum quærerem, num eſſet aliqua LEX DICTA templo, cognovi alium hic, alium apud nos eſſe morem Dedicationis. Diſpice ergo, Domine, an-*

putes

putes Ædem cui nulla Lex dicta eſt, ſalvâ religione poſſe transferri. Lib. 10. Epiſt. 58.

Accedebant demum Epulæ, & Sportularum diſtributio, vel publico nomine, vel a privatis factæ.

Quibus omnibus ritè peractis, ita occupaſſe locum credebatur religio, ut nunquam eſſe poſſet in Dominio privati, etiamſi ædes eſſent dirutæ, aut vetuſtate collapſæ. Sic Trajanus Plin. Lib. 10. Epiſt. 76.——*Poſſumus apud Pruſæenſes areâ iſtâ cum domo collapsâ, quam vacare ſcribis, ad extructionem balinei uti. Illud tamen parum expreſſiſti, an ædes in Periſtylio Claudio facta eßet. Nam ſi facta ædes eßet, licet collapſa ſit, Religio ejus occupavit ſolum.*

Res ſacræ eſſe deſinebant EXAVGVRATIONE, quæ fiebat per evocationem Sacrorum.

Captæ quoque ab hoſtibus res ſacræ eſſe deſinebant; liberatæ tamen quaſi *jure Poſtliminii* priſtinam recuperabant Sanctimoniam. Unde facile patet cur Romani hoſtes *Divina humanaque omnia dedere juberent.* Liv. 1. 38.

Donaria] Donaria vel ex antiquiſſima uſque vetuſtate Diis erant oblata, & quidem eoſdem planè ob fines oblata videntur, quibus ad ſacrificia adolenda impellebantur; nempe iis vel Deos iratos placabant, vel accepto beneficio gratias reddebant.

Erant autem Hæc Donaria interdum coronæ ſacræ, veſtes, vaſa aurea, argentea, ærea, & id genus infinita; quæ quia plerumque in aliquâ templi parte ſuſpendebantur ἀναθήματα dicta ſunt ἀπὸ τῦ ἀναθεῖναι. Nam modo columnis, modo parietibus ac poſtibus, modo faſtigiis, ac Tholis templorum affigebantur. Hinc Virg. Æneid. 9. v. 407.

——Si qua ipſe venatibus auxi,
Suſpendive Tholo, aut ſacra ad faſtigia fixi.

Et Hor. Car. Lib. 1. Ode 5.

——Me tabulâ ſacer
Votiva paries indicat uvida
Suſpendiße potenti
Veſtimenta maris Deo.

Eadem tamen, quod in templis repoſita eſſent, ibique fortè jacerent, ἀναπεπτώκα dicta reperias.

Aliquando iis cauſam, cur dicata fuerant, inſcribebant; interdum & quidem præſertim, cum Donarii materia literis inſcribi non poſſet, tabulam adjungebant, quæ Picturâ eam declarabat. Quod tum ex modo citatis Horatii verſibus conſtat, tum ex Tibullo, Lib. 1. Eleg. 3.

Nunc, Dea, ſuccurre mihi, nam poſſe mederi
PICTA docet templis multa TABELLA tuis.

Quo alluſit etiam Horat. Lib. 2. Ser. Sat. 1. cum ait,

VOTIVA pateat veluti deſcripta TABELLA
Vita ſenis.——

Et Ovid. Amor. Lib. 2. El. 13. ad Iſidem, ut parientem Corinnam juvet.

Ipſe ego thura dabo fumoſis candidus aris;
Ipſe feram ante tuos, munera, vota, pedes.

7. Res RELIGIOSÆ dicuntur loca, in quæ Cadaver aut Cineres hominis mortui delati ſunt ab eo qui jus inferendi habet, ut ibi

Adjiciam Titulum, SERVATA NASO CORINNA;
Tu modo fac Titulo, muneribuſque locum.

Quicunque etiam novam vivendi rationem inibant, inſtrumenta, quæ ad veteres mores, & ſtudia pertinebant, Diis conſecrare religioſum putabant perpetua monumenta. Hor. Epiſt. Lib. 1. Epiſt. 1.

——Vejanius, armis
Herculis ad poſtem fixis, latet abditus agro.

Paſtores fiſtulas ſuas ſuſpendebant Pani, aliive cuidam è ruſticis Numinibus. Tibull. Lib. 2. Eleg. 5.

Pendebatque vagi Paſtoris in arbore votum,
Ruſtica Silveſtri Fiſtula ſacra Deo.

Reduces etiam ab Expeditione Diis ſolebant donaria dedicare, unde votum Hectoris Ajacem interficere cupientis apud Homer. Iliad. Lib. 7.

Τεύχεα συλήσας οἴσω ποτὶ ἴλιον ἱρὴν,
Καὶ κρεμόω ποτὶ νηὸν Ἀπόλλωνος. ——

Et Ovid. Epiſt. 13. Laodamiæ.

Et ſua det reduci Vir meus arma Jovi.

Donaria memorat Lucanus, Lib. 9. v. 517.

Non illic Libycæ poſuerunt ditia gentes
Templa, nec Eois ſplendent DONARIA gemmis.

Virgilius vero donaria pro locis accipit in quibus dona oblata reponuntur. Georg. 3. v. 533.

——Et uris
Imparibus ductos alta ad DONARIA Currus.

Æſchines in Cteſiphont. pag. 19. edit. Foulks & Friend. Πάλιν ὑπώδυνον οὖσι ἐᾷ τὴν οὐσίαν καθιερῦν, οὐδὲ ἀνάθημα ἀναθεῖναι, οὐδὲ ἐκποίητον γνέσθαι, οὐδὲ ἀφαιρεῖσθαι τὰ ἑαυτοῦ, οὐδὲ ἄλλα πολλά.—— *Rurſum vetat etiam nequid de patrimonio ſuo conſecret; nequod in Deorum templis donum ſuſpendat; vetat ne adoptetur; nequem bonis ſuis hæredem inſtituat, aliaque permulta, antequam rationes ab eo ſint relatæ.* —— Et ibidem pag. 66. Ταύτην ποτὲ τὴν χώραν κατώκησαν Κιρραῖοι, καὶ Ἀκραγαλλίδαι, γένη παρανομώτατα, οἳ εἰς τὸ ἱερὸν τὸ ἐν Δελφοῖς, καὶ τὰ ἀναθήματα ἠσέβησαν. *Hanc oram & regionem maritimam olim incolebant Cirrhæi & Acragallidæ, gentes omni barbariâ & immanitate ſceleratiſſimæ; qui quidem templum Delphicum, & quæ in eo erant Donaria nefariè depeculati ſunt.*——

Phal. Epiſt. 84. Οὐκ ἠγνόουν, ὅτι πέμψαντός μου τοῖς παρ' ὑμῖν θεοῖς ἀναθήματα, τρίποδάς τε Δελφικοὺς, καὶ στέφανους χρυσοῦς, καὶ ἄλλα πολλὰ, καὶ πολυτελῆ κατασκευὴν τῆς σωτηρίας, δοῦν θάτερον ποιήσετε, ἢ τοῖς θεοῖς εὐσεβοῦντες ἀναθήσετε, ἢ τούτοις ἀποστεροῦντες, αὐτοὶ διαιρεῖσθε, ὅπερ δεδράκατε.——*Non ignorabam, cum veſtris Diis Anathemata, Tripodas Delphicas, coronas aureas, aliaque multa, & pretioſa pro ſalute dona mitterem, velle vos e duobus alterum facere, aut ea piè Diis conſecrare, aut, illis defraudatis, inter vos partiri, quod jam feciſtis.*——

Res RELIGIOSÆ] Non conſecratione, aut verbis ſolennibus locus religioſus efficiebatur, ſed illatione mortui, ex quo Divi Fratres reſcripſerunt Mauſoleum

perpetuo maneant. Locum autem religioſum quilibet privatus quidem ita facit, ſi modo Dominus ſit ex aſſe. Nam nec ſocius invito ſocio ex loco puro communi religioſum facere poteſt, licet in commune ſepulchrum invito eo mortuum rectè inferat.

Mauſoleum inane, ſive Monumentum purum memoriæ tantum causâ factum, quod Græci κενὸν μνῆμα, & uno verbo κενοτάφιον appellant, religioſum non eſſe, licet contrà ſenſerit *Marcianus* motus auctoritate *Virgilii* Æn. 3. v. 303.

——*Maneſque vocabat*
Hectoreum ad tumulum, viridi quem ceſpite INANEM,
Et geminas, cauſam lachrymis, ſacraverat aras.

Similis locus eſt ejuſdem Poetæ, Lib. 6. v. 150.

Tunc egomet tumulum Rhæteo in littore INANEM
Conſtitui, & magnâ manes ter voce vocavi.

Religioſa apud Romanos loca ſemper erant extra urbem in Agris, & maximè propter vias publicas, unde tam frequens VIATORVM mentio fit in antiquis monumentis. Non licebat enim per leges XII. Tabb. mortuum intra urbem ſepelire. HOMINEM MORTVVM IN VRBE NE SEPELITO, NEVE VRITO.

Religioſa habebantur Sepulchra, quia dedicata erant Diis Manibus, vel Diis Inferis; In monumentis enim frequentiſſimæ ſunt formulæ. D. M. vel D. M. S. i.e. DIS MANIBVS SACRVM.

Nec ipſum tantum ſpatium, quo Cadaver concludebatur, occupavit Religio, ſed & aliquam vicinæ areæ partem, cujus ambitum in monumentis deſignabant hoc modo. IN FR. P. X. IN AGR. P. XX. i. e. in fronte pedes decem, in Agrum pedes viginti.——Hor. Ser. 1. 8. v. 12.

Mille pedes in fronte, Trecentos cippus in agrum
Hic dabat; Heredes Monumentum ne ſequeretur.

Ditiores plerumque extruebant Pyramidem, Columnam, aliamve molem ſplendidam e marmore plerumque ſolido, unde & *Domus Marmorea* pro Sepulchro dicitur. Tibull. III. 2.

Atque in MARMOREA *ponere ſicca* DOMO.

Et quamvis quantum ſumptuum ſepulchris impendi poſſet Edicto Ædilium expreſſum eſſet, tanta tamen, gliſcente luxu, eâ in re Romanorum magnificentia eluxit, ut eam non ſine ſtupore in marmoribus & monumentis intueamur. In ipſis Sepulchris Specus ſubterranea dicebatur HYPOGÆVM, ubi locus erat certo ollarum vel urnarum numero deſtinatus, qui OLLARIVM vocabatur. Ita ſe res habebat, quamdiu corpora cremari ſolebant; id quod & poſt ANTONINORVM tempora factum eſſe ex monumentis pœne innumeris patet. Exoleſcente paulatim eo ritu, arcas loco ollarum conſtituebant in Hypogæis, vel marmoreas, vel ex lapide Tiburtino, vel fictiles, vel ex Aſio lapide, cujus ea vis erat ut cadavera ſtatim conſumeret. Qui lapis cum frequentiſſime his uſibus inſerviret, factum eſt ut Arcæ illæ dictæ ſint SARCOPHAGI. Quemadmodum ergo in aliis monumentis legimus ibi ſita eſſe

OSSA,

OSSA, vel CINERES, ita in aliis verba occurrunt, CORPVS INTEGRVM CONDITVM SARCOPHAGO. In eodem porro Hypogæo, ubi oſſa, cineres, cadavera requieſcebant erant *Lampadaria* vel *Lycnuchi*, eorumque cura, niſi ita comparata eſſent, ut perpetuò lucerent, demandari ſolebat Libertis, vel Servis.

Obſervandum eſt etiam, quod Sepulchra erant FAMILIARIA, HEREDITARIA & quædam NEVTRIVS IVRIS. FAMILIARIA univerſæ familiæ patebant, non autem heredibus extraneis. Unde formulæ in vetuſtis marmoribus, HOC MONVMENTVM EXTERVM NON SEQVETVR, aliæque ſimiles.

HEREDITARIA omnes heredes etiam extraneos ſequebantur, id quod indicare ſolebant formulis. H. M. H. S. id eſt, HOC MONVMENTVM HEREDES SEQVITVR. Hor. in loco ſupra citato,

——*Heredes monumentum ne ſequeretur.*

Denique quædam NEVTRIVS IVRIS erant, neque familiaria, neque hereditaria; modo enim tantum SIBI conditorium parabant, modo SIBI ET CONIVGI, modo ſibi & ſuis qui in poteſtate futuri ſunt; modo diſertè cavebant, ne quos inferre liceret, niſi quorum nomina ſcripta ſint, & quibus conditor ejus Sepulchri diſertè caverit.

Apud Græcos monumenta in honorem mortuorum erecta, ſed oſſibus vacua, quæ idcirco κενοτάφια dicta ſunt, erant duplicia. Altera enim iis, qui jam alibi humo mandati fuerant, dicari ſolebant. Horum frequenter meminit *Pauſanias* in Atticis, Meſſenicis, Eliacis, Bœoticis, quibus in locis loquitur de tumulis honorariis *Euripidis*, *Ariſtomenis*, *Achillis*, *Tireſiæ* &c.

Alia vero inſepultis donabantur. Veteres enim invaſerat opinio mortuorum, ſcilicet intumulatorum, manes ad beatas ſedes nunquam admitti, ſed ſpatio centum annorum triſtes vagari; qui autem in mari aliove loco perierat, ejuſque corpus nullibi inveniebatur, quiete donari credebatur INANI ſepulchro erecto, defunctique manibus ad paratam ſedem ter alta voce vocatis; quod dicebatur ψυχαγωγία.

Hujus conſuetudinis cauſam reddit *Auſonius* eleganti carmine in Præfat. *Parentalium.*

Hoc ſatis & tumulis, ſatis & telluris egenis;
Voce ciere animas funeris inſtar habet.
Gaudent compoſiti cineres ſua nomina dici,
Frontibus hoc ſcriptis & monumenta jubent.
Ille etiam, maſti cui defuit Urna Sepulchri,
Nomine ter dicto pœne ſepultus erit.

Honoraria autem Sepulchra per ἰκεῖον, vel lignum navis fractæ ſurrectum, diſcerni ſolebant, quo Defuncti obitus in loco peregrino ſignificabatur.

Virg. Æn. IX. v. 210. Nyſus Euryalum de Cenotaphio ſibi in omnem eventum & ſubſidium erigendo ſic alloquitur.

Sed ſi quis, (quæ multa vides diſcrimine tali,)
Si quis in adverſum rapiat caſuſve, Deuſve,
Te ſupereſſe velim: Tua vitâ dignior ætas;
Sit qui me raptum pugnâ, pretiove redemptum

Mandet

8. SANCTÆ quoque res, veluti muri & portæ Civitatis, quodammodo divini juris ſunt ; & ideò nullius in bonis ſunt. Ideò autem muros *ſanctos* dicimus, quia pœna capitis conſtituta eſt in eos, qui aliquid in muros deliquerint. Ideo & legum eas partes, quibus pœnæ conſtituuntur adverſus eos, qui contra leges fecerint, *Sanctiones* vocamus.

9. Singulorum autem hominum multis modis res fiunt. Quarundam enim rerum dominium nanciſcimur *jure naturali*, vel *jure gentium*, quarundam vero *jure civili*. Commodius eſt itaque a vetuſtiore jure incipere. Palam eſt autem vetuſtius eſſe jus naturale, quod cum ipſo genere humano rerum natura prodidit. Civilia autem jura tunc eſſe cœperunt, quum & civitates condi, & Magiſtratus creari, & leges ſcribi cœperunt.

10. Priuſquam vero ulterius progrediamur, pauca dicenda ſunt de natura & origine *Dominii*. *Dominium* vero eſt *jus, quo alicujus rei velut Subſtantia ita ad aliquem pertinet, ut eodem modo in ſolidum non pertineat ad alium hominem*. Ab initio quidem omnes res intelliguntur abs Deo veluti in medio hominibus expoſitæ,

Mandet humo ſolitâ ; aut, ſi qua id fortuna vetabit,
ABSENTI ferat inferias, decoretque SEPVLCHRO.

Habemus etiam hujus ritus illuſtre exemplum apud Xenophontem Lib. 6. Expeditionis Cyri, ubi INANE SEPVLCHRVM conſtituitur militibus defunctis, quorum reliquiæ non faciles erant repertu.——Ἐνίους δὲ τοὺς ἐκ τῶν ὁδῶν συνενεγκόντες ἔθαψαν, ἐκ τῶν ὑπαρχόντων ὡς ἐδυνάντο κάλλιστα. Οὓς δὲ μὴ εὕρισκον κενοτάφιον αὐτοῖς ἐποίησαν μέγα, ἐς πυρὰν μεγάλην, καὶ στεφάνους ἐπέθεσαν.

SANCTÆ quoque res] Vox ſancti generaliter ſumpta & ſacrum, & religioſum comprehendit ; ſtrictiùs accepta id quod neque ſacrum, nec religioſum, ſed tale, quod abſque pœnâ violari non poſſit. Hinc Legati jure gentium ſancti habentur—Hinc leges & rogationes dicuntur *ſanctæ*. Hinc muri quoque *ſancti*, quia ſpeciali ſanctione contra violantium audaciam muniti atque confirmati ſunt. Non aliam forſan ob cauſam hac *ſanctitatis* opinione videntur imbuti fuiſſe homines, niſi ut cives pro mœnibus, tanquam pro re ſanctâ, Diiſque dedicatâ tantò fortiùs pugnarent.

Veluti in medio hominibus expoſitæ] Cic. Lib. 1. de Offic. cap. 7.——*Privata nulla ſunt naturâ, ſed aut veteri occupatione ; ut qui quondam in vacua venerunt, aut victoriâ, ut qui bello potiti ſunt.*——Juſtin. Lib. 4. 3. c. 1.——*Erant omnia communia & indiviſa omnibus, veluti unum cunctis patrimonium.* Virg. Georg. I. 126.

Nec

ita ut non magis ad hunc quam ad alterum pertinerent. Ita tamen, ut ſic circa eas diſponerent homines, prout conditio humani generis, & ratio pacis ac tranquillitatis, bonique ordinis in eodem conſervandi videretur exigere. Inde cum adhuc intra paucos genus mortalium ſubſiſteret, placuit ut illa quidem cujuſque fierent, nec ab altero ipſi eripi deberent, quæ quis adprehendiſſet hac intentione, ut eadem ad uſus ſuos adplicaret; ipſa tamen corpora ex quibus illæ res provenirent, in medio ad neminem peculiariter ſpectantia manerent. Sed poſtea multiplicatis hominibus, & varias artes exercentibus, ad evitandas rixas, & bonum ordinem introducendum, ipſa quoque corpora rerum inter homines diviſa, & cuilibet ſua portio aſſignata, hac additâ conventione, ut quæ in prima rerum diviſione in medio forent relicta, deinceps ejus poſſent fieri, qui primus eadem ſibi aſſeruiſſet. Sic igitur prævio conſenſu hominum, pactoque ſaltem tacito *Proprietas rerum*, ſive *Dominium* fuit introductum.

11. Dominium eſt *plenum*, cum quis & proprietatem & utilitatem rei habet; vel *minus plenum*, cum quis alterutram tantum habet. Et hoc eſt vel *directum*, cum quis proprietatem ſine utilitate habet, ut Dominus Feudi, Emphyteuſeos: vel *utile*, cum quis utilitatem ſine proprietate habet, ut Vaſallus, Emphyteuta.

12. Dominium etiam dicitur eſſe *eminens*, quod in eo conſiſtit, ut urgente Reipublicæ neceſſitate bona Subditi cujuſpiam, quibus præſens tempus maximè opus habet, ad uſus publicos arripi & adplicari queant, licet iſta longè ſuperent ratam partem, quam iſte ad ſumptus Reipublicæ conferre tenebatur.

13. Modi vero Dominii acquirendi ex jure Gentium ad quatuor capita referri poſſunt, videlicet ad *Occupationem*, *Acceſſionem*, *Specificationem* & *Traditionem*, vel forſan commodius ad tria tan-

Nec ſignare quidem, aut partiri limite campum
Fas erat; in medium quærebant. ——
Hor. Lib. 2. Sat. 2. v. 129.

Nam propriæ telluris herum natura, nec illum,
Nec me, nec quemquam ſtatuit. ——

tum,

tum, cum Specificatio ſit Acceſſio quædam, quæ induſtriâ fit hominum.

14. Occvpatio eſt apprehenſio earum rerum, quæ antè in nullius fuêre dominio, neque de facto Dominum habent. Hoc igitur modo adquiruntur regiones deſertæ, quas nemo unquam ſibi aſſeruit; quæ fiunt illius, qui primus eas ingreditur animo ſibi habendi, ita ut culturam eis adhibeat, & certos limites conſtituat, quouſque eas ſuas eſſe velit. Ubi autem cætus multorum hominum junctim occupaverit partem quampiam terræ, uſitatiſſimum eſt, ut ſingulis ex eo cœtu aliqua portio aſſignetur; quæ ſuperſunt ad totum cætum pertinere cenſeantur. Per occupationem quoque adquiruntur beſtiæ, aves, piſces in mari, fluminibus aut lacubus verſantes; cedunt ergo feræ occupanti, ejuſque eſſe intelliguntur donec cuſtodiam ejus evaſerint, ſeque in naturalem libertatem receperint. Captis autem manſuetis, aut manſuefactis, ut cervis &c. furtum fit, niſi depoſitâ revertendi conſuetudine ad ingenium ferarum redierint. Item ſi quæ a mari in littus ſolent ejici; modo tamen per imperium civile promiſcua ejuſmodi rerum captura non ſit interdicta, aut certo alicui aſſignata. Neceſſe eſt vero ſi noſtra debeant fieri, ut corporaliter adprehendamus, & in noſtram poteſtatem redigamus. Occupatione quoque adquiruntur res in quibus Dominium, cui ante ſubjectæ fuerant, planè eſt extinctum. Puta ſi quæ abjiciuntur ea intentione, ne ampliùs ea ſint noſtra, aut quæ ab initio inviti amitti-

Ut cervis &c.] Exemplum cervi ita inſtituti a *Tyrrhei* liberis, & præſertim *Silvia* filiâ, habemus apud *Virgilium* Æn. Lib. 7. v. 483.

Cervus erat forma præſtanti, & cornibus ingens,
Tyrrheidæ pueri, quem matris ab ubere raptum
Nutribant, Tyrrheuſque Pater, cui regia parent
Armenta, & latè cuſtodia credita campi.
Aſſuetum imperiis ſoror omni Sylvia curâ
Mollibus intexens ornabat cornua Sertis,
Pectebatque ferum, puroque in fonte lavabat.
Ille manum patiens, menſæque aſſuetus herili
Errabat ſylvis, rurſuſque ad limina nota
Ipſe domum ſerâ quamvis ſe nocte ferebat.

 mus,

mus, ſed poſt *pro derelictis* habemus. Quo etiam pertinet *Theſaurus*, ſeu pecunia cujus Dominus ignoratur, qui inventori cedit, ubi per leges civiles aliter non eſt diſpoſitum. Si vero aliquid vel lucri cauſa, vel metus, vel cuſtodiæ ſub terra condatur, non eſt Theſaurus, cujus etiam furtum fit. Rebus hiſce quæ ex occupatione in proprietatem veniunt Romani Juriſconſulti ea addunt, quæ ex hoſtibus capimus. Hæc enim jure Gentium ſtatim noſtra fiunt, ſive mobilia ſunt, ſive immobilia, ſive inanimata, ſive animata; adeo ut liberi homines capti in ſervitutem redigantur, & cedant capientibus. Res mobiles vero interdum ſervatæ Victori, ejuſque arbitrio permiſſæ; interdum in ærarium relatæ; interdum ab Imperatoribus inter milites diviſæ. Immobiles, puta agri, Arces, Oppida, publicantur, id eſt, fiunt Principis aut Reipublicæ, cujus auſpiciis bellum geritur.

15. Accessio eſt modus acquirendi, quo vi & poteſtate rei noſtræ aliam adquirimus; eſtque *Naturalis*, *Artificialis*, vel *Mixta*. *Naturalis* fit ſolius naturæ operatione——*Artificialis* ſolo labore humano——*Mixta* utroque.

16. Acceſſionis naturalis ſpecies ſunt 1. Alluvio. 2. Appulſio. 3. Inſula in flumine nata. 4. Alveus a flumine relictus. 5. Fœtura.

17. *Alluvio* eſt Incrementum latens, quo quid agro noſtro paulatim ita adjicitur, ut intelligi non poſſit, quantum quoquo temporis momento adjiciatur.

18. *Appulſio* eſt, cum vis fluminis partem prædio tuo detractam ad vicini prædium appellit; cujus vicinus Dominus fit, cum pars

Alluvio eſt Incrementum latens] Cic. de Nat. Deor. Lib. 1.——*Ægyptum Nilus irrigat, & cum tota æſtate obrutam, oppletamque tenuerit, tum recedit, mollitoſque, & oblimatos agros ad ſerendum relinquit. Meſopotamiam fertilem efficit Euphrates, in quam quotannis quaſi novos agros invehit. Indus vero qui eſt omnium fluminum maximus, non aquâ ſolum agros latificat & mitigat, ſed eos etiam conſerit; magnam enim vim ſeminum ſecum frumenti, & ſimilium dicitur deportare.*——

Lucan. Lib. 3.

——*Sed ſparſus in agros*
Fertilis Euphrates, Pharia vice fungitur unda.

cum

cum prædio coaluit; veluti cum arbores jam radices egerunt: antea tua manet.

19. *Inſula*, quæ in medio flumine naſcitur, fit eorum qui ab utrâque parte fluminis prope ripam prædia poſſident, pro modo latitudinis cujuſque fundi. Ultra medium amnem ad unam ripam nata, ejus vicino poſſeſſori tota cedit. In mari ſi aliquando naſcatur, nullius eſt, & occupantis fit.

20. *Alveus* a flumine relictus acquiritur etiam vicinis poſſeſſoribus pro modo prædiorum; novus autem alveus ejus juris eſſe incipit, cujus & ipſum flumen eſt, id eſt, publicus.

21. *Fœturâ* acquirimus quicquid ex ancillis, aut animalibus noſtris naſcitur: non tam quod accedant aut uniantur rei noſtræ, quam quod ex ea naſcantur. Quicquid enim ex re meâ naſcitur meum eſt.

22. *Acceſſionis Artificialis* ſpecies ſunt. 1. Specificatio. 2. Confuſio. 3. Commixtio. 4. Adjunctio, veluti Inædificatio, Scriptura, Intertextura, non vero Pictura.

23. *Specificatio* eſt, cum ex alienâ materiâ alius novam ſpeciem facit eo animo, ut ſibi acquirat; quo caſu materia cedit formæ, & res fit ſpecificantis, niſi ad priorem rudem materiam poſſit reduci. Neque tamen priſtinus Dominus fraudatur æſtimatione materiæ.

Inſula quæ in medio flumine naſcitur] *Ager Tarquiniorum, qui inter Urbem ac Tiberim fuit, conſecratus Marti, Martius deinde campus fuit. Fortè ibi tum ſeges farris dicitur fuiſſe matura meſſi; quem campi fructum, quia religioſum erat conſumere, deſectam cum ſtramento ſegetem magna vis hominum ſimul inmiſſa corbibus fudere in Tyberim tenui fluentem aquâ, ut mediis caloribus ſolet; ita in vadis hæſitantis frumenti acervos ſediſſe illitos limo: inſulam inde paulatim, & aliis quæ fert temerè flumen eodem invectis factam; poſtea credo additas moles, manuque adjutum, ut tam eminens area, firmaque templis quoque ac porticibus ſuſtinendis eſſet.* Liv. Lib. 2. cap. 5.

Novus autem alveus] Ita plerumque evenit, ut alios flumen ditet, alios pauperet. Lucan.

Illos terra fugit Dominos, his rura colonis
Accedunt donante Pado.——

24. *Confuſio* eſt cum duorum, pluriumve res *liquidæ* invicem miſcentur, quæ fiunt communes ſi utriuſque voluntate aut caſu fortuito confuſæ ſint. Alias illius erit materia, qui ignorante altero, confuſione novam ſpeciem fecit. Niſi res fortuito caſu confuſæ commodè ſeparari poſſint.

25. *Commixtio* eſt cum plurium res *ſolidæ* invicem miſcentur, quæ ſi utriuſque voluntate ſit facta, corpus vel acervum communem facit. Si caſu, vel altero ignorante contigerit, dabitur utrique rei ſuæ vindicatio cujus forma quidem non eſt mutata; ſed tamen quia ſingula grana difficulter vindicari poſſunt, quiſque ex commixto acervo partem capit, & Judex arbitratur quale cujuſque frumentum fuerit, & quantum pecuniæ eo nomine alterum alteri præſtare æquum ſit; ut eadem fere ſit reſtitutio, quæ in Confuſione.

26. *Adjunctio* eſt, quando aliena res materiæ noſtræ adjungitur, de qua hæc eſt regula: Quæcunque res alterius rei ita jungitur ut vel pars ejus fiat, vel ſine ea ut fundamento ſuo eſſe non poſſit, cedit ei cui jungitur, ut Purpura veſti, Ædificium ſolo, Scriptura chartæ; Exceptio eſt in Pictura ob præſtantiam artis. Ridiculum enim putavit Imperator Picturam Apellis vel Parrhaſii in acceſſionem viliſſimæ tabulæ cedere.

"Mirum vero eſt, Jureconſultos Romanos, quorum quidam "id in picturâ obſervârunt, non idem obſervâſſe in ſcripturâ; "quaſi magis ferendum eſſet, ſcripturam viri docti cedere in "acceſſionem viliſſimæ chartæ, quam Pictoris abſolutiſſimum "opus cedere in acceſſionem viliſſimæ tabulæ."

27. *Acceſſionis mixtæ* ſpecies ſunt 1. Plantatio. 2. Satio. 3. Fructuum perceptio.

28. *Planta* jure ſoli ejus erit, cujus eſt ſolum, ita ut ne quidem eruta vindicari a priſtino Domino poſſit, dummodo radices egerit. Arbor in confinio poſita, ſi etiam in vicini fundo radices egerit, communis fit.

29. Idem, quod de plantis, dicendum eſt de *Satis*; nimirum Sata ejus eſſe, cujus eſt ſolum, quia fructus non jure ſeminis, ſed

ſoli

ſoli percipiuntur. Is tamen, qui bonâ fide ſevit, oppoſitâ *doli mali exceptione* impenſas ſervare poteſt.

30. Ad mixtam acceſſionem quodammodo pertinet etiam *fructuum* ex alieno *perceptio*, quorum dominium accedit bonæ fidei poſſeſſioni. Nam bonæ fidei poſſeſſor, (id eſt is qui ex juſta cauſa ſive juſto titulo poſſidendi, veluti emptione, donatione, legato, detinet rem, quam putat bona fide ſuam eſſe,) omnes fructus ſive naturales, ut poma, pira, herbas &c. ſive induſtriales, ut vinum, ſegetes, legumina, percipiendo indiſtinctè facit ſuos, & quidem conſumptos perpetuo jure. Extantes Dominus verus cum fundo vindicat.

31. Fructus pendentes fundi pars eſſe videntur, nec dicuntur percepti.

32. Malæ autem fidei poſſeſſor indiſtinctè omnes reſtituit fructus, non tantùm perceptos, ſed & percipiendos.

33. Omnes autem intelliguntur eſſe malæ fidei poſſeſſores poſt litem conteſtatam, licet ante bonâ fide poſſederint.

34. Alia eſt ratio Uſufructuarii & Coloni. Nam hi 1. fructus faciunt ſuos ex voluntate Domini, non vi, & poteſtate ſoli bona fide poſſeſſi; nec 2. faciunt ſuos niſi vel ipſi, vel alius ipſorum nomine perceperit.

35. Sic quidem expedita eſt quæſtio de dominio acquirendo per acceſſionem. Alia quæſtio eſt de *ſarciendo damno* ejus, cujus res ita alteri acceſſit.

36. Qui enim re ſua ita privatur ſine voluntate aut facto ſuo, non debet damnum inde ſentire. Nec alius quiſquam debet locupletior fieri cum alterius detrimento. Hinc priſtinus Dominus, qui neque rem vindicare, neque *ad exhibendum* de ea re amplius agere poteſt, *in factum actione* damnum ſibi reſarciri petit; quomodo conveniri poteſt, qui bonâ fide vel ſpeciem ex meâ materia fecit & acquiſivit, vel purpuram meam intexuit, vel ex meâ materia in ſuo inædificavit, plantavit &c. Si quis autem hæc malâ fide aut furtim fecit, non tantum condictione furtiva, ſed & ad exhibendum tenetur. Exceptio eſt in tigno juncto de

quo,

quo, ſtante ædificio non ad exhibendum, ſed actione de tigno juncto in duplum agitur contra eum, qui alienum tignum ædibus ſuis ſive bonâ, ſive malâ fide junxit. Sic volente Lege XII. Tabb. ne ædificia reſcindantur. Diruto ædificio materiæ Dominus eam rectè vindicat, licet duplum conſecutus ſit, ab eo qui malâ, non qui bonâ fide junxit.

37. TRADITIO in genere eſt Datio Poſſeſſionis; Eſtque vera vel quaſi Traditio.

38. *Vera* eſt, cum res mobilis de manu in manum traditur, vel cum quis in poſſeſſionem rei immobilis inducitur.

39. *Quaſi Traditio* eſt, quæ fit vel per fictionem brevis manus, vel per Symbolum ſive Signum.

40. *Fictio brevi manu fit*, cum res quæ ante ex alia cauſa verè tradita eſt, ex alia poſtea denuo pro tradita habetur, & una traditio pro duplici reputatur; veluti ſi rem, quam tibi aliquis locaverit, aut commodaverit, aut apud Te depoſuerit, poſtea aut vendiderit tibi; aut donaverit, aut dotis nomine dederit; eo enim ipſo, quod patitur tuam eſſe, ſtatim tibi acquiritur proprietas.

41. *Symbolica Traditio* eſt, cum interveniente Signo vel Symbolo res ſignata habetur pro tradita; uti merces in taberna, traditis clavibus Tabernæ, ad emptorem transferuntur. Sic & uſus, & Patientia in Servitutibus eſt pro Traditione.

42. Venditæ vero res & traditæ non aliter emptori acquiruntur, quam ſi is venditori pretium ſolverit, vel alio modo ei ſatisfecerit, veluti expromiſſore aut pignore dato. Sed ſi is, qui vendidit, fidem emptoris ſecutus fuerit, dicendum eſt ſtatim rem emptoris fieri.

43. Ut Traditione acquiratur rei Dominium requiruntur 1. Voluntas tradentis, cum nemo privetur re ſuâ invitus. 2. Poteſtas in transferente, nam rem alienam nemo rectè transfert. 3. Ut ſit res, quæ poſſit transferri a Domino; Unde traditio rei alienari prohibitæ per Teſtatorem aut legem nihil operatur. 4. Ut fiat Traditio ex juſtâ causâ præcedente, qualis eſt Emptio, Venditio, Dos, Legatum &c. Neque enim nuda & Simplex Traditio Dominii tranſlationem operatur.

44. In-

44. Interdum & in incertam perſonam collata voluntas Domini transfert rei proprietatem; ſic Prætores & Conſules, cum miſſilia jactant in vulgus, ignorant quid eorum quiſque ſit excepturus, & tamen quia volunt, quod quiſque acceperit, ejus eſſe, ſtatim eum Dominum efficiunt.

45. Ex ſupradictis forſan intelligamus, unde natum ſit Dominium minus plenum. Quum enim per illud nihil aliud intelligamus, quam Dominium cujus effectus inter duos dominos inæqualiter diviſi ſunt: admodum probabile eſt illius originem repetendam eſſe a Traditione cum exceptione vel reſervatione partis cujuſdam Dominii factâ. Quum ita vero comparatum ſit Dominium utile, ut major Dominus ſibi facultatem aliquam vel circa diſpoſitionem concurrendi, vel aliquid ex quo de agnitione Dominii conſtet exigendi reſervet, conſequens eſt ut quamvis innumera eſſe poſſint Dominii minus pleni genera, & res hic præcipuè redeat ad conventionem partium; tamen ſi quis ſibi a poſſeſſore rei traditæ ſtipuletur fidelitatem & ſervitia, & ne res ſine ſuo conſenſu alienetur, inde naſcatur FEVDVM.—Si canonem annuum in agnitionem Dominii ſolvendum, JVS EMPHYTEVTICVM;—ſi denique ſolarium pro ſuperficie in ſolo nobis reſervato præſtandum, JVS SVPERFICIEI: quæ præcipua & apud pleraſque gentes notiſſima ſunt dominii utilis genera.

JUS ANGLICANUM.

Secundum juris noſtri objectum ſunt Terræ, Tenementa, & Hæreditates, nec non Catalla realia, & perſonalia.

Diſpiciendum eſt ergo 1. Quomodo Terræ, Tenementa & Hæreditates dividantur. 2. Quomodo acquirantur aut transferantur. 3. Quomodo amittantur.

1. Terræ &c. dividuntur in Feudum purum, ſive ſimplex——in Conditionale vel Limitatum.——In Tallium poſt ſpem vel poſſibilitatem exitus extinctam——in Terras &c. quæ ex conſuetudine Angliæ maritis, vel in dotem Uxoribus permittuntur.—— Quas quis ad terminum vitæ vel ſuæ vel alterius, vel ad alterius voluntatem poſſidet——Quæ tenentur per copiam Rotulorum Curiæ — in antiquo Dominico — Sub certâ Conditione——Statuto Mercatorio.——Statuto Stapuli——Per Elegit——Quæ teſtamento Executoribus legantur——Quæ tenentur per Participes——Per Tenentes Conjunctos——Per Tenentes in Communi——In remanentiâ——In Reverſione.

TIT. II.

De Rebus Corporalibus & Incorporalibus.

1. Quædam præterea res *Corporales* ſunt, quædam *Incorporales*. *Corporales* hæ ſunt, quæ ſua natura tangi poſſunt, veluti fundus, veſtis, aurum &c. *Incorporales* autem, quæ ita tangi non poſſunt, qualia ſunt ea, quæ in jure conſiſtunt, ſicut Hæreditas, Uſuſfructus, Uſus, & Obligationes quoquo modo contractæ. Nec ad rem pertinet, quod in hæreditate res corporales continentur: nam & fructus, qui ex fundo percipiuntur, corporales ſunt, & id quod ex aliqua obligatione nobis debetur plerumque corporale eſt, veluti fundus, Pecunia; nam ipſum jus hæreditatis, utendi fruendi, & obligationis, incorporale eſt. Eodem numero ſunt &

ſione.——Terræ &c. ſecundo dividuntur in corporales, quæ tangi poſſunt ut Terra, Fundus &c. & Incorporales, quæ nec videri nec tangi poſſunt, ut Jura, Dignitates, Advocationes, Servitutes, Privilegia &c.———

2. Terræ &c. acquirantur 1. Occupatione. 2. Succeſſione Hæreditariâ. 3. Emptione. 4. Præſcriptione. 5. Eſcaeta.

3. Terræ &c. amittantur 1. Alienatione Tenentis ad annos, ſeu ad voluntatem. 2. Alienatione in manum mortuam. 3. Conditione non impleta. 4. Vaſto. 5. Conturbatione. 6. Eſcaeta. 7. Diſſeiſina. 8. Abatamento ſeu Interpoſitione. 9. Intruſione.

Catallum ſignificat omne bonum mobile ſeu immobile, quod neque liberum Tenementum, neque Feudum eſt.

Catalla vero alia ſunt *realia*, alia *perſonalia*. *Realia* ſunt, quæ mediatè ſive virtute alterius rei ad aliquem pertinent, ut Annui reditus &c. Perſonalia, quæ immediatè ad poſſeſſorem pertinent, ut Aurum, Argentum &c.

Catalla acquirantur 1. Regis Prærogativâ. 2. Donatione. 3. Venditione. 4. Furto. 5. Teſtamento. 6. Adminiſtratione.

Catalla amittantur 1. Proditione. 2. Felonia. 3. Si quis Feloniæ accuſatus ſui copiam non faciat. 4. Venditione in Foro publico. 5. Deodando. 6. Theſauro. 7. Waivio. 8. Extrahura. 9. Wrecko.

Corporales hæ ſunt] Cic. Topic. 5. *Definitionum duo ſunt genera prima. Unum earum rerum quæ ſunt, alterum earum rerum quæ intelliguntur. ESSE ea dico, quæ cerni tangive poßunt, ut fundum, ædes, parietem, ſtillicidium, mancipium, Pecudem, ſupellectilem, penus & cætera. NON ESSE rurſus ea dico, quæ tangi, demonſtrarive non poßunt, ut ſi uſucapionem, ſi tutelam, ſi gentem, ſi agnationem definias, quarum rerum nullum ſubeſt quaſi corpus; eſt tamen quædam conformatio inſignita, & impreſſa intelligentiæ, quam notionem voco.*

jura

jura prædiorum urbanorum & ruſticorum, quæ etiam Servitutes vocantur.

2. Corporales ſunt *mobiles*, vel *immobiles*.

JUS ANGLICANUM. ad Tit. II.

Angli rerum corporalium, & mobilium plenum Dominium habent, ſed non utique immobilium, ſi Regem, & jus Coronæ exceperimus. ALLODIVM enim Subditi non aſſequuntur in terris & Tenementis, ſed FEVDVM tantum. FEVDVM autem plenum Dominium non continere, non ſolum Feudiſtæ, ſed etiam LITTLETONI verba non obſcure declarant, QVOD TALIS DE TALI FVNDO SEISITVS FVERIT IN DOMINICO SVO TANQVAM DE FEVDO, quibus pleniſſimum jus exprimi dicit, nam hæc verba VT IN FEVDO de directo Dominio aliquid minuunt, & beneficii loco a ſuperiori teneri arguunt.

FEVDVM ſive FEODVM ab illa Germanorum voce FIEF efformatur, quod prædium beneficiarium ſignificat, & a Feudiſtis definitur eſſe res immobilis ita data alicui, ut ejus proprietas penes dantem maneat, uſusfructus vero ad accipientem & hæredes ejus, ſive maſculos, ſive fœminas in perpetuum tranſeat, dummodo accipiens, ejuſque hæredes fideliter Domino ſerviant. Fit tamen plerumque ut non prorſus gratuitò conferatur, ſed pecuniâ aliqua tenui reditus loco, ſeu etiam ſervitio interveniente.

Variæ admodum ſunt Feudi Diviſiones, ſed præcipua eſt hæc, nempe in *purum vel ſimplex*, & *conditionale vel limitatum*. *Simplex* eſt, quod ſimplici & perpetuo jure, quis tenet ſibi & hæredibus ſuis. *Conditionale* eſt, quod quis ſibi & hæredibus ſuis talibus vel talibus conceſſum habet; nam illis deficientibus Feudum ad Donatorem, vel hæredes ſuos revertitur. Atque ideo qui terras ſibi & Uxori ſuæ & hæredibus ſuis ex ea genitis donatas habet, eâ ſine liberis mortuâ, ille appellatur *Tenens in Tallio poſt ſpem vel poſſibilitatem exitus extinctam*. Hoc autem Feudum apud nos TALLIATVM dicitur, profluens a Gallica dictione TALLIER id eſt. *ſcindere*, *ſecare*, ac ſi diceremus, Feudum quodammodo *inſectum* aut *diminutum*.

Hujuſmodi autem Feudum duplex eſt, *Generaliter* nimirum & *ſpecialiter* talliatum. Talliatum *generaliter* eſt quando Feudum datur Feudatario & hæredibus ab ipſo legitimè natis vel naſcituris. Hoc autem caſu e quacunque uxore ſive primâ, ſive ſecundâ, aut tertiâ liberos ſuſcitaverit, illi ſuccedent. Talliatum *ſpecialiter* eſt, quando Feudatario & uxori, & hæredibus utriuſque eorum Feudum donatur.

Feudum autem non unicus tantum Feudatarius, ſed plures poſſidere poſſunt, ut qui PARTICIPES, TENENTES CONIVNCTI, vel TENENTES IN COMMVNI a noſtris appellantur.—— PARTICIPES ſunt vel *jure* vel *conſuetudine*—— *Jure* ſunt Sorores cohæredes, quia hæredibus maſculis deficientibus æqualiter in Feudo Parentibus ſuccedunt. *Conſuetudine* ſunt Fratres, qui in diverſis regni Provinciis, præſertim in *Cantio* ex conſuetudine (GAVELKIND) appellatâ pro æquis portionibus ad hæreditatem vocantur.——TENENTES

TIT. III.

De Servitutibus.

1. Occaſione rerum incorporalium agitur hic de *Servitute* quæ a ſerviendo dicitur. *Servitus* vero eſt jus in re aliena ad uſum alterius vel prædii vel perſonæ præter ejus naturam conſtitutum.

CONIVNCTI ſunt, qui uno eodemque titulo, dummodo non hæreditario, terras aut Tenementa poſſident.——TENENTES IN COMMVNI ſunt illi, qui ex diverſis titulis Terras aut Tenementa pro indiviſo poſſident. Utpote ſi una e cohæredibus partem ſuam extraneo vendiderit, Hic non TENENS CONIVNCTVS cum reliquis participibus, ſed IN COMMVNI nuncupatur.

De Feudorum origine non convenit inter Interpretes juris Romani; Aliqui enim Feuda a *Romanorum* legibus & moribus orta fuiſſe exiſtimant; ſed longè plures ea Romanis incognita fuiſſe, & a *Longobardis* dum in Italia dominabantur cœpiſſe tradunt.

Qui Romanis Feudorum originem tribuunt, memorant illas Clientelas, quæ inter Patronos & Clientes interceſſerunt; nam a tempore *Romuli* Plebeiis mos erat eligendi Patricios in Patronos ſuos, & poſtea Provinciales & Socii ſibi adoptabant Senatores in Patronos, inter quos ea erat neceſſitudo, ut Patroni clientum oppreſſorum caput & fortunas tuerentur, Clienteſque viciſſim Patronos ſuos omni obſequio colerent, & venerarentur; Clientes ſe dabant in fidem & Clientelam Patronorum, Patroni Clientes in fidem receperunt, atque inde ortam eſſe eam conjunctionem, quæ hodie eſt inter Dominum & Vaſallum: Alii ſtipendia militum, quæ *Militiæ* in jure Romano appellantur, Feudis ſimilia eſſe volunt; alii vero Colonos *glebæ aſcriptitios* Vaſallis, & Feudatariis ſimiles eſſe opinantur. Veriſimilior eſt eorum conjectura, qui potius Feuda ab *Alexandro Severo* & *Conſtantino Magno* cœpiſſe cenſuerunt. *Severus* enim donavit Ducibus & Militibus Limitaneis ea prædia, quæ ab hoſtibus capta ſunt, ita ut eorum eſſent, ſi hæredes eorum militarent, attentius militaturi ſi ſua prædia defenderent; eademque poſtea *Conſtantinus Magnus* voluit etiam ad Hæredem Paganum tranſire, ut milites ſuos ſibi conciliaret. Hæc vero a Feudis longe abſunt, quæ hodie moribus gentium inducta ſunt, & aſſeritur Feuda jure Romano eſſe penitus incognita, nullaque eorum veſtigia in Jure Juſtinianæo apparere.

Cragius, *Somnerus*, *Spelmannus*, aliique exiſtimant Feodorum Servitutes in Britanniam noſtram primum invexiſſe *Gulielmum Seniorem Conqueſtorem* Nuncupatum, Qui lege eâ è *Normannia* introductâ *Angliam* totam ſuis diviſit Commilitibus; *Seldenus* aliique eas antiquiores eſſe, & *Saxonibus* non ignotas eſſe contendunt. Ex *Polydoro* vero, qui Anglorum Hiſtoriam conſcripſit diligentiſſimè, conſtat manifeſtè Conqueſtorem, cum omnia Angliæ prædia jure belli ad ſe pertinere diceret, legem agrariam tuliſſe, qua ſe omnium Poſſeſſionum Dominum declaravit, adeoque omnia prædia de eo tanquam Domino tenebantur.

2. Servitus

2. Servitus eſt *Prædialis* vel *Perſonalis.*

3. *Prædialis*, quæ aliquando realis dicitur, eſt quâ Prædium ſervit Prædio. Unde aliud eſt Prædium *Serviens*, aliud *Dominans*; Eſtque vel Prædiorum *Ruſticorum* vel *Urbanorum.*

4. *Ruſticum* vero prædium voco quemlibet fundum, ſeu ædificium ad uſum percipiendorum fructuum exſtructum; *Urbanum*, quodvis ædificium habitandi causâ comparatum, & quocunque in loco ſitum, ſive ruri, ſive in civitate, quia ruſticum vel Urbanum prædium non locus facit, ſed uſus.

5. Servitutes Prædiorum ruſticorum ſunt *Iter*, *Actus*, *Via*, *Aquæductus*, *Pecoris ad aquam appulſus*, *Jus paſcendi*, *calcis coquendæ*, *Arenæ fodiendæ.*

6. *Iter* eſt jus eundi, ambulandi per alterius prædium ad utilitatem Prædii ſui.

7. *Actus* eſt jus agendi Jumentum, vel vehiculum per alterius fundum ad utilitatem fundi ſui.

8. *Via* eſt jus eundi & agendi & ambulandi, nam Iter & Actum Via in ſe continet.

9. *Aquæductus* eſt jus aquæ ducendæ ex alieno fonte per fundum alienum, vel ad irrigationem agri noſtri, vel ad amœnitatem, vel pecoris causâ.

Via eſt] Martial. Ep.

Abſtulerat totam temerarius Inſtitor Urbem,
Inque ſuo nullum limine Limen erat.
Juſſiſti tenues, Germanice, creſcere vicos,
Et modo quæ fuerat SEMITA, facta VIA eſt.

Aquæductus] Erant olim Aquæductus vel *publici*, vel *privati.* In illis exſtruendis tam ſplendidi, tamque magnifici erant Romani, ut pauca, quæ hinc inde ſuperſunt rudera poſteris ſint admirationi. Solebant enim exſtruere fornices, & veluti pontes per quos aqua tanquam flumen aliquod in urbem duceretur, ceu docet *Aqua Trajana* depicta in Nummo apud Vaillant. Num. Imp. p. 47. Tales erant Romæ Aqua *Claudia*, *Curtia*, aliæque plures, quarum paſſim in marmoribus fit mentio. Et ſane his aquis non ſolum ad neceſſitatem utebantur, ſed & ad voluptatem & luxuriam, ad quam imprimis comparata erant *Nymphæa.*

Erant hæc ædificia publica ambitioſi operis, in quibus aquæ corrivatæ ſpectantium delectationi ac refrigerationi miris modis ſaliebant. Sed nec

10. Ex his facile intelligentur Definitio & Natura aliarum quoque ſervitutum Ruſticarum.

11. *Servitutes Urbanæ* ſunt quæ debentur Prædiis Urbanis; qualia ſunt Ædificia, niſi ad uſus ruſticos exſtructa.

12. Tales autem Servitutes ſunt 1. Oneris ferendi. 2. Tignum immittendi. 3. Stillicidii. 4. Fluminis recipiendi. 5. Fluminis non recipiendi. 6. Altius non tollendi. 7. Luminibus non officiendi. 8. Proſpectui non officiendi. 9. Luminum. 10. Altius tollendi & ſimilium.

13. Omnes autem hæ ſimileſque ſpecies ita ſunt intelligendæ, ut in iis quis cogatur quid pati contra communem, ſive civili, ſive alio jure introductam libertatem prædii ſui ad utilitatem prædii vicini Urbani. Aliquando tamen etiam quis in ſuo quid facere tenetur: ut in ſervitute oneris ferendi, reficere parietem vel columnam, nec non in ſervitute altius tollendi, quæ eſt exceptio a regula illâ.----Natura Servitutum eſt, ut quis in ſuo quid patiatur, non ut quid faciat.

magis ſumptibus pepercerunt privati, qui ſæpe aquam per omnia cubicula, & triclinia ducebant, imo & Euripos in his effodiebant, in quibus piſces inter cœnandum caperent. Hujus Luxuriæ exempla exſtant apud *Senecam*, & *Plinium*. Quum ergo aquam ſæpe procul & per alienos fundus duci oporteret, occaſionem id dedit ſervituti Aquæductus.

Servitutes Urbanæ] Cic. de Orat. Lib. 1. cap. 178.——*Cum enim Marius Gratidianus ædes Oratæ vendidiſſet, neque SERVIRE quandam earum ædium partem in Mancipii lege dixiſſet; defendebamus, quidquid fuiſſet incommodi in mancipio, id ſi venditor ſciſſet, neque declaraſſet, præſtare debere.*

Stillicidii] Cic. de Leg. Lib. 1.——*Quamobrem quo me vocas? Quid hortaris? Ut libellos conficiam de Stillicidiorum ac de Parietum jure? Aut ut Sipulationum & Judiciorum formulas componam?*

Luminibus non officiendi] Cic. de Orat. Lib. 1. cap. 179. *Quo quidem in genere Familiaris noſter M. Bucculeius, homo neque meo judicio ſtultus & ſuo valdè ſapiens, & a juris ſtudio non abhorrens, ſimili in re quodammodo nuper erravit. Nam cum Ædes L. Fuſio venderet, in mancipio LVMINA, uti tum eſſent, ita recepit. Fuſius autem ſimul atque ædificari cœptum eſt in quadam parte urbis, quæ modo ex illis ædibus conſpici poſſet, egit ſtatim cum Bucculeio, quod cuicunque particulæ cœli officeretur, quamvis eſſet procul, mutari lumina putabat.*

JUS ANGLICANUM. ad Tit. III.

Multæ olim apud nos erant Servitutum ſpecies, quæ tempore Caroli Secundi

TIT. IV.

De Uſufructu.

1. Sequitur Perſonalis Servitus, qua utilitas ex re alienâ ipſi perſonæ immediatè obvenit, ut *Uſusfructus*, *Uſus*, *Habitatio* & ſimiles.

2. *Uſusfructus* eſt Jus alienis rebus utendi fruendi ſalva eârum ſubſtantia.

3. Et hic quidem eſt Uſusfructus propriè dictus ſemper conſiſtens in rebus alienis; Cum res ſua nemini ſerviat.

4. Utilitatis tamen, ſive æquitatis cauſa Senatus introduxit *quaſi uſumfructum*, earum rerum quæ uſu conſumuntur, & uſufructuarii ſunt, ut Vinum, Oleum, Veſtimenta quotidiana, Pecunia numerata.

5. Eſt autem *quaſi Uſusfructus* jus, quo quis res alienas acquirit iiſque abuti poteſt ut ſuis eâ lege, ut finito hoc jure res ejuſdem quantitatis & qualitatis, vel æſtimationem earum reſtituat, eoque nomine caveat.

cundi in uſu eſſe deſinebant. Quæ nunc præcipuè videntur memorandæ ſunt *Serjeantia Magna*, *Socagium*, & *Heriotum*.

Serjeantia Magna eſt, ubi quis Feudi nomine per perſonam hominis officium aliquod honorificum Regi debet. Hujus generis ſunt Regis Enſem in die Coronationis ſuæ illi præferre, Pincernæ munus ſupplere &c.——

Socagium derivatur a Gallica dictione (Soc.) quæ vomerem ſignificat. Cauſa hujus appellationis hæc fuit, quod hujuſmodi Feudatarii apud majores noſtros tenerentur ad ſervitium Socæ vel Aratri. Veniebant enim quotannis, cum tempus poſtularet cum jumentis ſuis, & tum arabant, tum ſeminabant aliquam partem Terræ Dominicæ. Tempore autem factum eſt, ut iſtiuſmodi operæ plerumque in reditum certum convertantur, licet priſcum nomen hujus Servitutis adhuc permaneat.

Heriotum compoſitum videtur a Saxonicis Dictionibus HERE & GEAT. HERE enim exercitus eſt, & GEAT Profectionem aut iter ſignificat. Tributum autem Domino datum fuit profecturo ad bellum. Hodie eſt Servitium, quo Feudatarius optimum animal, vel deficientibus Animalibus aliud quodcunque mobile, quod tempore mortis habet Domino ſuo relinquere tenetur.

Uſusfructus eſt] Cic. Epiſt. Lib. 7. Epiſt. XXIX.——*Sum enim χρήστης μὲν tuus, κτήτης de Attici noſtri.* —— Et Epiſt. ſeq. *Sunt enim innumerabilia generis ejuſdem, quæ quidem ego non ferrem, niſi me in Philoſophiæ portum contuliſſem, & niſi haberem ſocium ſtudiorum meorum Atticum noſtrum, cujus quum PROPRIVM te eſſe ſcribis mancipio & nexu, meum autem VSV & FRVCTV, contentus iſto ſum. Id enim eſt cujuſque proprium, quo quiſque fruitur atque utitur.*

6. Hæc

6. Hæc Servitus originem debere videtur ultimis voluntatibus. Quum enim morientes alicui bene cuperent, neque tamen ejus hæredibus conſultum vellent, excogitarunt jus illud utendi fruendi, a dominio & proprietate ſejunctum, ut moriente legatario rei legatæ uſusfructus cum proprietate conſolidaretur.

7. Uſusfructus finiebatur vel tempore ad quod fuerat conſtitutus, vel morte fructuarii, vel capitis diminutione, vel non utendo per conſtitutum tempus, vel factâ in jure ceſſione, vel conſolidatione, vel mutatione denique, aut interitu rei fructuariæ.

TIT. V.

De Uſu & Habitatione.

1. *Uſus* eſt jus alienis rebus utendi ſalva earum ſubſtantia.

JUS ANGLICANUM. ad Tit. IV.

Cum nullus in Angliâ præter Regem plenum in rebus immobilibus dominium habeat, non eſt facile diſcernere, qui ſunt uſufructuarii, qui non. Is vero in rebus ſoli apud nos videtur eſſe uſufructuarius, qui terras aut Tenementa vel ad Terminum annorum, vel ad voluntatem alterius tenet, vel etiam qui vi pignoris terras poſſidet, quem noſtri in MORTVO VADIO Tenentem appellant; vel ex cauſa Executionis, quem juxta cauſæ varietatem Tenentem *per Elegit*——*per Statutum Stapuli*,——vel *de mercatoribus* dicunt.

Finitur Uſusfructus aut morte Uſufructuarii, utpote eorum Tenementorum quæ *per copiam Rotulorum Curiæ* tenemus: aut maximâ capitis diminutione; nempe in illo caſu, quo quis ob crimen aliquod omnibus bonis ſuis excidit, vitâque privatur. Item tempore, cum nimirum anni ad quos conſtitutus eſt elapſi fuerint; & conſolidatione, cum Uſufructuarius proprietatem rei acquiſiverit: culpa denique Uſufructuarii, ut cum vaſtum fecerit, aut tenementum contra jura ad alium tranſmiſerit.

Uſus]

——*Perpetuus nulli datur VSVS, & Hæres*
Hæredem alterius velut unda ſupervenit Undam.

Hor. Ep. Lib. 11.

Et alibi:

Nunc ager Umbreni ſub nomine, nuper Oſelli
Dictus erit nulli PROPRIVS, ſed cedet in VSVM
Nunc mihi, nunc alii.——

Lucret. Lib. 3.

Vitaque MANCIPIO nulli datur, omnibus VSV.

2. Minus

2. Minus autem juris in *Uſu* eſt, quam in *Uſufructu*. Nam 1. Qui uſum tantum habet, ad neceſſitatem ſolum utitur. Unde qui uſum fundi habet, ex iis quæ in fundo naſcuntur, pomis, floribus, ſtramentis, fœno, lignis, ſimilibuſque, quod ad victum ſibi ſuiſque ſufficiat, ſumet; qui uſumfructum habet etiam ad compendium utitur, fruitur. Hinc Uſufructuarius jus percipiendi fructus (non ipſam ſervitutem) alteri vendere aut locare, aut gratis concedere poteſt. Uſuarius non. Hinc & Uſus poteſt eſſe ſine fructu, ſed fructus ſine uſu eſſe non poteſt. Nam fructui uſus ineſt, Uſui fructus deeſt.

3. *Habitatio* eſt jus alienas ædes inhabitandi ſalva eârum ſubſtantiâ. Olim parum differebat ab uſu ædium. Ex conſtitutione *Juſtiniani* magis convenit cum uſufructu, cum qui habitationem habet domus, non ſolum ipſe in ea degere, ſed & aliis locare eam poſſit. In eo autem differt ab uſufructu ædium, quo Uſufructuarius etiam aliter quam habitando ædibus uti poſſit: Habitator non. Sed has quidem ſubtilitates hodie fere ignoramus.

TIT. VI.

De Uſucapione.

1. Hactenus de modis acquirendi Dominii ex jure Gentium: ſequuntur modi acquirendi Dominium juris civilis ſingulares, ut *Uſucapio*.

2. *Uſucapio* eſt adjectio dominii per continuationem poſſeſſionis temporis lege definiti, ſive per quam, is qui bonâ fide juſtoque titulo rei alicujus poſſeſſionem nactus eſt, eamque diu quietam & non interruptam obtinuit demum pro perfecto domino ejus rei habetur, ita ut antiquum dominum, ſi poſtea eam rem

Minus autem juris] Seneca de vita Beata. cap. 10. *Tu voluptatem complecteris, ego compeſco; Tu voluptate FRVERIS: ego VTOR.*

Uſucapio eſt Adjectio Dominii]

Quædam ſi credis conſultis MANCIPAT VSVS.
Hor. Epiſt. Lib. 2.

vendicare

vendicare velit, repellere queat. Cujus juris introducti ratio fuit, partim quod pro relictâ rem habere judicaretur, qui diu eandem vendicare neglexerit, cum longo tempore ad id occaſiones vix deeſſe judicentur: partim quod tranquillitatis & pacis intereſſet, aliquando poſſeſſiones rerum extra controverſiam collocari. Præſertim cum longè gravius videatur poſt diuturnam poſſeſſionem re bonâ fide parta privari, quam olim amiſſa, & cujus deſiderium dudum erat digeſtum, in perpetuum carere. Ut tamen in civitatibus certi termini, prout ratio & utilitas civitatis ſuggeſſerit, definiantur, intra quos Uſucapio compleatur, tranquillitatis & pacis intereſt.

Quod tranquillitatis & pacis intereſſet] Cic. pro A. Cœcina.——*Mihi credite, Major hæreditas venit unicuique veſtrum in iiſdem bonis Jure & legibus, quam ab iis a quibus illa ipſa bona relicta ſunt; nam ut perveniat ad me fundus, teſtamento alicujus fieri poteſt, ut retineam quod meum factum ſit, ſine jure civili non poteſt. Fundus a Patre relinqui poteſt, at VSVCAPIO, hoc eſt FINIS SOLLICITVDINIS, & PERICVLI LITIVM non a Patre relinquitur, ſed a Legibus. Aquæductus, Hauſtus, Iter, Actus, a Patre: ſed rata Auctoritas harum rerum omnium a Jure Civili ſumitur.* In ſacris Literis Jephthes Regi Ammonitarum ſibi vendicanti terras inter Arnonem & Jabocum & ab Arabum deſertis ad Jordanem ſitas objicit trecentorum annorum poſſeſſionem, & ab eo quærit, cur ipſe ejuſque majores tanto tempore ceſſaverint. Et Lacones apud Iſocratem tanquam certiſſimum & apud omnes gentes confeſſum ponunt poſſeſſiones publicas, non minus quam privatas multo tempore ita firmari, ut revelli nequeant; quo jure repellunt eos, qui Meſſenam repetebant. Ἀλλὰ μὴν οὐδ' ἐκεῖνο ὑμᾶς λέληθεν ὅτι, Τὰς κτήσεις καὶ τὰς ἰδίας, καὶ τὰς κοινὰς, ἂν ὁπηγένηται πολὺς χρόνος, κυρίας καὶ πατρῴας ἅπαντες εἶναι νομίζουσι. *Sed nec illud vos præterit, poſſeſſiones ſive privatas ſive publicas præſcriptione longi temporis & confirmari, & patrimonii loco habendas, perſuaſum eſſe hominibus.* Iſocrates etiam ad Philippum: Κάπροχον καὶ βέβαιον τὴν κτῆσιν πεποιήκοτος τὸ χρόνος.——*Cum firmam ſtabilemque poſſeſſionem longa dies reddidiſſet.* Hoc jure nitus poſterior Philippus T. Quintio dicebat, *Civitates quas ipſe cepiſſet ſe liberaturum; quæ ſibi traditæ a majoribus eſſent juſta ac hæreditariâ poſſeſſione ſe non exceſſurum.* Liv. Lib. 32. cap. 10.——*Sulpitius* contra *Antiochum* diſputans oſtendit iniquum eſſe, ut quod populi Græci in Aſia aliquando ſerviiſſent, id jus poſt aliquot ſæcula eos aſſerendi in ſervitutem faciat. Vetera repoſcere *vaniloquentiam* vocat Tacitus; μωδικὰς καὶ παλαιὰς ἀποδείξεις Diodorus. Apud Ciceronem eſt de Officiis, Lib. 2. cap. 22.——*Quam autem habet æquitatem, ut agrum multis annis, aut etiam ſæculis ante poſſeſſum, qui nullum habuit, habeat, qui autem habuit, amittat.*——Flor. Lib. 3. cap. 13.——*Tamen relictas a majoribus ſedes ætate, quaſi jure hæreditario poſſidebant.* Demoſth. pro Phormione. Καί τοι πᾶσι μὲν

3. Præter bonam fidem, & juſtum titulum requiritur etiam ut res non ſint vitioſæ; quapropter res furtivæ, & vi poſſeſſæ uſucapi non poſſint, niſi vitio purgato, quod ſit cum res in poteſtatem Domini revertitur. Sunt tamen aliæ res, quæ quidem vitioſæ hoc modo non dicuntur, ſed tamen uſucapi non poſſunt, ut 1. Res extra Commercium, veluti ſacræ, ſanctæ &c. 2. Res alienari prohibitæ, ſive lege, ſive Teſtamento. 3. Res Fiſci, aliæque Dominicæ. Item Civitatum, Eccleſiarum, Gerontocomiorum, ſimiliumque. 4. Res Pupillorum & Minorum. 5. Res Præſidi contra Legem Juliam datæ. 6. Adventitia bona Filiorum.

4. Accedat porro neceſſe eſt Tempus lege Definitum; olim quidem annus in re mobili, biennium in immobili; jure novo biennium in mobili, decennium in immobili inter præſentes, Vicennium inter abſentes.

5. Denique etiam requiritur continua poſſeſſio. Quæ autem de requiſitis Uſucapionum dicuntur non pertinent ad præſcriptionem longiſſimi temporis, 30. & 40. vel 100. annorum, quæ & in rebus vitioſis, & ſine bona fide & juſto titulo jure Civili procedit. Qui a Fiſco, vel Domo Principis, vel Auguſtæ emit rem alienam, ſtatim fit ſecurus, tranſlatis contra fiſcum Actionibus.

μὲν τοῖς νόμοις πειθέσθαι ἐικὸς ἐσθ' ὑμᾶς· ὐχ ἥκιστα δὲ τούτῳ, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι· Δοκεῖ γάρ μοι ὁ Σόλων ἀδικεῖσθαι ἀλλὰ ἕνεκα θεῖναι αὐτὸν, ἢ τὸ μὴ συκοφαντεῖσθαι ὑμᾶς. Τοῖς μὲν γὰρ ἀδικουμένοις ἱκανὰ τὰ πέντε ἔτη ἡγήσατο εἶναι ἐπεξελθεῖν· Κατὰ δὲ τῶν ψευδομένων τὸν νόμον ἐνόμισε σαφέστατον ἔλεγχον ἔσεσθαι· καὶ ἅμα ἐπειδὴν ἀδύνατον ἔγνω ὂν τοὺς τε συμβαλόντας, καὶ τοὺς μάρτυρας ἀεὶ ζῆν, τὸν νόμον ἀντὶ τούτων ἔθηκεν, ὅπως μάρτυς εἴη τὸ δίκαιον τοῖς εἰρημένοις. *Omnibus quidem legibus parere vos æquum eſt, Athenienſes, huic vero maximè. Videtur enim mihi Solon non alia de cauſa eam poſuiße, quam ne vos per lites vexaremini. Putavit enim paſſis injuriam ſufficere ad agendum annos quinque; adverſus mendaces vero exiſtimavit legem ipſam fore indicem optimam; præterea vero, cum ſciret fieri non poſſe, ut ſemper viverent, aut qui contraxiſſent, aut qui Contractui teſtes adfuiſſent, pro his ipſam legem ſubſtituit, ut teſtis eßet de conventis.*

Veluti ſacræ] Cic. de Haruſpicum reſponſis. — *Vetera fortaſſe loquimur: quanquam hoc ſi minus jure civili perſcriptum eſt, lege tamen naturæ, communi jure Gentium ſancitum eſt ut NIHIL MORTALES a Diis Immortalibus VSV CAPERE poſſint.*

Biennium in immobili] Plin. Lib. 5. Epiſt. 1. — *Scis te non ſubſcripſiſſe mecum, & jam BIENNIVM tranſiiſſe, omniaque me VSVCEPISSE.*

TIT. VII.

De Donationibus.

1. Inter modos acquirendi dominium ſingulares juris civilis Juſtinianus ſecundum locum tribuit ***Donationi.***

2. ***Donatio*** autem eſt liberalis nullo jure cogente facta conceſſio.

JUS ANGLICANUM. ad Tit. VI.

Licet Præſcriptio generaliter accepta ſit temporis hominum memoriam ſuperantis; ſunt tamen apud nos breviorum temporum Præſcriptiones; ſicuti quadraginta annorum in modo decimandi; quinque annorum in terris Tenementis poſt *finem* de eis debitè recognitum, &c.

Regi nulla temporis Præſcriptio præjudicat; neque quidem omnium rerum eſt Præſcriptio: utpote quarum nullum eſt Commercium, vel corona propriè Domina eſt, vel uſus rationi aut bonis moribus repugnat &c.

Donatio autem] Initio quidem munera & Dona rara admodum erant in tanta veterum paupertate, etiam inter cognatos, & perſonas conjunctas. Poſtea, creſcente luxuria, nihil fuit Romanis in donando magnificentius. Munera & Dona Patronis mittebant Clientes & Liberti; Dominis Servi; Principibus & Magiſtratibus Cives; Amicis Amici; Cognatis Cognati & quidem variis occaſionibus, quarum præcipuas hic enumerare operæ fuerit pretium.

Præcipuè donis & muneribus celebrabantur Kalendæ Januariæ, quibus ſtrenæ mittebantur, vel munuſcula dulcia præſertim boni ominis cauſa, veluti caricæ, id eſt, Ficus in Cariâ provenientes. Hinc Martial. Epig. VIII. 33. v. 11.

Hoc linitur ſputo Iani CARYOTA Kalendis
Quam fert cum parvo ſordidus aſſe Cliens.

Et alibi:

Aurea porrigitur Iani CARYOTA Kalendis
Sed tamen hoc munus pauperis eſſe ſolet.

Ditiores aurum & Argentum mittebant præcipuè Imperatoribus, ut Auguſto apud Suet. *Omnes ordines in lacum Curtii quotannis ex voto pro ſalute ejus ſtipem jaciebant, item Kalendis Januariis Strenam in Capitolio etiam abſenti.*

Porro Viri Saturnalibus, Fœminæ Matronalibus, id eſt, Kal. Martiis Strenas atque Apophoreta dabant & accipiebant. Apophoretorum in Saturnalibus exempla ſunt apud Suet. Octav. LXXV. — *Saturnalibus, & ſi quando alias libuiſſet, modo munera dividebat, veſtem, & aurum, & argentum, modo nummos omnis notæ etiam veteres, regios ac peregrinos*; & apud Martial. Epig. Lib. 14. qui totus fere huc pertinet.

De Matronalibus Tibullus Eleg. III. I. v. 1.

Martis Romani feſtæ venere Kalendæ,
Exoriens noſtris hinc fuit Annus avis, *Et*

Et vaga tunc certâ diſcurrunt undique pompâ
Perque vias urbis MVNERA, perque Domos.

Et Martial. Epig. x. 24.

Natales mihi Martiæ Kalendæ,
Lux formoſior omnibus Kalendis
Qua mittunt mihi MVNVS, & Puellæ
Quinquageſima liba.

Et Epig. V. 84. v. 10.

Scis certe, puto, veſtra jam venire
Saturnalia, Martias Kalendas,
Tunc reddam tibi, Galla, quod dediſti.

Unde eſt, quod Kalendas has Martias Kalendas Fœmineas appellat Juv. Sat. IX. v. 53.

Munera FOEMINEIS tractas ſecreta Kalendis.

Solebant & diebus Natalibus munera accipere honoratiores atque amici. Martial. Epig. IX. 14.

NATALI Tibi, Quinte, tuo dare parva volebam
Munera, Tu prohibes; Imperioſus homo es.

Et alibi lepidè exagitat *Clytum*, qui ut nova ſemper munera natalitia auferret, ſepties vel octies in ànno natalem celebrabat.

Munera etiam diebus LVSTRICIS miſſa; Die enim octavo a Natali Puellæ, nono Pueri luſtrabantur. accipiebantque nomina, & denique intra trigeſimum a nativitate diem Profeſſio natalitia ad acta fiebat. Tunc etiam Dona & munera mittebantur infanti ejuſque Matri.——Terent. Phor. I. 1. v. 13.

Ferietur alio munere, ubi Hera pepererit:
Porro autem alio, ubi erit Puero natalis Dies,
Ubi initiabunt; omne hoc mater auferet
Puer cauſa erit mittundi.

Nec prætermittenda Dona nuptialia, quæ tam magna nonnunquam erant, ut Sponſæ vel ad dotem ſufficerent. Quintiliani ſanè filiæ Nonio Celeri nubenti L millia nummûm contulit Plinius Lib. 6. Ep. 32.——*Quamvis & ipſe ſis continentiſſimus, & filiam tuam ita inſtitueris ut decebat Filiam Tuam, Tutilii neptem, Cum tamen ſit nuptura honeſtiſſimo Viro Nonio Celeri, cui ratio civilium officiorum neceſſitatem quandam nitoris imponit, debet ſecundum conditiones mariti, veſte, comitatu (quibus non quidem augetur dignitas, ornatur tamen,) inſtrui. Te porro animo beatiſſimum, modicum facultatibus ſcio. Itaque partem oneris tui mihi vindico, & tanquam Parens alter Puellæ noſtræ confero quinquaginta millia nummûm, plus collaturus, niſi a verecundia tuâ ſola mediocritate munuſculi impetrari poſſe confiderem, ne recuſares.* Vale.——

Liberalitem haud minorem oſtentabant in donandis Hoſpitibus. His miſſa munera XENIA appellata ſunt. Plin. Epiſt. VI. 31.——*Summo die abeuntibus nobis, (Quam diligens in Cæſare humanitas!) XENIA ſunt miſſa.*——Sæpe Divites ac potentiam adfectantes donis planè privati ſortem tranſgreſſis, plebeiorum animos ſibi conciliare ſtudebant. Nemo vero inter veteres Plinio videtur fuiſſe liberalior——Curiano Gratillæ Filio legatum remiſit.

3. Eſtque *propria* vel *impropria.*

4. *Propria* eſt, quæ fit ex mera liberalitate, ita ut Donator donum ad ſe nunquam reverti velit. Donatio vero propria revocari poteſt, 1mo. Si Donatarius ingrati crimen admiſerit, viz. ſi donatori injuriam atrocem, vel manus impias inferat;—ſi jacturam bonis ipſius ingerat; ſi inſidias vitæ ejus locet; ſi pactum, quod intervenit, implere nolit. 2do. Si liberi poſtea naſcantur donatori.

5. *Impropriæ* ergo Donationes ſunt, quæ vel non ex merâ liberalitate, ut Donatio propter nuptias & remuneratoria; vel non ita irrevocabili jure fiunt, ut Donatio mortis cauſa.

6. *Donatio propter nuptias eſt*, quæ fit uxori a marito in ſecuritatem dotis, ita tamen, ut uxor fructus ejus non lucretur, non domina ejus fiat; ſed tantum jure pignoris in eâ gaudeat, quamvis eandem ob factum mariti nonnunquam lucretur.

7. *Mortis causâ Donatio eſt*, quæ propter mortis fit ſuſpicio-

miſit. Ep. V. 1.——Voconio Firmo cenſum equeſtrem ſupplevit. Ep. I. 19.——Martialem viatico juvit. Ep. III. 21.—— Artemidoro Philoſopho urbe excedere juſſo ſub Domitiano, pecuniam qua opus erat, a locupletibus negatam, ipſe mutuatus gratuitam dedit. Ep. III. 2.——Calvinæ Patris debita remiſit. Ep. II. 4.

Mortis causâ Donatio eſt] Sic apud Homerum *Telemachus* donat *Piræo.*

Πείραι, ἢ γάρ τ' ἴδμεν ὅπως ἔσται τάδε ἔργα·
Εἴκεν ἐμὲ μνηστῆρες ἀγήνορες ἐν μεγάροισι
Λάθρη κτείναντες πατρώια πάντα δάσονται,
Αὐτὸν ἔχοντα σε βέλομ' ἐπαυρέμεν, ἤ τινα τῶνδε.
Εἰ δέ κ' ἐγὼ τέτοισι φόνον καὶ κῆρα φυτεύσω,
Δὴ τότε μοι χαίροντι φέρειν πρὸς δώματα χαίρων.

Cum, Piræe, homines lateant ſecreta futuri,
Si me forte Proci ſceleratis ad Styga mittant
Inſidiis, patriaſque velint erciſcere prædas,
Hæc ego præ reliquis multo tibi cedere malim.
Sin ego eos juſtis proſternam cladibus ultor,
Hæc mihi tu gaudens media inter gaudia reddas.

Eſt & mortis causâ Donatio in *Alceſtide Euripidis* ubi ſic *Hercules.*

——Γυναῖκα τήνδε μοι σῶσαι λαβών·
Εως ἂν ἵπποις δεῦρο θρῄκας ἄγων
Ελθω τύραννον Βιστόνων κατακτανών.

Πράξας

nem, cum quis ita donat, ut ſi quid humanitus ei contigiſſet, haberet is, qui accepit ; ſin autem ſupervixiſſet, is qui donavit reciperet ; vel ſi eum donationis pœnituiſſet, aut prior deceſſerit, cui donatum ſit. Hæ mortis causâ donationes ad exemplum Legatorum per omnia redactæ ſunt.

8. Ex pacto Donationis olim Civilis Obligatio non naſcebatur, Juſtinianus autem Pactum Donationis lege confirmavit, ut inde agi poſſit.

Πράξας δ' ὁ μὴ τύχοιμι, νοσήσαιμι γάρ,
Δίδωμι τήνδε σοῖσι φροάσσολον δόμοις.

——Capeße hanc fœminam, ac ſerva, precor
Huc donec iterum Thracas adducens equos
Veniam, Tyranno Biſtonum miſſo neci.
At ſi, quod utinam ne ſit, eveniat mihi,
Famulam futuram Laribus hanc dono tuis.

Liv. Lib. 32. Cap. 38.——*Philippus cum acie decernendum videret, & undique ad ſe contrahendas vires, maximè de Achaiæ urbibus regionis abs ſe diverſæ, & magis tamen de Argis, quam de Corintho ſollicitus, optimum ratus Nabidi eam Lacedæmoniorum Tyranno velut fiduciariam dare, ut victori ſibi reſtitueret ; ſi quid adverſi accidißet, ipſe haberet.*

Si quid humanitus ei contigiſſet] Ἀνθρώπινόν τι.——Si quid humanum. Veteres ominis causâ ſic loquebantur. Si quid mihi acciderit, ἐάν τι συμβῇ— ἐάν τι πάθω pro ſi moriar. Abſtinebant enim a *mortis* vocabulo tanquam ominoſo.

JUS ANGLICANUM. ad Tit. VII.

Donationem noſtri Feoffamentum ſæpe appellant ; Verum Donationis nomen multò eſt latius : ſiquidem non ſolum immobilium, ſed & mobilium quorumcunque gratuitam alienationem comprehendat. Sed circa Terras ſic quoque diſtinguuntur iſtæ appellationes, ut *Feoffamentum* feudi ſimplicis ad Donatarium, ſeu Feoffatum ; *Donatio* Feudi Talliati tranſlationem ſignificet.

Donationes quædam verbo ; quædam non ſine ſcriptis, vel FACTO (ut noſtri loquuntur) præſtari poſſunt. Catalla fere omnia ſive perſonalia, ſive realia verbo rectè donantur. Niſi tamen a corpore politico dentur, cujus Sigillum in omni alienatione eſt neceſſarium.

Sine *facto* vix dantur Jura incorporea, cujuſmodi ſunt annuus reditus, Advocatio, Reverſio terrarum poſt mortem præſenter occupantis &c.

TIT.

TIT. VIII.

Quibus Alienare Licet, vel Non.

1. In hac quæſtione, duæ potiſſimum regulæ, earumque exceptiones ſunt obſervandæ.

2. Prima regula eſt; — Quilibet Dominus eſt moderator & Arbiter rei ſuæ, eamque alienare poteſt.

3. Exceptio prima eſt in Marito, qui quidem Prædii dotalis inæſtimati Dominus eſt jure civili; ſed tamen illud ne conſentiente quidem uxore ullo modo alienare poteſt, quia dominium Mariti revocabile eſt, & dos, ſoluto matrimonio, reſtituenda. At rei æſtimatæ dominium pleniſſimè ac irrevocabiliter in eum tranſfertur, ita ut pretii tantum debitor efficiatur, niſi forte electionem ſibi mulier reſervaverit.

Qui quidem Prædii dotalis] Triplex erat apud Romanos dotem conſtituendi ratio. Aut enim DABATVR,——aut PROMITTEBATVR—— aut DICEBATVR.

1mo. DARI Dos dicebatur ſi præſens offerretur marito, idque plerumque fiebat eo ritu, ut pecunia illa dotalis conſignata pridie nuptiarum apud auſpices deponeretur in craſtino nuptiarum viro tradenda. De Meſſalina Suet. Claud. XXVI.——*Meſſalinam, quum comperiſſet ſuper flagitia atque dedecora C. Silio etiam nupſiſſe dote inter auſpices conſignata, ſupplicio adfecit.* Et Juv. Sat. X. v. 333. de eâdem Meſſalina,

——*Dudum ſedet illa parato*
Flammeolo, Tyriuſque palam genialis in hortis
Sternitur, & RITV decies centena DABVNTVR
ANTIQVO, venit cum SIGNATORIBVS AVSPEX.

2do. Dos PROMITTEBATVR interpoſita Stipulatione. Exemplum ejuſmodi Stipulationis eſt apud Plautum. Trinum. V. 2. v. 34.

LY. *Sponden' ergo tuam Gnatam uxorem mihi?* [*moror.*
CA. *Spondeo, & mille auri Philippum dotis.* LY. *Dotem nihil*
CA. *Si illa tibi placet, placenda Dos quoque eſt, Quam dat tibi.*
CH. *Poſtremo, quod vis non duces, niſi illud, quod non vis, feres.*
CA. *Jus hic orat.* LY. *Impetrabit te Advocato atque Arbitro.*
Iſthac lege, (cum iſta dote) filiam tuam ſponden' mihi uxorem dare?
CH. *Spondeo.* CA. *Et ego ſpondeo idem hoc.*

3tio. Dotis DICTIO fiebat verbis quidem ſolennibus ſtipulatione haud interpoſitâ. Exemplum eſt apud Terent. Andr. V. 4. v. 47.

——*Dos, Pamphile, eſt*
Talenta quindecim. PA. *Accipio.*——

4. Ex-

4. Exceptio ſecunda eſt in Pupillo & Minore: qui quidem Domini rerum ſuarum ſunt, ſed tamen eas alienare nequeunt, adeoque nec mutuum ex iis dare, nec ſolutum accipiendo debitorem liberare. Pleniſſima enim liberatio, & ſecuritas ſolventi debitori Pupillari contingit, ſi auctoritate Judicis facta ſit ſolutio. Nam ſi Tutori, & Curatori ſine auctoritate Judicis facta ſit, liberatur quidem Debitor, ita tamen ut Pupillus minorve, Creditor, ſi Tutor Curatorve male collocaverit pecuniam, nec Pupillus, Minorve aliunde repetere poſſit, *in integrum reſtituatur*. Ipſi Pupillo facta ſolutio omnium minime prodeſt ſolventi debitori, niſi Pupillus locupletior factus ſit, & ideo Debitor denuo conventus *exceptione doli mali* ſe tueri poſſit. Annui reditus Tutori tutò ſolvuntur.

5. Regula ſecunda hujus Tituli eſt---- Qui Dominus non eſt, rem alienare non poteſt.

6. Exceptio eſt in creditore, qui quidem Dominus non eſt, & tamen alienare poteſt pignus, etſi id non convenit: imo etſi contrarium pactum conventum ſit, tamen alienare poteſt, dummodo ter ante debitori id denunciet. Natura enim & Scopus pignoris eſt ſecurum facere Creditorem, quod facere non poſſet, niſi liceret ei alienare, debitore non ſoluente. Bona fide tamen, & ſecundum modum a lege præſcriptum Pignus diſtrahendum eſt.

JUS ANGLICANUM. ad Tit. VIII.

Apud nos etiam aliquando accidit, ut qui Dominus rei ſit, eam alienare non poſſit. Antiqua enim maneria Coronæ annexa Regi non olim licebat alienare. — Maritus quoque neque hæreditatem, neque dotale prædium Uxoris ea invitâ ſic alienare poteſt, ut ab eâ, aut ejus hæredibus illo mortuo non revocetur.——Neque minor, neque furioſus, neque fœmina nupta alienare poſſunt.——Denique qui aliâs alienare poſſunt, in certis caſibus tamen non poſſunt; Utpote terras aut tenementa corpori politico, ſive eccleſiaſtico, ſive ſæculari, niſi prius impetrata Regis venia in *manum mortuam* dimittendi. Religioſa Collegia, quæ per Reges hujus terræ fundata ſunt, terras ſuas ſine ejus licentiâ alienare prohibentur.

Contra quoque accidit aliquando, ut qui Dominus non eſt alienare poſſit. Creditor enim pignus ex pactione, quamvis ejus ea res non ſit, alienare poteſt, utpote ſi initio conventum ſit, ut liceret creditori pignus vendere, niſi pecunia

TIT. IX.

Per quas Perſonas cuique Acquiritur.

1. Adquiritur nobis non ſolum per nos ipſos, ſed & per res noſtras. Quia vero & ſervi omnino, & liberi ratione patris in claſſe *rerum* eſſe cenſebantur, nihil magis videbatur rationi conſentaneum, quam ut unuſquiſque per eos acquireret.

2. Quemadmodum vero reliqua parentum Jura ſenſim imminuta eſſe novimus, ita idem circa jus acquirendi per liberos contigit introductis poſtea Peculiis.

3. *Peculium* vero eſt puſilla pecunia, quam filius familias vel Servus a rationibus paternis vel Dominicis ſeparatam habet.

4. Peculium vero aliud eſt Filii, aliud Servi. Filii eſt *Paganum* vel *militare*. Paganum *profectitium*, vel *adventitium*. Militare eſt *caſtrenſe* vel *quaſi caſtrenſe*.

5. Peculium *profectitium* eſt, quod e re Patris proficiſcitur, vel occaſione, & contemplatione Patris filio obvenit.

pecunia ſolvatur; Item uxor, ſeu famulus quem mercator in ſua officinâ vel Tabernâ ad merces diſtrahendas conſtituit, vel quicunque alius, qui a Domino hoc mandatum habet.

Paganum] Pagani propriè dicti ruſtici, villani, κωμῆται appellantur; hic autem & paſſim opponuntur militibus, eoque nomine ſignificantur omnes ἀστρατεύτοι. Hinc Peculium Paganum & Caſtrenſe ἀντικειμένα. A ſcriptoribus Eccleſiaſticis & in Conſtitutionibus Impp. Chriſtianorum Gentiles etiam Pagani appellantur, quæ appellatio, ut credibile eſt, inde nata, quod cum urbes fere omnes ſub *Conſtantino* fidem Chriſtianam amplexæ eſſent, tamen adhuc diu poſt in agris & Pagis hæſit Religio Gentilis & reliquiæ Ethniciſmi. Nihil vero frequentius quam ut Paganus opponatur militi. Juv. Sat. 16. v. 32.

——*Citius falſum producere teſtem*
Contra PAGANVM *poſſis, quam vera loquentem*
Contra fortunam ARMATI, *contraque pudorem.*

Plin. Epiſt. Lib. 7. Ep. 25.——*Sunt enim ut in caſtris, ſic etiam in literis noſtris plures cultu* PAGANO, *quos cinctos & armatos, & quidem ardentiſſimo ingenio, diligentius ſcrutatus invenies.*——Et Lib. 10. Epiſt. 18. *Apud me &* MILITES & PAGANI, *& a quibus Juſtitia ejus & humanitas penitus inſpecta eſt, certatim ei, qua privatim, qua publicè teſtimonium retribuerunt.*

6. *Adven-*

6. *Adventitium* eſt, quod ex alia cauſa, veluti liberalitate matris, aliorumve, vel proprio labore, vel proſperâ fortunâ filio acquiritur.

7. Profectitium pleno jure Patris eſt, adeoque ſola filio relinquitur adminiſtratio, qui tamen eo fruitur bonis paternis publicatis, vel confiſcatis, atque etiam poſt emancipationem, ſi Pater non ademerit. Adventitii ex jure novo Pater habet uſumfructum, Filius vero Proprietatem, niſi teſtamento vel lege cautum ſit, ut uſusfructus ad filium pertineat.

8. Peculium *Caſtrenſe* complectitur omnia, quæ Filiusfamilias occaſione militiæ armatæ adquiſivit; eoque pertinet, quod Pater filio in militiam eunti dat; hæreditas a commilitone relicta, etiam a fratre in iiſdem caſtris militante, quicquid porro captum ab hoſtibus, vel ex pecunia caſtrenſi emptum.

9. *Quaſi Caſtrenſe* prioris ad exemplum inventum, eſt quod filiusfamilias ex occaſione militiæ togatæ adquirit. Quo referuntur ſumptus a Patre in ſtudia filii facti; adquiſita ex advocatione, vel aliarum artium liberalium exercitio.

10. Peculium *Caſtrenſe* & *quaſi Caſtrenſe* pleno jure eſt Filii, adeoque in eo pro patrefamilias habetur; de eo inter vivos, & mortis causâ libere diſponit, immo id & ad hæredes ab inteſtato tranſmittit.

Pleno jure eſt Filii] Florente Republicâ peculium Filiifamilias uniuſmodi fuit. Nam ut Servus Domino, ita filius Patri cuncta pleno jure acquirebat: idemque plane jus & in corpus & in bona liberorum pater habebat, quod Dominus in ſervos, cujus rei inter alios teſtis locuples eſt Dionyſ. Halicarnaſſenſis, Lib. 8. *Romani*, inquit, *proprium nihil poſſident, quamdiu patres eorum in vita manent, ſed & pecuniæ & corpora filiorum parentum poteſtati, arbitrioque permiſſa ſunt, omniaque parentibus acquirunt quaſi ſervi, ut ὑποχείριοι ἢ δοῦλοι τῶν πατέρων.* Verum Imperatores, ut præmio aliquo adoleſcentes ad militiæ labores invitarent, eorumque ſibi conciliarent ſtudia, caſtrenſe peculium filiisfamilias pleno jure conceſſerunt, primum militibus, poſtea etiam veteranis, ſeu a militiâ dimiſſis. Ex quo filiifamilias in hoc peculio jus ac vicem Patrumfamilias obtinere cœperunt, idque ſignificat Juv. Sat. 16. v. 52. his verſibus.

——Nam quæ ſunt parta labore
MILITIÆ, placuit non eſſe in corpore cenſus
Omne tenet cujus regimen Pater.

11. Quicquid etiam ſervus acquirit, apquirit Domino; nihil enim proprii habere poterat, niſi quod Dominus habere permitteret, idque itidem vocabatur Peculium.

12. Ex mandato etiam noſtro per Procuratorem nobis & Dominium & poſſeſſio acquiri poteſt.

Peculium] Solebant illud de demenſo ſuo unciatim colligere Servi, ac eo deinde ita negotiari, ut lucrum inde qualecunque ad ſe rediret. Demenſi loco ſingulis menſibus accipiebant Servi quinque modios, & quinque Denarios, idque vocabatur MENSTRVVM. Talia etiam erant ANNVA quæ dabantur ſervis publicis. Plin. Epiſt. XL. Lib. X. *In pleriſque civitatibus, maximè Nicomediæ, & Niceæ, quidam vel in opus damnati, vel in ludum, ſimiliaque his genera pœnarum, publicorum ſervorum officio, miniſterioque funguntur, atque etiam ut publici Servi ANNVA accipiunt, quod ego cum audiſſem, diu, multumque hæſitavi, quid facere deberem.* —— Quicquid ergo de hiſce menſtruis, annuiſque ſtipendiis deparſerant Peculii loco erat. Apud Terent. Phor. Act. I. Scen. I. v. 9. Servus conſervi fortunam dolens,

Quod ille unciatim vix de demenſo ſuo
Sumum defraudans genium, comparſit miſer,
Id illa univerſum accipiet, haud exiſtimans
Quanto labore partum. ——

Eam deinde pecuniam concedente Domino vel fœnori locabant, vel inde ſibi emebant ſervulum cujus opera lucrarentur. Et alias ſervus ſervi vocabatur VICARIVS, & pertinebat ad peculium. Virg. Eclog. I.

Nec ſpes libertatis erat, nec cura Peculî.

Ubi Tityrus ſervi perſonam induit.

Plin. Epiſt. Lib. IV. 10.

C. PLINIVS SABINO SVO S.

Scribis mihi, Sabinam, quæ nos reliquit hæredes, Modeſtum Servum ſuum nuſquam liberum eſſe juſſiſſe: eidem tamen ſic adſcripſiſſe legatum, MODESTO, QVEM LIBERVM ESSE IVSSI. *Quæris quid ſentiam? Contuli cum Prudentibus. Convenit inter omnes nec libertatem deberi, quia non ſit data; nec Legatum, quia* SERVO SVO *dederit. Sed mihi manifeſtus error videtur: ideoque puto nobis quaſi ſcripſerit Sabina faciendum, quod ipſa ſcripſiſſe credidit. Confido acceſſurum te ſententiæ meæ, cum religioſiſſimè ſoleas cuſtodire defunctorum voluntatem, quam bonis hæredibus intellexiſſe pro jure eſt. Neque enim minus apud nos honeſtas, quam apud alios neceſſitas valet. Moretur ergo in libertate ſinentibus nobis, fruatur legato, quaſi omnia diligentiſſimè caverit. Cavit enim, quæ hæredes bene elegit.* Vale. ——

JUS ANGLICANUM. ad Tit. IX.

Nobis acquiritur per uxores, per ſervos ſive maſculos ſive fœminas, per filios, filiaſque, quos in noſtrâ poteſtate habemus; Item per Procuratores, per Tutores, vel Cuſtodes, qui nomine noſtro ſtipulati ſunt.

TIT.

TIT. X.

De Teſtamentis Ordinandis.

1. Reliquis modis adquirendi ſingularibus per legatum & Fideicommiſſa ad finem hujus libri rejectis, Imperator tranſit ad civiles Univerſales, quorum primus eſt *Hæreditas*, quæ eſt Succeſſio in univerſum jus, quod Defunctus habuit.

2. Hæreditatum duplex conditio eſt. Nam ex jure civili Romano vel ex Teſtamento, vel ab inteſtato ad nos pertinent.

3. Teſtamentum dicitur quaſi teſtatio mentis.

4. Eſt autem Voluntatis noſtræ juſta (hoc eſt, legibus conveniens) ſententia de eo, quod quis poſt mortem ſuam fieri velit.

5. Ortum Teſtamenta ſine dubio habent a jure Gentium & naturali ratione, cui nihil convenientius eſt, quam voluntatem Domini, volentis rem ſuam alienare ratam haberi; ſed & nihil magis hominibus debetur, quam ut ſupremæ voluntatis, poſtquam jam aliud velle non poſſunt, liber ſit ſtylus.

6. Formam tamen ſpecialem habent ex jure Romano tum veteri, tum novo. Jus civile vetus agnoſcit 4. ſpecies. 1. Teſtamentum calatis Comitiis factum. 2. In procinctu. 3. Per æs & libram. 4. Jure Prætorio coram ſeptem teſtibus factum & ab iis ſignatum.

Calatis Comitiis] Teſtamenta in pace fiebant in Comitiis calatis a Græco verbo καλέω ita dictis, quæ pro Collegio Pontificum, aut Regis Flaminumve inaugurandorum causâ habebantur, & dividebantur in Curiata & Centuriata. Teſtamenta vero fiebant bis in anno hoc modo. Præco univerſam circumibat civitatem populum convocans, ac tum qui teſtamentum condere volebat, in concione populi, ipſo populo teſte teſtamentum ſcribebat, vel præmiſſa ſolenni rogatione hæredem inſtituebat.

In Procinctu.] *Teſtamenta IN PROCINCTV fiebant a militibus in cinctu Gabino ad prælium ituris.* Vell. Pat. II. 5. *Facientibus omnibus IN PROCINCTV Teſtamenta velut ad certam mortem eundum foret; non deterritus propoſito, perſeverantia ducis, quem moriturum miſerat, militem victorem recepit. In Procinctu enim ſtantes vel cinctu Gabino & ſcutis manus inferentes, ſagaque accingentes ſimul etiam tribus aut quatuor audientibus Hæredem ſuum nuncupabant.*—— Cic. de Orat. Lib. I. 228.——*Reprehendebat igitur Galbam Rutilius quod is C. Sulpici Galli propinqui ſui Q. Pupillum filium ipſe pene in humeros ſuos extuliſſet,*

7. Jure novo forma teſtamenti conflata eſt partim ex antiquo jure civili, quod teſtamentum uno contextu fieri mandat ; partim ex jure Prætorio, quod ſeptem ſigna deſiderat, & denique ex conſtitutionibus Principum, quæ ſubſcriptiones teſtium adhiberi voluerunt. Nonnulla autem teſtamenta privilegio donata, & a ſolennitatibus communibus excepta ſunt, & quidem nonnulla ab omnibus, nonnulla a quibuſdam.

qui patris clariſſimi recordatione, & memoria fletum moverat, & duos filios ſuos parvos tutelæ populi commendaſſet, ac ſe tanquam IN PROCINCTV teſtamentum faceret ſine librâ atque tabulis populum Romanum Tutorem inſtituere dixiſſet illorum orbitati. Apertius vero Plutarchus horum teſtamentorum formam exponit in Coriolano his verbis. Ην δὲ τότε τοῖς Ρωμαίοις ἔθος εἰς τάξιν καθισταμένοις, καὶ μέλλουσι τὰς ἀσπίδας ἀναλαμβάνειν, καὶ περιζώννυσθαι τὴν τήβεννον, ἅμα δὲ διαθήκας ἀχάλκους γίνεσθαι, τριῶν ἢ τεττάρων ἐπακουόντων, ὀνομάζοντας τὸν κληρονόμον.——*Moris erat id temporis in acie ſtantibus Romanis, quum jam ſumpturi ſcuta eſſent, & togam præcincturi teſtamenta in procinctu facere, & tribus aut quatuor exaudientibus nuncupare hæredem.*

Per æs & libram.] Inauſpicatum veteribus viſum fuit, ſano & valente corpore teſtamentum facere velle, extra quam ſi præſens periculum foret, veluti ſi in hoſtem pugnandum eſſet, aut comitia teſtamentis faciendis ex profeſſo haberentur. Sed cum hinc eveniret, ut ne ægrotantibus quidem ſemper libera eſſet teſtamenti factio, nec fœminæ, quibuſcum nulla Comitiorum communio erat ulla ratione teſtari poſſent, excogitata poſtea eſt tertia teſtandi ratio, ſecundum quam & quovis loco ac tempore, & fœminis etiam ſuprema judicia ordinare liceret. Hic modus teſtandi per ÆS ET LIBRAM dictus, quia per mancipationem in qua æs & libra adhibebatur, fiebat, unde Hæres per æs & libram apud Ciceronem 2. de legibus. Sciendum eſt, Romanos primis temporibus ære gravi, atque argento rudi, non ſignato uſos fuiſſe pro pecunia, atque hæc appendere non numerare ſolitos; ſignatâ pecunia demum poſt Pyrrhum Regem devictum uti cœpiſſe, eamque numerare auctore Plinio, Lib. 33. cap. 3. Verba tamen vetera etiam poſtea retenta ſunt, ut pendo, appendo, expendo, nominaque ab his derivata, & imago quædam vetuſti moris in venditione atque alienatione rerum mancipi, quæ uno verbo mancipatio dicitur; nimirum ut is, in quem hæ res transferebantur, eas emeret domino ære & libra, appenſo ei νόμισμα χάλκευ, dicis cauſa, nummo uno. Atque hoc modo pleniſſimo & optimo jure dominium in accipientem transferebatur. Quo accomodandum illud Horatii, Lib. 2. Ep. 2. v. 158.

Si proprium eſt, quod quis LIBRA mercatus, & ÆRE eſt.

Aderant præter libripendem quinque teſtes, cives Romani, puberes, certiſque verbis hic actus perficiebatur.

8. Hinc

8. Hinc jure novo Teſtamentum dicitur vel *privilegiatum* vel *ſolenne*. Utrumque eſt *ſcriptum* vel *nuncupativum*.

9. Privilegiata teſtamenta ſunt 1. Militis. 2. Principi oblatum. 3. Actis inſinuatum. 4. Patris inter liberos. 5. Ruſticorum. 6. Tempore contagionis factum. 7. Denique factum ſecundum formam juris Canonici.

10. Solennia autem, & nullo privilegio donata teſtamenta requirunt quædam communia utriuſque ſpeciei, quædam propria alterutrius.

11. Communia ſcripti & nuncupativi Teſtamenti ſunt 1. Ut Teſtator habeat poteſtatem teſtandi. 2. Ut rectè fiat hæredis inſtitutio. 3. Ut adſint ſeptem teſtes, cives Romani, puberes; non improbi inteſtabileſve, non furioſi, nec muti, nec ſurdi, nec cœci, nec prodigi, nec ob carmen famoſum damnati; quorum cauſa non agitur in eo teſtamento, ad hoc ſpeciatim rogati, ſimulque congregati, videntes, quid teſtator agat. 4. Ut fiat totum teſtamentum unico contextu, nec contractu, nec alio alieno negotio interveniente.

12. Propria requiſita ſcripti Teſtamenti ſunt 1. Ut Teſtator ultimam ſuam voluntatem ſcribat, vel alteri ſcribendam dictet

Improbi, inteſtabileſve] Horat. Sat. Lib. 2. Sat. 3. v. 179.

Præterea ne vos titillet gloria, jure-
Jurando obſtringam ambo: uter Ædilis fuerit, vel
Veſtrûm Prætor, is INTESTABILIS *&* SACER *eſto.*

Vel alteri ſcribendam dictet] Scribendo Teſtamento nonnunquam Servi vel Liberti, nonnunquam Amici adhibebantur; aliquando etiam ipſi Teſtatores teſtamenta ſua integra conſcribebant, quæ tunc vocabantur HOLOGRAPHA. Teſtamentorum a libertis ſcriptorum exempla ſunt apud Suet. Aug. CI. ——*Teſtamentum L. Planco, C. Silio COSS. III. Nonas Aprilis ante annum & quatuor menſes quam decederet, factum ab eo, ac duobus codicibus, partim ipſius, partim libertorum Polybii & Hilarionis manu ſcriptum, depoſitumque apud ſe Virgines Veſtales, cum tribus ſignatis æquè voluminibus protulerunt.*——Et Tib. cap. ult.——*Teſtamentum duplex ante biennium fecerat: alterum ſua, alterum liberti manu, ſed eodem exemplo, obſignaveratque etiam humillimorum ſignis.*—— De amico teſtamentum ſcribente Plinius Lib. 6. Epiſt. 22.——*Protulit Bruttianus teſtamentum ſuum, quod Atticini manu ſcriptum eſſe dicebat. Hoc enim & arcana familiaritas, & querendi de eo, quem ſic amaſſet, neceſſitas indicabatur.*

quali-

qualicunque in materia, cerâ, chartâ, vel membrana. Hæres tamen & legatarius ſub pœna falſi eam ſcribere prohibentur. 2. Ut ſcriptura hæc teſtibus offeratur, & ab iis ſubſcribatur. 3. Ut eandem omnes obſignent, ſive proprio, ſive alieno annulo, aliove inſtrumento. 4. Ut teſtator ſubſcribat niſi totum ipſe ſcripſerit. Requirit 5. *Juſtinianus* ut Teſtatoris vel Teſtium manu nomen hæredis exprimatur, quod jure Novellarum ab eodem abrogatum eſt.

13. Proprium requiſitum *Nuncupativi* Teſtamenti eſt. 1. Ut Teſtator ultimam ſuam voluntatem viva voce declaret, & Hæredem nuncupet. 2. Ut Teſtes non ſolum videant quid agatur, ſed etiam intelligant ſermonem Teſtatoris.

Cerâ, chartâ, vel Membrana] Antiqui ferè in tabulis ligneis dolatis & cerâ illitis teſtamenta & quaſlibet cautiones ſcribere ſolebant. Hinc Juv. Sat. 13. v. 136.

Si decies lectis diverſa in parte tabellis
Vana ſupervacui dicunt chirographa LIGNI.

Literas ſtylo primum ferreo, poſtea oſſeo in iis exarabant, unde factum eſt, ut cera etiam pro tabulis diceretur. Suet. in Tul. cap. 83. Quintum Pœdium ex quadrante hæredem inſtituit, reliquos in ima CERA.——Horat. Sat. 2. ver. 53.

Sic tamen ut limis rapias, quid prima ſecundo
CERA velit verſu.———

Ubi prima Cera ſignificat primam teſtamenti paginam, in cujus primo verſu nomen Teſtatoris, in ſecundo Hæredis nomen ſcribebatur.—Juv. Sat. 9. v. 18.

Conſilium laudo Artificis, ſi munere tanto
Præcipuam in tabulis CERAM Senis abſtulit orbi.

Ut eandem omnes obſignent] Macrob. Lib. 7. cap. 13.——*Veteres non ornatus ſed ſignandi cauſa annulum ſecum circumferebant,——Imprimebatur autem ſculptura materiæ annuli, ſive ex ferro, ſive ex auro foret : poſtea uſus luxuriantis ætatis ſignaturas pretioſis gemmis cœpit inſculpere, ut etiam de augmento pretii, quo ſculpendos lapides paraſſent gloriarentur.*——Juv. Sat. I. v. 67.

Signator falsò, qui ſe lautum atque beatum
Exiguis tabulis, & GEMMA fecerat udâ.

Et Sat. 13. v. 138.

Arguit ipſorum quos littera, GEMMAque Princeps
Sardonyches, loculis quæ cuſtoditur eburnis.

Horat. Epiſt. 7. Lib. 1.

Officioſaque ſedulitas, & opella forenſis
Adducit febres, & Teſtamenta RESIGNAT.

14. Nun-

14. Nuncupata ita voluntas poteſt tamen probationis causâ etiam ſcribi. Quin & ſcripti Teſtamenti plura exemplaria confici poſſunt; licet nemo duobus teſtamentis poſſit decedere.

JUS ANGLICANUM. ad Tit. X.

Teſtamentum *propriè* dictum eſt illud ſupremum hominis judicium in quo ejuſdem EXECVTOR nominatur.——Hic enim ejus loco eſt, qui HÆRES apud Romanos dictus, & quaſi baſis Teſtamenti eſt, Teſtatoris ſtatum repræſentans.——Teſtamentum *impropriè* dictum eſt quælibet alia ultima voluntas ſive ſit Codicillus, ſive mortis cauſa Donatio, ſive Epiſtola: utrumque autem hoc eſt duplex *ſcriptum* vel *nuncupativum* ſed per nuncupativum Terræ dari non poſſunt.

Faſtidioſa adeo illa antiquorum Curioſitas nobis viſa eſt, ut omnem fere teſtamenti probationem idoneam exiſtimemus, quæ primæ illi juris gentium ſimplicitati ſatisfacit. Neque enim duo teſtes hodie ſemper requiruntur, ſi aliæ ſint Circumſtantiæ, quæ probationem ſupplent. Si vero Terræ & Tenementa legentur, tres teſtes requiruntur.

Diſpoſitio bonorum ſecundum voluntates defunctorum ex conſuetudine antiquiſſimâ in hoc regno, ſaltem quoad bona & Catalla Juri Eccleſiaſtico permiſſa eſt. Cum vero de Teſtamento condito non eſt dubium, in Teſtamento Executor nominatus de bonis mobilibus diſponere, nec actionem inſtituere poteſt, priuſquam Teſtamentum exequendi authoritatem ab Ordinario adeptus fuerit, quam poteſtatem ut obtineat, oportet prolato coram Judice Eccleſiaſtico Teſtamento juramentum ſuſcipere, quod credat Teſtamentum exhibitum eſſe verum atque ultimum Teſtamentum Defuncti; & quod juſtum & fidele Inventorium omnium & ſingulorum bonorum, quæ defunctus die vitæ & mortis habuit, conficiet, & tempore aſſignato exhibebit; item quod debita, & legata ſolvet, & rationes juſtas ſuæ Executionis reddet, quandocunque requiſitus fuerit.

Sin vero quis *inteſtatus* Deceſſerit ad Ordinarium etiam ſpectat *Adminiſtrationem bonorum* viduæ, aut proximo Conſanguineo aut utrique juxta diſcretionem concedere, præſtito prius juramento, defunctum, quantum conſtat, nullo teſtamento condito deceſsîſſe; præterea ſe juſtum Inventorium exhibiturum; debita Defuncti juxta valorem bonorum perſoluturum, & ſi quid ſuperfuerit, liberis aut aliis conſanguineis defuncti juxta portiones a judice aſſignandas erogaturum, & rationes juſtas ſui muneris redditurum. Inſuper priuſquam literas Adminiſtratorias ſigillo communitas accipiet, ſeipſum cum idoneis fidejuſſoribus pro juſta bonorum adminiſtratione obligare debet.

Ordinarii autem, qui hujuſmodi Executoribus & Adminiſtratoribus auctoritatem præſtant, ſunt, ſi Defunctus BONA NOTABILIA, id eſt, valoris quinque librarum in diverſis Diœceſibus tempore mortis habuerit, Archiepiſcopi jure Prerogativæ per provincias ſuas; ſi extra Diœceſin bona notabilia non habuerit, Epiſcopi Diœceſeos in quâ quis moritur. Cum vero Epiſcopum Diœceſeos competentem hic Judicem dixerimus, hoc de ejus quoque

TIT. XI.

De Militari Teſtamento.

1. Inter Teſtamenta privilegiata excellit *militis*, qui propter imperitiam & favorem militarem, cum in expeditione eſt poteſt teſtari, uti vult; quemadmodum enim olim, etiam ante XII. Tabulas, milites in procinctu teſtari poterant, ita & poſtea liberam teſtamenti factionem militibus, non quidem in procinctu, ſed tamen in periculo conſtitutis reddidit primum *Jul. Cæſar*, deinde *Titus*, poſtea *Domitianus*; hinc *Nerva*, ac poſtremo *Trajanus*.

2. Nulla autem omnino ad militare teſtamentum requiritur ſolennitas, ſed tantum probatio voluntatis.

3. Sed & ante militiam non jure militari factum Teſtamentum jure militari valet, ſi miles in expeditione occupatus aliquo facto declaret ſibi placere id teſtamentum.

4. Factum autem militari jure teſtamentum in expeditione valet & poſt eam, ſed ſi militiâ *honeſtè* miſſus ſit, teſtator, intra annum. Sed *ignominiæ cauſa* miſſi teſtamentum militare ſtatim corruit.

quoque officialibus intelligi volumus, ſive ſit Vicarius generalis, ſive Commiſſarius, ſive etiam Archidiaconus, qui talem poteſtatem vel præſcriptione vel compoſitione vendicare poteſt.

Cum in expeditione eſt] Expeditio eſt dicta, quod milites ſint expediti ad confligendum cum hoſte, quandocunque caſus ingruat. Itaque Expeditio non eſt conflictus ipſe, neque etiam tempus belli, ſed totum illud tempus, quo milites in arduis procedunt, aut ſunt adverſus hoſtem, ſive eum perſequantur, ſive eum imminentem expectent, intenti ad opportunitatem rei gerendæ, vel ut invadant, vel ut invadentem ſuſtineant ac propulſent. Salluſt. in Jug. cap. 37. *Milites menſe Januario ex hibernis in EXPEDITIONEM evocat.*

JUS ANGLICANUM. ad Tit. XI.

Nullum militari teſtamento privilegium Jus noſtrum poteſt relinquere, quod Paganorum ultimis voluntatibus nullum fere negat, & Romanorum ſubtilitates in antiquam juris Gentium fidem diſſolvit.

TIT.

TIT. XII.

Quibus non eſt Permiſſum facere Teſtamentum.

1. Lege XII. Tabb. permittebatur tantum Patrifamilias facere Teſtamentum. Verba ſunt. PATER FAMILIAS VTI LEGASSIT SVÆ REI ITA IVS ESTO. Hâc ergo nec fœminæ, nec ulli alii præter Patresfamiliarum teſtari permittebantur. Sed poſtea id omnibus hominibus ſanæ mentis permittendum viſum eſt.

2. Teſtamenta ergo condere poſſunt omnes, qui non prohibentur. Prohibentur autem;

3. Primò, alii ob ſtatum, ut filiifamilias; niſi de peculio caſtrenſi teſtentur ----- Servi; ab hoſte capti; Peregrini, ac deportati.

4. Secundò, alii ob defectum judicii, ut impuberes; furioſi & mente capti, niſi dilucidum ſit furoris, vel dementiæ inter-

Niſi de peculio caſtrenſi teſtentur] Juv. Sat. 16. v. 51.

Solis præterea teſtandi militibus jus
Vivo Patre datur. Nam quæ ſunt parta labore
Militiæ placuit non eſſe in corpore cenſus
Omne tenet cujus regimen Pater. Ergo Coranum
Signorum comitem, caſtrorumque æra merentem
Quamvis jam tremulus captat Pater.——

Servi] Plin. Lib. 8. Ep. 16.——*Confecerunt me infirmitates meorum, mortes etiam, & quidem Juvenum. Solatia duo, nequaquam paria tanto dolori, ſolatia tamen: unum, facilitas manumittendi (videor enim non omnino immaturos perdidiſſe quos jam liberos perdidi) alterum cum permitto SERVIS quoque QVASI TESTAMENTA FACERE, eaque ut LEGITIMA cuſtodio. Mandant rogantque, quod viſum: pareo ocyus. Suis dividunt, donant, relinquunt duntaxat intra domum. Nam ſervis Reſpublica quædam & quaſi civitas Domus eſt. Sed quanquam his ſolatiis acquieſcam, debilitor & frangor eadem illa humanitate, quæ me ut hoc ipſum permitterem, induxit. Non ideo tamen velim durior fieri: nec ignoro alios hujuſmodi caſus nihil amplius vocare, quam damnum: eoque ſibi magnos homines, & ſapientes videri. Qui an magni, ſapienteſque ſint, neſcio: homines non ſunt. Hominis eſt enim affici dolore, ſentire, reſiſtere tamen, & ſolatia admittere, non ſolatiis non egere. Verum de his plura fortaſſe, quam debui, ſed pauciora, quam volui. Eſt enim quædam etiam dolendi voluptas: præſertim ſi in amici ſinu defleas, apud quem lachrymis tuis vel laus ſit parata, vel venia.* Vale.

vallum; Prodigi, tanquam civiliter furioſi, quibus a Prætore bonis interdictum eſt.

5. Tertiò, alii ob vitium corporis, ob quod voluntatem & animi ſenſa declarare non poſſunt, quales ſunt nonnulli ſurdi & muti. Cœci teſtari poſſunt, dummodo hæredem nuncupent, & vel tabellionem, qui nuncupationem excipiat, præter ſeptem teſtes adhibeant, vel octavum teſtem, omneſque ſubſcribant & ſignent.

6. Quartò, In pœnam quibuſdam non permittitur facere teſtamentum, veluti reis læſæ Majeſtatis; Apoſtatis & Hæreticis; inceſtas nuptias contrahentibus; ob carmen famoſum vel capitis damnatis; qui olim ſervi pœnæ fiebant, bonaque eorum publicabantur. Quanquam autem & ſervitus pœnæ, & publicatio bonorum ſublata eſt jure Romano novo, id tamen teſtari damnatis illis non permittit.

Prodigi, tanquam civiliter furioſi] Val. Max. Lib. 3. cap. 5.——*Age Q. Fabii Maximi Allobrogici & civis & Imperatoris clariſſimi filius Q. Fabius Maximus, quam perditam luxuriâ vitam egit? cujus ut cætera flagitia obliterentur, tamen abunde illo dedecore mores nudari poſſunt, quod ei Q. Pompeius Prætor urbanus* PATERNIS BONIS INTERDIXIT, *neque in tanta civitate, qui illud Decretum reprehenderet, inventus eſt. Dolenter enim homines ferebant pecuniam, quæ Fabiæ gentis ſplendori ſervire debebat, flagitiis disjici. Quem ergo nimia patris indulgentia hæredem reliquerat, publica ſeveritas exhæredavit.*

JUS ANGLICANUM. ad Tit. XII.

Jure noſtro aliqui prohibentur teſtamentum facere *ſimpliciter*, aliqui *de certis rebus*.

Infans prohibetur ſimpliciter. Sed Infantem dupliciter hoc caſu accipimus; uno modo Maſculum qui annum decimum quartum, aut Fœminam quæ duodecimum non complevit, alio, qui, vel quæ non viceſimum primum. Illi teſtari prorſus non poſſunt; Hi de Catallis poſſunt, non tamen de terris, quas perpetuo jure tenent, niſi conſuetudo loci hoc ferat.

Idiota, id eſt, talis qui de re aliqua facili & vulgari interrogatus aptè reſpondere non poteſt, item Deportatus, quem nos Exlegem ſive utlagatum dicimus.

Præterea *reus læſæ Majeſtatis* teſtamenti factionem non habet, quia ſi ejus criminis poſtea convincatur, omnia quæ tempore criminis commiſſi poſſedit, vel quaſi, Regi & Fiſco forisfacit——Neque *Feloniæ reus*; Quod tamen ſine diſtinctione

TIT. XIII.

De Liberis Exhæredandis.

1. Hactenus de *ſolennitatibus* & requiſitis teſtamentorum *externis:* ſequitur *Interna ſolennitas*, id eſt, Hæredis Inſtitutio. Hæredes ante omnes merito inſtituuntur liberi. Et quidem patria poteſtas olim tam latè patuit, ut Pater liberos nepoteſque vel teſtamento præterire, vel ſine juſta cauſa exhæredes ſcribere poſſet. Deinde quum hoc jure abuterentur Parentes, malignè circa ſanguinem ſuum inferentes judicium, neceſſitatem leges impoſuerunt parentibus liberos vel inſtituendi vel exhæredandi.

2. Eſt autem *exhæredatio* a tota hæreditate nominatim facta excluſio, ſive liberorum, ſive Parentum, ſive fratrum.

diſtinctione non procedit. Nam talis ſi moriatur ante convictionem tam terras quam Catalla teſtamento dare poteſt. Aut etiam ſi cum pro tribunali ſiſtatur juxta formam regni præſcriptam ſe Dei, atque Patriæ examini committere recuſaverit, aut mutus ſteterit; Hoc caſu terras vel hæredibus ſuis proximis ab inteſtato: vel teſtatus quibus videbitur ſuas reſervat, & ſolis catallis ſuis excidit; porro ſi condemnetur, terras a crimine perpetrato, catalla a convictione perdit, ita ut ante convictionem illa donare, aut aliter alienare pro ſuo arbitrio poſſit. — Ille qui ſibi ipſi mortem conſciſcit FELO DE SE a noſtris vocatur, & ſucceſſorem non habet in Catallis ſuis præter fiſcum.

Simpliciter prohibetur *uxor* terras hæreditarias ultima voluntate ſua diſponere. Bona etiam & Catalla ſine licentiâ Viri ſui. — Denique *religionem ingreſſi* teſtamentum facere nequeunt.

Epiſcopus, Decanus, & Magiſter fraternitatis alicujus teſtamentum facere de illis bonis prohibentur, quæ ſibi cum capitulo vel ſocietate communia ſunt.

Deinde quum hoc jure abuterentur Parentes] Val. Max. Lib. 7. cap. 7. — *C. autem Tettium infantem a patre exhæredatum, Petronia matre, quam Tettius quoad vixit, in matrimonio habuerat, natum, Divus Auguſtus in bona paterna ire decreto ſuo juſſit; patris patriæ animo uſus: Quoniam Tettius in proprio jure procreato filio ſumma cum iniquitate paternum nomen abrogaverat.* Juv. Sat. x. v. 234.

——Nec vultum agnoſcit amici,
Cum quo præteritâ cœnavit nocte, nec illos
Quos genuit, quos eduxit. Nam CODICE SÆVO
HÆREDES VETAT ESSE SVOS: Bona tota feruntur
Ad Phialen.——

3. Liberi autem omnes, ſive mares ſint, ſive fœminæ; ſive filii, ſive nepotes, ſive nati, ſive naſcituri, ſive ſui, ſive emancipati, ſive poſthumi, ſive naturales, ſive adoptivi ex jure noviſſimo inſtituendi ſunt hæredes, vel nominatim, riteque exhæredandi.

4. Sui enim a patre præteriti teſtamentum ejus ipſo jure nullum dicunt: Emancipatis vero præteritis ſuccurrit Prætor, data iis bonorum poſſeſſione *contra tabulas*, hoc colore, quaſi reſciſsâ emancipatione ſemper in familia remanſiſſent; quia in iis extincta non erant ſanguinis & naturæ jura.

5. Efficit autem exhæredatio *rite & ex juſtâ causâ* facta, ut exhæredatus totâ hæreditate excludatur: *Ritè* autem ſed tamen *iniquè* facta operatur, ut qui ſe iniquè exhæredatos conqueruntur, non dicant teſtamentum nullum, ſed petant reſcindi ut *inofficioſum*, quod eſt Teſtamentum rectè quidem, ſed non ex officio pietatis factum.

6. Excipitur teſtamentum militari jure factum, quod querelæ inofficioſi non ſubjacet. Silentiumque militis non ignorantis ſe liberos habere eſt pro exhæredatione nominatim facta.

7. Juſtæ cauſæ, ob quas *liberi* exhæredes ſcribi poſſunt, ſunt quatuordecim, puta 1. Si pater gravi injuriâ laceſſitus. 2. Si manus ei illatæ. 3. Si inſidiæ vitæ ſtructæ. 4. Si ex delatione filii damnum illatum. 5. Si filius cum maleficis, verſatus, ceu maleficus. 6. Si patrem teſtari prohibuerit. 7. Si patrem furioſum neglexerit. 8. Si captum ab hoſte non redemerit. 9. Si filius ſit hæreticus. 10. Si patrem accuſet capitalis criminis excepto crimine majeſtatis. 11. Si cum noverca, vel Patris concubina rem habuerit. 12. Si mimos invito patre ſequatur. 13. Si

Vel nominatim, riteque exheredandi.] Cic. de Orat. Lib.I. 175. — *Quæ potuit igitur cauſa eſſe major, quam illius militis, de cujus morte, cum domum falſus ab exercitu nuntius veniſſet, & pater ejus, re creditâ, teſtamentum mutaſſet, & quem ei viſum eſſet, feciſſet hæredem, eſſetque ipſe mortuus? Res delata eſt ad Centumviros, cum miles domum reveniſſet, egiſſetque lege in hæreditatem Paternam teſtamento* EXHÆRES FILIVS. *Nempe in eâ causa quæſitum eſt de jure civili, Poſſetne paternorum bonorum exhæres eſſe filius, quem Pater teſtamento neque hæredem, neque exhæredem ſcripſiſſet* NOMINATIM.

patrem

patrem carceri incluſum fidejuſſione liberare nolit. 14. Si filia minorennis, quam pater dote oblata, elocare voluit corpore quæſtum faciat.

8. Ita & *Parentes* ex octo cauſis juſtè exhæredantur ; 1. Si capitis accuſarint liberos. 2. Si inſidiati ſunt vitæ liberorum. 3. Ob ſtuprum nurui vel concubinæ filii illatum. 4. Si teſtari liberos prohibuerint. 5. Si non redemerint captivos. 6. Si furioſos neglexerint. 7. Ob hæreſin. 8. Si Pater matri, vel hæc patri venenum præbuerit.

9. Frater fratrem, Soror Sororem rectè exhæredat ob tres cauſas. 1. Si Frater vel Soror aut vitæ inſidias, aut 2. criminis accuſationem, aut 3. bonis jacturam inferre auſus ſit.

10. Et has quidem cauſas *Juſtinianus* ad certum illum numerum redegit, cum olim eſſent in arbitrio *centumvirorum*, qui ſæpe leviores admiſere, quibus locum nullum reliquit *Juſtinianus*, quem tamen alias graviores, quam ſunt enumeratæ, aut æquè graves excludere voluiſſe non eſt probabile.

11. Sed & aliud novum jus de exhæredatione idem introduxit: ſcilicet, quod teſtator cauſam talem, ſaltem unam in teſtamento ſuo ſpeciatim debet exprimere, adeoque exhæredationem facere cum *elogio*, id eſt, causâ tituloque exhæredationis.

In arbitrio centumvirorum] Val. Lib. 7. cap. 7. — *Item M. Anneius, M. Carſeolani ſplendidiſſimi equitis Romani filius, a Sufenate avunculo ſuo adoptatus, teſtamentum Naturalis patris, quo præteritus erat APVD CENTVMVIROS reſcidit, cum in eo Tullianus Pompeii Magni familiaris, ipſo quidem Pompeio ſignatore hæres ſcriptus eſſet.*

Quod teſtator cauſam talem] Filii utique non ſine magna cauſa exhæredebantur.——Cic. pro Roſcio Amerino. — *Quo certius argumentum odii reperiri nullo modo poteſt, exhæredare pater filium cogitabat. Mitto quærere, qua de cauſa : quæro quî ſcias : tametſi te dicere, atque enumerare cauſas omnes oportebat : & id erat certi accuſatoris officium, qui tanti ſceleris argueret, explicare omnia vitia, atque peccata filii, quibus incenſus parens potuerit animum inducere, ut naturam ipſam vinceret ; ut amorem illum penitus inſitum ejiceret ex animo ; ut denique patrem eſſe ſeſe obliviſceretur.*

Exhæredationem facere cum Elogio] Cic. pro Cluent. — *Quod ELOGIVM recitaſti de Teſtamento Cn. Egnatii patris, hominis honeſtiſſimi ſcilicet & ſapientiſſimi, IDCIRCO SE EXHÆREDASSE FILIVM, QVOD SI OB OPPIANICI DAMNATIONEM PECVNIAM ACCEPISSET.*

12. Quin & hoc novum jus fecit, quod hæres allegatam a teſtatore cauſam cogatur probare.

13. Cæterum ex quibus cauſis filii poſſunt exhæredari, ex iiſdem & alimenta ipſis rectè negantur a vivis parentibus.

14. Reliqua huc pertinentia vide ad Titulum XVIII. de Inofficioſo teſtamento.

TIT. XIV.

De Hæredibus Inſtituendis.

1. Quum liberis, parentibus, fratribus, ſororibuſque non exſtantibus: vel juſtè exhæredatis illis, aut præteritis, unuſquiſque poſſit Hæres ſcribi; hinc de ea hæredis inſtitutione agitur hoc titulo.

2. Conſiderandum eſt vero. 1. Qui poſſint hæredes inſtitui. 2. Quot poſſint inſtitui, & quomodo hæreditas inter plures dividatur. 3. Qua formâ inſtitutio fieri debeat vel poſſit.

3 Hæredes inſtitui poſſunt, qui non prohibentur. Prohibentur autem alii *ſimpliciter:* alii *ad certum modum.*

4. *Simpliciter* prohibentur Apoſtatæ, Hæretici, Peregrini, adeoque & Servi pœnæ, & deportati. Peregrinos tamen inſtitui permiſit Fridericus Imperator.

PISSET.——Quinctilian. Lib. 7. cap. 4.——*Si EXHÆREDATVM a ſe filium pater teſtatus fuerit ELOGIO, PROPTEREA QVOD SI MERETRICEM AMAVERIT.*

JUS ANGLICANUM. ad Tit. XIII.

Expreſſam illam liberorum exhæredationem, cui leges Romanæ cives illius civitatis aſtrinxerunt, jus noſtrum paterno amori remittit, quem præſumit naturam tam firmiter omnium animis inſculpſiſſe, ut niſi turpiſſimis liberorum moribus eradicari non poſſit. Omnes itaque non ſolum mobilium, ſed etiam immobilium ſuorum liberam habent diſpoſitionem, idque tam perquiſitorum, quam ab anteceſſoribus deſcendentium uſque ad certum modum, niſi FEVDVM TALLIATVM fuerit. De hoc enim non niſi Tallii diſſolutione per FINEM, aut RECVPERATIONE prius impetratâ noſtri diſponunt.

5. *Ad*

5. *Ad certum modum* prohibita eſt inſtitutio inceſtuoſorum; Adulterinorum, nec non naturalium.

6. Incerti, Univerſitates, cœlibes, Orbi hodie rectè inſtituuntur, licet olim non potuerint.

7. Servi hæredes eſſe poterant, ſive alieni, ſive proprii. *Illi* quia hæreditatem adquirebant dominis adire jubentibus. *Hi* quia libertatem ſimul conſequebantur, & ſic fiebant hæreditatis capaces.

8. Poteſt etiam Teſtator vel unum, vel plures, vel tot hæredes facere, quot vult, dum tamen multitudo illa inſtitutionem non reddat deriſoriam.

9. Poterit ergo Teſtator etiam tot facere partes hæreditatis, quot vult. Plerumque tamen hæreditas in 12. partes ſeu uncias dividitur, quæ aſſis appellatione continentur. Sextans autem

Univerſitates,] Plin. Epiſt. Lib. 5. Ep. 7.——*Nec hæredem inſtitui, nec percipere poſſe Rempublicam conſtat: Saturninus autem, qui nos reliquit hæredes, quadrantem Reipublicæ noſtræ, deinde pro quadrante præceptionem quadringentorum millium dedit. Hoc, ſi jus aſpicias, irritum: ſi defuncti voluntatem, ratum & firmum eſt. Mihi autem Defuncti voluntas (vereor quam in partem Juriſconſulti, quod ſum dicturus, accipiant) antiquior jure eſt, utique in eo quod ad communem patriam voluit pervenire.* Dum vero Univerſitates hæredes inſtitui potuiſſe negant, intelligendum id eſt de Municipiis & Collegiis Romanorum imperio ſubjectis, non de civitatibus, quæ jure ſuo, legibuſque utebantur. Sic apud Tacit. Annal. IV. 43.——*Tunc tractatæ Maſſilienſium preces, probatumque P. Rutilii exemplum; namque cum legibus pulſum, civem ſibi Smyrnæi addiderant; quo jure Vulcatius Moſchus exul in Maſſilienſes receptus* BONA SVA REIPVBLICÆ EORVM, VT PATRIÆ RELIQVERAT.——

Cœlibes, Orbi] Juv. Sat. IX. v. 85.

——*Foribus ſuſpende coronas:*
Jam Pater es: dedimus quod famæ opponere poſſis
Jura Parentis habes; propter me SCRIBERIS HÆRES,
Legatum omne capis, nec non & dulce caducum.

Hæreditas in 12. partes ſeu uncias dividitur] Hor. de Art. Poet. v. 325.

Romani pueri longis rationibus ASSEM
Diſcunt in partes centum diducere. Dicat
Filius Albini, ſi de QVINCVNCE *remota eſt*
VNCIA, *Quid ſuperet? Poterat dixiſſe,* TRIENS: *Eu!*
Rem poteris ſervare Tuam: redit Uncia; Quid fit?
SEMIS.——

Juv. Sat. I. v. 40. VNCIOLAM

continet Uncias 2. quaſi ſexta pars aſſis. Quadrans, (quaſi quarta pars) 3. Triens (quaſi tertia) 4. Quincunx (quaſi quinque unciæ) 5. Semis, (quaſi ſemi aſſis) 6. Septunx (quaſi ſeptem unciarum) 7. Bes, (quaſi bis triens) 8. Dodrans, quaſi dequadrans, i. e. dempto Quadrante 9. Dextans 10. Deunx, (quaſi cum una uncia deeſt aſſi) 11.

10. Unus Hæres ſcriptus totam accipit hæreditatem, etſi teſtator eum ex certâ re hæredem ſcripſerit: nec non etſi teſtator totam capere ipſum expreſsè prohibuerit. Nam jus civile non patitur eundem in Paganis & teſtato & inteſtato deceſſiſſe.

11. Si autem unus ex certa re inſtitutus, aliuſque ei hæres additus ſit, tum prior ille eſt loco legatarii.

12. Pluribus vero inſtitutis, ut ſciamus quomodo dividenda ſit hæreditas tres conſiderandi ſunt caſus. Vel 1. Nulli adſcripſit Teſtator partes, vel 2. Omnibus, vel 3. Quibuſdam.

13. Primo caſu in æquas partes omnes ſuccedunt.

14. Secundo caſu aut partes ſunt diſtributæ infra aſſem, & pars vacans accreſcit ſingulis pro ratâ: aut excedunt aſſem, & quod excurrit ſingulis pro ratâ decreſcit.

15. Tertio caſu tres iterum ſpecies diſtinguendæ. 1. Aut partes ſunt diſtributæ infra aſſem, & quod deeſt aſſi cedit inſtitutis ſine parte. 2. Aut ſuperant aſſem, & hoc quod dupondio ſive XXIV. unciis deeſt, aut ſi dupondium expletum ſit, quod Tripondio ſive XXXVI. unciis deeſt, accipiunt inſtituti ſine parte. 3. Aut exæquant aſſem; & ſine parte ſcripti in novum aſſem

VNCIOLAM Proculeius habet, ſed Gillo DEVNCEM. Cic. Epiſt. ad Famil. Lib. 13. Ep. 29.——*Teſtamento, quod Romæ Paullo & Marcello COSS. fecerat, Hæres ex parte dimidia, & tertia eſt Capito; in Sextante ſunt ii, quorum pars ſine ulla cujuſquam querelâ publica poteſt eſſe.*——Idem pro Cœcina de Celenniæ teſtamento.——*Facit Hæredem EX DEVNCE & SEMVNCIA Cœcinam, EX DVABVS SEXTVLIS M. Fulcinium libertum ſuperioris viri, Æbutio SEXTVLAM aſpergit.*

Non patitur eundem] M. Tullius Lib. 2. De Juvent. c. 21.——*Unius pecuniæ plures diſſimilibus de cauſis hæredes eſſe non poſſe: nec unquam factum eſſe, ut ejuſdem pecuniæ alius teſtamento, alius lege hæres eſſet.*

veniunt,

veniunt, ſeu mediam hæreditatis partem accipiunt: aut ſi dupondium æquant partes, reliqui hæredes in tertium aſſem, ſive tertiam hæreditatis partem vocantur.

16. Ad formam Inſtitutionis præter bene declaratam voluntatem Teſtatoris nihil requiritur. Vitium tamen habet Inſtitutio 1. Si in arbitrium alterius ſit collata; 2. Si in perſona hæredis ſit erratum; 3. Si captatoria ſit.

17. Poteſt etiam inſtitutio vel purè, vel ſub conditione fieri.

18. Conditio autem eſt qualitas adjecta negotio, qua id differtur donec ipſa exiſtat.

19. Dividitur vero conditio (licet parum accurate) in *poſſibilem*, & *impoſſibilem*; Impoſſibili enim conditioni vix adplicari poteſt definitio conditionis, quia ſemper certum eſt eam non exſtituram.

20. Poſſibilis eſt *Poteſtativa*, *caſualis*, & *mixta*. *Poteſtativa* eſt, quæ eſt in Hæredis poteſtate, ut ſi Romam ibit vel non ibit. *Caſualis*, quæ a fato pendet, ut ſi Conſul eligetur. *Mixta*, quæ partim ab arbitrio hæredis, partim a fato pendet veluti, ſi Mævio conſule Romam iverit.

21. Impoſſibilis conditio quadruplex eſt vel *natura*, ut ſi flumen ebiberit, vel *lege*, quæ id fieri non patitur, ut ſi Mævium occiderit, vel *bonis moribus* quibus conditio repugnat, ut ſi nudus in foro ſaltaverit; vel *perplexitate verborum*, ſi verba inter ſe pugnant, ut conditio exitum invenire nequeat, ut ſi *Seius* Hæres erit, *Titius* hæres eſto; ſin *Titius*, *Seius* hæres eſto.

22. Conditio impoſſibilis, ſive natura, ſive, lege & moribus, pro non ſcriptâ habetur. Conditio perplexa inſtitutionem reddit inutilem.

23. Tempus inſtitutioni adjici non poteſt. Si adjiciatur certum pro ſupervacuo eſt; Si quod incertum eſt, an exſtiturum ſit, pro conditione habetur.

JUS ANGLICANUM. ad Tit. XIV.

Hæredem juris civilis & noſtri antiſtites diverſis modis accipiunt. Illi enim

TIT. XV.

De Vulgari Subſtitutione.

1. Quum Hæres ſuccederet in omne jus Defuncti, adeoque & omne æs alienum ſolvere teneretur, facile contingebat, ut inſtitutus hæres adire nollet. Nec minus ſæpe eveniebat, ut Hæres vel ante teſtatorem mortuus, vel capitis diminutionem paſſus adire non poſſet, & ſic quoque teſtamentum fieret deſtitutum. Denique ſæpe parentes, qui liberos impuberes vel dementes inſtituerant, verebantur, ne hi, intra pubertatem properante fato exſtincti, vel furore non remittente inteſtati decederent. Eum ergo in finem repertæ ſunt *Subſtitutiones*, ne vel deſtitueretur teſtamentum, vel impubes demenſve filius decederet.

2. Subſtitutio eſt ſecundo, vel ulteriori gradu facta hæredis inſtitutio.

enim hæredem eum dicunt, quem Teſtator in ſuo teſtamento nominaverit; Hi eum, qui defuncto proximus eſt conſanguineus, ad quem Feudum de jure poſt anteceſſoris deceſſum ſpectat. Hæreditatem autem noſtri non univerſum jus defuncti, ſed feudum tantum appellant, ſeu ſaltem eas terras, tenementa, & illa ſive corporalia, ſive incorporalia, quæ perpetuo jure defunctus tenuit. Hæres itaque non in univerſum jus defuncti apud nos, ſed in feudum tantum alias non utiliter legatum ſuccedit. Ad catallorum ſuorum diſpoſitionem homines pro arbitrio ſuo EXECVTORES nominant, qui pro illa parte patrimonii hæredis locum occupant, & perſonam defuncti ſubeunt, ſi ſaltem onus delatum in ſe ſuſcipiant; ita ut bona omnia aliter non legata ſibi acquirant.

Subſtitutio eſt] Eos quos ſubſtituere ſolebant vocabant HÆREDES SECVNDOS. Cic. de Invent. 2. 21.——*De hæreditate ea, quæ pupillo venit, inter eos qui patris Pupilli HÆREDES SECVNDI ſunt, & inter agnatos pupilli controverſia eſt.*——Rem ita deſcribit Appianus. Ἔθος Ρωμαίοις παραχρᾶφειν τοῖς κληρονόμοις ἕτέρους, εἰ μὴ κληρονομοῖεν οἱ πρότεροι.——Mos eſt Romanis hæredibus ſubſtituere alios, ſi priores hæredes non fierent. ——Tacit. Annal. I. 8.——*Nihil primo Senatus die agi paſſus, niſi de ſupremis Auguſti, cujus Teſtamentum inlatum per Virgines Veſtæ Tiberium & Liviam hæredes habuit. Livia in familiam Juliam, nomenque Auguſtæ adſumebatur. In SPEM SECVNDAM nepotes, pronepoteſque; TERTIO GRADV primores civitatis ſcripſerat, pleroſque inviſos ſibi, ſed jactantia, gloriaque ad poſteros.*——Suet. Claud. VI.——*Qui tamen moriens, & in TERTIIS HÆREDIBVS eum ex parte tertiâ nuncupatum, legato etiam circa ſeſtertia vicies proſecutus, commendavit inſuper exercitibus, ſenatui populoque Romano inter cateras neceſſitudines nominatim.*

3. Ea,

3. Ea, quum ob duplicem cauſam fiat duplex eſt, vel *vulgaris*, vel *Pupillaris*.

4. *Vulgaris* eſt, quando quilibet teſtator hæredi ſubſtituit in caſum, ſi inſtitutus hæres non fuerit, ſi vel nolit, vel non poſſit hæres eſſe.

5. Poſſunt autem ita ſubſtitui vel uni plures; vel pluribus unus; vel plures inſtituti ſibi invicem, quæ vulgo Subſtitutio reciproca vocatur.

6. Reciprocâ autem eâ ſubſtitutione facta ſine mentione partium, teſtator præſumitur eaſdem partes dediſſe in ſubſtitutione, quas dedit in inſtitutione, v. g. ſi Teſtator tres inſtituit hæredes, Titium ex beſſe, Caium ex unciâ, Seium ex quadrante, eoſque invicem ſubſtituit; Seio deficiente vel repudiante fient novem partes, quarum octo cedent Titio, una vero Caio.

7. Sed etiam cum plures gradus ſubſtitutionis fecit teſtator, ſubſtitutus ſubſtituto cenſetur etiam ſubſtitutus inſtituto, licet ſubſtitutus ſit cohæredi; nimirum tertius ille utroque deficiente utriuſque partem capiet tam inſtituti, quam ſubſtituti, v. g.— *Titius & Mævius hæredes ſunto: ſi Mævius non erit hæres, Titius hæres eſto: ſi neque Titius hæres erit, Sempronius hæres eſto.* Neuter fit hæres, ergo Sempronius ad utramque partem admittitur.

Vel plures inſtituti ſibi invicem,] Suet. in Tib. 76.——*Eo teſtamento hæredes æquis partibus reliquit Caium ex Germanico, & Tiberium ex Druſo nepotes, SVBSTITVITQVE INVICEM.*

JUS ANGLICANUM. ad Tit. XV.

Subſtitutio apud nos nihil aliud eſſe videtur, quam conditionis ejus adjectio, quam vulgo TALLIVM dicimus; limitatio nimirum hæredum, quibus terras legatas a legatario noſtro deſcendere, vel remanere, vel ſaltem ad nos & hæredes noſtros reverti volumus.

TIT. XVI.

De Pupillari Subſtitutione.

1. Subſtitutio *Pupillaris* eſt Subſtitutio facta liberis impuberibus in poteſtate teſtatoris conſtitutis, & in alterius poteſtatem eo mortuo, non recaſuris, in eum caſum ſi intra pubertatem deceſſerint.

2. Moribus autem introductum eſt, ut vi patriæ poteſtatis teſtator poſſit liberis ſuis impuberibus ſucceſſorem dare, qui in illorum univerſum jus ſuccedit, nec creditoribus hæreditatis paternæ tenetur.

3. Subſtitutio hæc & tacitè fieri poteſt. Nam vulgaris expreſſa inter eos inter quos poteſt eſſe pupillaris continet tacitè pupillarem, & expreſſa pupillaris tacite continet vulgarem.

4. Teſtator autem pupillariter ſubſtituere non poteſt, niſi & ſibi faciat teſtamentum. Nam pupillare Teſtamentum pars & ſequela eſt teſtamenti paterni.

5. Hinc & pupillaris Subſtitutio exſpirat infirmato teſtamento paterno, uti & pubertate filii; nec non ſi filius tempore mortis deſinat eſſe in poteſtate.

6. Hæc quidem ad veram pupillarem ſubſtitutionem pertinent: alia eſt *quaſi pupillaris* ſive *exemplaris*, quâ Parentes utriuſque ſexus liberis mente captis, & ob eandem rationem, prodigis, mutis & ſurdis, licet exhæredatis etiam poſt pubertatem ſubſtituunt, in eum caſum, ſi morbo per quem teſtari nequeunt, deceſſerint.

Subſtitutio facta liberis impuberibus] Hujuſmodi Subſtitutionem ita deſcribit Horatius, Ser. II. 5. v. 45.

> *Si cui præterea validus male filius in re*
> *Præclarâ ſublatus aletur; nec manifeſtum*
> *Cœlibis obſequium nudet te, leniter in ſpem*
> *Arrepe officioſus, ut & ſcribare* SECVNDVS
> *HÆRES; & ſi quis caſus puerum egerit orco*
> *In vacuum venias.* ———

7. Hæc

7. Hæc Subſtitutio extinguitur, poſtquam furioſus reſipuit, vel Prodigo bonorum redditur adminiſtratio, vel ſurdus & mutus ſenſibus uti cœpit.

8. Non tamen quoſlibet Parentes ita rectè ſubſtituunt, ſed primum liberos, ſi quos mente capti habent; ſin minus fratres & Sorores; his quoque deficientibus quemvis alium.

9. Non intereſt qua in parte teſtamenti pupillariter ſubſtituatur. Si quis vero timeat, ne filius ſuus pupillus adhuc, ſubſtitutione pupillari palam factâ, periculo inſidiarum ſubjaceat; vulgarem quidem ſubſtitutionem palam facere, & in primis teſtamenti partibus ordinare debet; pupillarem vero ſeparatim in inferioribus partibus ſcribere, eamque partem proprio lino, propriaque cerâ conſignare; & in priore parte Teſtamenti cavere, ne inferiores tabulæ vivo filio, & adhuc impubere, aperiantur.

TIT. XVII.

Quibus Modis Teſtamenta Infirmentur.

1. Teſtamenta, quæ non jure facta ſunt, ubi ſcilicet ſolennia juris deſunt; vel in quibus ſuus hæres præteritus eſt, ipſo jure nulla ſunt, nec reſciſſione indigent: quæ autem jure facta ſunt valent, donec infirmentur, vel *ipſo jure*, quod fit cum *rumpuntur*, aut *irrita fiunt*; vel *facto hominis*, ut inofficioſum reſcindentis, de quo titulo ſequente.

Periculo inſidiarum ſubjaceat] Quidam enim maluerunt rapere hæreditatem, quam incerta ſpe expectare. Apud Cic. in Orat. pro Cluentio legimus Mulierem quandam Mileſiam acceptâ a ſecundis hæredibus pecunia partum ſibi medicamentis abegiſſe.——In hujuſmodi ſcelus impulſus hac occaſione fuit Tutor ille, quem Sergius Galba cruce affecit, quod Pupillum cui ſubſtitutus hæres erat, veneno necaſſet. Suet. in Galba. Notum eſt illud *Perſianum*,

——*Pupillumve utinam, quem* PROXIMVS *HÆRES*
Impello, expungam!

Huc pertinent illa Suet. Cæſ. LXXXIII. Vulgarem enim Subſtitutionem aliquando in imâ tabularum parte ſcripſerunt.——*Noviſſimo teſtamento tres inſtituit hæredes ſororum nepotes; C. Octavium ex dodrante, & L. Pinarium & Q. Pædium ex quadrante, reliquos in* IMA CERA.——

2. Rumpitur

2. *Rumpitur* Teſtamentum, quum in eodem ſtatu manente teſtatore ipſius teſtamenti jus vitiatur. Idque fit per agnationem Poſtumi, vel *naturalem*, ſi hæres ſuus poſt teſtamenti factionem naſcitur; vel *civilem*, ſi teſtator vel arrogat, vel deſcendentem adoptat, vel naturalem legitimat, vel nepos ſuccedit in locum ſui hæredis.

3. Idem fit mutata teſtatoris voluntate, ſive ipſe novum teſtamentum jure perfecto condat, ſive prius teſtamentum coram tribus ad minimum teſtibus revocarit, acceſſeritque lapſus decennii; ſive prius aboleverit, deleverit, induxerit, ſuperſcripſerit.

4. Imperfecto autem teſtamento, aut nuda contraria teſtatoris voluntate perfectum teſtamentum non infirmatur. Adeo ut ne Princeps quidem ex imperfecto teſtamento capiat, niſi ſint teſtamenta imperfecta, quæ pro perfectis habentur, ut militum, Parentum inter liberos, nec non in quibus ſcripti ſunt hæredes ab inteſtato ſucceſſuri. Divi enim Pertinacis oratione cautum eſt, ne alias tabulæ priores jure factæ irritæ fiant, niſi ſequentes jure ordinatæ & perfectæ fuerint. Eâdem oratione expreſſit, non

Per agnationem Poſtumi] Cic. pro A. Cœcina, §. 72.—— *Hoc non poteſt, cui filius agnatus ſit, ejus teſtamentum non eſſe ruptum.* —— Et Lib. 1. de Orat. *Conſtat agnaſcendo rumpi teſtamentum.*

Nuda contrariâ teſtatoris voluntate perfectum teſtamentum non infirmatur] Plin. Epiſt. Lib. 5. Ep. 5.—— *Angit me ſuper iſta caſus ipſius; Deceſſit veteri teſtamento: omiſit quos maximè diligebat; proſecutus eſt, quibus offenſior erat.*

Divi enim Pertinacis oratione cautum eſt] Solebant olim Principes orationes in Senatu habere, aut ſcriptas ad ſenatum mittere, in quarum ſententiam Senatuſconſulta concipiebantur.——Tacit. Annal. Lib. 2. cap. 25. *ORATIONEM Principis ſecuto Patrum conſulto Primi Ædui Senatorum in urbe jus adepti ſunt.* Atque hæ principum Orationes etiam *Senatuſconſulta* nominantur, quandoque etiam *Leges*.

Eadem oratione expreſſit non admiſſurum ſe hæreditatem ejus] Primus *Auguſtus* flagitare ſolebat ab amicis hoc benevolentiæ teſtimonium, & eorum ſuprema judicia moroſiſſimè penſitabat, neque dolore diſſimulato ſi parcius aut citra honorem verborum; neque gaudio ſi gratè pièque quis ſe proſequutus fuiſſet. Suet. Aug. cap. 66. Huic idem Suetonius cap. 101. refert, viginti proximis ante obitum annis eum quatuordecies millies ex teſtamentis percepiſſe. Ne tamen captare videretur hæreditates, aut parum honeſta inſtitutionis cauſa ſubeſſet: nec ab ignotis admittebat hæreditates, nec a parentibus,

admiſſurum ſe hæreditatem ejus, qui litis cauſa principem reliquerit hæredem; neque tabulas non legitimè factas, in quibus ipſe ob eam cauſam hæres inſtitutus erat, probaturum; neque ex nuda voce hæredis nomen admiſſurum: neque ex ulla ſcriptura, cui juris auctoritas deſit, aliquid adepturum. Secundum hoc Divi Severus & Antoninus ſæpiſſimè reſcripſerunt. *Licet enim* (inquiunt) *legibus ſoluti ſimus, attamen legibus vivimus.*

parentibus, ſed eas cum incremento liberis reſtituebat. Idem fere exemplum ſectatus *Tiberius*, Tacit. Annal. II. 48. —— *Neque hæreditatem cujuſquam adiit, niſi cum amicitia meruiſſet; ignotos, & aliis infenſos, eoque principem nuncupantes, procul arcebat.* Primus *Caligula* hæreditates avidiſſimè captavit; teſtamenta, in quibus nulla ſui mentio, reſcidit; teſtatores paulò diutius ſuperſtites interemit, & teſtes, qui ſe *Cæſarem* hæredem dictum audiviſſe aſſeverarent, ſubornavit. Hunc imitati ſunt *Nero, Vitellius, Domitianus*; *Trajanus Auguſtum* imitabatur, nec non *Hadrianus*, & *Antoninus Pius*. Poſtea quum *Commodus* malum denuo principem egerat, huic malo non tantum exemplo, ſed & lege latâ repugnavit *Pertinax*. Immo, quum nec id ſufficeret refrænandæ Principum aviditati *Theodoſius* omnes hæreditates planè reſpuit, idemque Edicto monuit *Theodoſius Junior*.

Qui litis cauſa Principem reliquerit hæredem] Plin. Panegyr. cap. 43. ——*In eodem genere ponendum eſt, quod teſtamenta noſtra ſecura ſunt.* —— *Non Tu falſis, non Tu iniquis tabulis advocaris; nullius ad Te Iracundia, nullius impietas, nullius furor confugit; nec quia offendit alius, nuncuparis, ſed quia ipſe meruiſti.*

Licet enim legibus ſoluti ſimus, attamen legibus vivimus.] Etſi hoc jus Principis eſt, ſi dignitatem ſpectes, & imperii poteſtatem, ut legibus omnibus civilibus ſit ſolutus: tamen officium imperantis eſt legibus vivere, iiſque parendo ſuo exemplo præire illis quibus ſolis latæ ſunt. Plin. Panegyr. cap. 45. ——*Vita Principis Cenſura eſt, eaque perpetua; ad hanc dirigimur; ad hanc convertimur: nec tam imperio nobis opus eſt, quam exemplo.* Item cap. 65. ——*In noſtris quoque ſimili religione ipſe Te legibus ſubjeciſti: legibus, Cæſar, quas nemo Principi ſcripſit. Sed Tu nihil amplius vis tibi licere, quam nobis: ſic fit, ut nos Tibi plus velimus. Quod ego nunc primum diſco: Non eſt Princeps ſupra leges, ſed leges ſupra Principem.* Vell. Pater. Lib. II. 126. ——*Facere rectè cives ſuos Princeps optimus faciendo docet; cumque ſit imperio maximus exemplo major eſt.* ——— Τίς γὰρ ἂν ἠθέλησεν ἀπειθεῖν, ὁρῶν τὸν βασιλέα πειθόμενον, inquit Xenophon in laudib. Ageſilai. ——— *Claudianus* in Paneg. v. 307. de quarto conſulatu *Honorii* his verſibus Principem hujus officii commonefacit:

In commune jubes ſi quid, cenſeſve tenendum,
Primus juſſa ſubi: tunc obſervantior æqui
Fit populus, nec ferre negat, cum viderit ipſum
Auctorem parere ſibi. Componitur orbis

Regis

5. *Irritum* fit Teſtamentum, ſi ſtatus teſtatoris mutetur; id eſt, ſi is vel maximam, vel mediam, vel minimam capitis diminutionem patitur. Quum enim per capitis diminutionem maximam fiat ſervus; per mediam peregrinus, per minimam filiusfamilias, & nec ſervus, nec Peregrinus, nec filiusfamilias teſtamentum condere poſſit, facile patet teſtamentum ita incidere in caſum, a quo incipere non poſſit.

TIT. XVIII.

De Inofficioſo Teſtamento.

1. Liberrima olim erat Patribusfamiliarum teſtandi exhæredandique facultas. Quum vero eâ abuterentur homines maximè blanditiis novercalibus deliniti, ſenſim ejuſmodi teſtamenta impugnari cœperunt *querela inofficioſi.*

2. Quum enim injuſtè exhæredatis, nec Lex, nec Prætor ſuccurreret, callidè juriſconſulti uti eos jubebant colore furoris, ac ſi pater integræ mentis non fuiſſet, qui tam malignè judicaſſet de ſanguine ſuo.

Regis ad exemplum: nec ſic inflectere ſenſus
Humanos Edicta valent, ut vita regentis.

JUS ANGLICANUM. ad Tit. XVII.

Teſtamenta ab initio juſtè non fiunt ab iis quibus non eſt permiſſum facere teſtamentum: ii qui ſunt, ſupra diximus. Poſteriori teſtamento quoque rumpuntur; vel etiam maximâ capitis diminutione infirmantur: utpote ſi quis poſt teſtamentum conditum læſæ majeſtatis, aut feloniæ condemnetur; aut ſi teſtator teſtamentum revocet, aut executore, quem nominavit, deſtituatur.

Sed ponamus *Titium* duo feciſſe teſtamenta, unum anno ſexto, alterum octavo *Georgii Secundi:* tandem eum acri morbo correptum eſſe, ita ut eloqui non poſſit: accedere autem ad eum *Sempronium* familiarem ſuum, qui illi utrumque teſtamentum in manum dat; jubetque ut illud retradat, quod pro ſupremo judicio ſuo haberi vult: *Titium* autem retradere teſtamentum anno ſexto conditum. Hoc caſu Teſtamentum retraditum poſterius erit.

3. Hanc

3. Hanc ergo actionem vocabant *querelam*; quia cognati propriè non accuſare & litigare, ſed conqueri inter ſe dicebantur. Vocabant querelam *inofficioſi*, quia quemadmodum *beneficia* alienorum ſunt; ita *officia* eorum, quos neceſſitudo ſuſcitat & opem ferre jubet.

4. Quemadmodum ergo *Teſtamentum inofficioſum* eſt, quod rectè quidem, ſed non ex officio pietatis factum, id eſt, in quo ii, quibus debetur portio hæreditatis legitima ſive juſta cauſa vel exhæredes ſcripti, vel præteriti ſunt, ita *querela inofficioſi* eſt Actio, qua ii, quibus debetur portio legitima injuſtè exhæredati vel præteriti agunt contra hæredes inſtitutos, ut teſtamentum eo colore, quod teſtator non ſanæ mentis fuerit reſcindatur.

5. Datur autem hæc actio 1. Liberis legitimis ſine diſtinctione gradus aut ſexus, ſive ſui ſint, ſive emancipati: ſui tamen a Patre præteriti teſtamentum dicunt nullum; emancipati bonorum poſſeſſionem contra tabulas habent. 2. Parentibus ſive præteritis ſive exhæredatis contra teſtamenta liberorum, qui teſtari poſſunt. 3. Fratribus germanis & conſanguineis, ſi in fratris teſtamento turpis vel levi maculâ notatus hæres inſtitutus ſit.

6. Effectus querelæ olim erat totius teſtamenti everſio: nec mirum, quia dicebatur a demente factum; jure noviſſimo autem ſola hæredis inſtitutio evacuatur.

7. Ceſſat hæc actio. 1. Si alio jure, vel alia via ad defuncti bona, ſive hæreditatem, vel ejus partem exhæredatus venire poſſit; Eſt enim odioſa querela, & in ſubſidium inventa. 2. Si exhæredatus vel præteritus renunciaverit querelæ, vel expreſsè, vel etiam tacitè; nempe ſi per quinquennium huic actioni præſcriptum poſt aditam hæreditatem tacuerit. 3. Si agnoverit, &

Querela inofficioſi] Qui de inofficioſo Teſtamento cognoſcebant, contra liberos, qui querelas pertulerant his fermè verbis pronunciabant——*Videri Patrem juſtas iraſcendi filio cauſas habuiſſe*; quemadmodum Plin. Lib. 5. Ep. 1. ad Severum docet.——*Deinde ſeceſſi, & ex conſilii ſententiâ——VIDETVR, inquam, CVRIANE, MATER TVA IVSTAS HABVISSE CAVSAS IRASCENDI TIBI.*

comprobaverit quale-quale judicium defuncti, veluti acceptando legatum ſibi in teſtamento relictum, vel alio modo. 4. Mortuo eo, cui querela competebat, cum actio injuriarum morte tollatur. Neque enim tranſmittitur ad hæredem accuſatio inofficioſi, niſi cœpta & præparata per defunctum. 5. Si ex judicio defuncti quarta debitæ portionis filio, vel aliàs legitimo hæredi fuerit relicta: ea enim ſufficit ad excludendam querelam, cum ſic non poſſit videri affectus injuriâ filius.

8. Eſt autem *legitima* portio hæreditatis ab inteſtato debitæ. Debetur autem liberis naturali quadam neceſſitate, & communi Parentum voto: Parentibus ob commiſerationem; Fratribus ob odium inſtituti hæredis.

9. Quantitatem autem legitimæ lex civilis ita definivit, ut eſſet quarta pars portionis debitæ ab inteſtato; hoc eſt quadrans omnium bonorum, ſeu tres unciæ. Hodie vero in favorem liberorum aucta eſt legitimæ quantitas, & nunc eſt Triens,

Debetur autem] Plutarchus in libello eleganti de prolis amore——οἱ παῖδες ὡς ὀφείλημα τὸν κλῆρον ἐκδεχόμενοι.——*Liberi hæreditatem ut ſibi debitam expectant.* Procopius Perſicorum 1.——Οἱ νόμοι τῶ διαλλάττοντι ἀλλήλοις ἀεὶ ἐν πᾶσιν ἀνθρώποις μαχόμενοι, ἐνταῦθα ὅν τε Ῥωμαίοις καὶ πᾶσι βαρβάροις ξυνίασί τε ξυνομολογοῦντες ἀλλήλοις κυρίους ἀποφαίνουσι τοὺς παῖδας εἶναι τῶ πατρὸς κλήρω.——*Leges quæ inter homines plurimis differentiis invicem pugnant, in hac re tam apud barbaros, quam apud Romanos conſentiunt atque conſpirant, ut liberos dominos pronuncient rerum a patre relictarum.*——*Sanguini honorem debitum reddidit* ait Valerius Maximus de Q. Hortenſio, qui filium minus ſibi probatum hæredem ſcripſerat. Huc ſpectat illud Apoſtoli Pauli, Οὐ γὰρ ὀφείλει τὰ τέκνα τοῖς γονεῦσι θησαυρίζειν, ἀλλ' οἱ γονεῖς τοῖς τέκνοις.——*Non enim liberi parentibus, ſed parentes liberis rem congerere, & ſervare debent.*

Communi Parentum voto] Quia Parentes optant ſe liberos relinquere ſuperſtites. Inde in lapidibus antiquis.

INFANTI MELLITISSIMO, ET DVLCISSIMO CONTRA VOTVM.
MATER INFELICISSIMA CONTRA VOTVM PIETATIS POSVIT.

Ut eſſet quarta pars] Plin. Epiſt. Lib. 5. Ep. 1.——*Rogant me, ut cum Curiano loquar. Convenimus in ædem Concordiæ. Ibi ego, Si mater, (inquam) Te EX QVARTA PARTE ſcripſiſſet hæredem, Num queri poſſes? Quid ſi hæredem quidem inſtituiſſet ex aſſe, ſed legatis ita exhauſiſſet, ut non amplius apud te, quam quarta remaneret? Igitur ſufficere tibi debet, ſi exhæredatus a matre, quartam partem ab hæredibus ejus accipias, quam tamen ego augebo.*

nunc

nunc ſemis totius ſubſtantiæ defuncti pro numero perſonarum quibus legitima debetur: nam ſi quatuor ſint vel pauciores, legitima eſt Triens, ſeu quatuor Unciæ; ſin plures quam quatuor; legitima erit ſemis, id eſt, ſex unciæ. Augmentum autem illud ex jure novo non tantum pertinet ad legitimam liberorum, ſed & ad Parentum & fratrum.

TIT. XIX.

De Hæredum Qualitate & Differentia.

1. Quia teſtamenta ex principiis Romanorum ſunt veluti Leges; Leges autem non niſi ſubditos tenent; ſequitur ut huic ultimæ voluntati ſimpliciter teneantur parere, qui ſunt in teſtatoris poteſtate: extranei non, niſi, ſua ſponte ſe illi ſubmittant.

JUS ANGLICANUM. ad Tit. XVIII.

Inofficioſi teſtamenti querela apud noſtros non auditur. In Catallorum diſpoſitione variæ diverſorum locorum videntur eſſe conſuetudines, quarum apud veteres juris noſtri ſcriptores haud obſcura veſtigia permanent. Sed de jure communi voluntas horum diſtribuendorum teſtatori ſemper libera fuit. Quare breve illud de *rationabili parte bonorum*, quod tam uxori quam liberis ad partem aliquam bonorum paternorum recuperandam contra executores jacet, non generale eſt, ſed certis comitatibus peculiare, quorum conſuetudo poſtulat ære alieno deducto, quod reliquum eſt in partes dividatur, una uxori, altera liberis, tertiâ teſtatoris arbitrio relinquenda.

Hic mos quodammodo adhuc obtinet in civitate Londinenſi, & legibus Scotiæ portio legitima uxori & liberis debetur.

Sunt veluti leges] Veluti legem teſtator dicit hæredi, quid ab eo præſtari velit, unde & Græcis legare eſt νομοθετεῖν. Quin & ipſum verbum LEGARE nihil aliud ſignificat, quam mandare & veluti legem dicere. Ita Plaut. Caſin. I. 1. v. 12.

Quin potius quod tibi LEGATVM eſt negotium
Id curas? ——

Hinc *Legati* dicuntur a *legando*, quia cum mandatis mittuntur, non quia publicè leguntur. Nec aliam fortè ob cauſam *Relegati* appellantur, quam quia *Lege* a populo vel Principe latâ civitate exire jubentur. *Imperativè* ergo fieri debebat hæc Donatio.

2. Poteſtati teſtatoris *Dominicæ* ſubſunt Servi; *Patriæ* Liberi, reliqui omnes *extranei* ſunt. Servos ergo jura noſtra vocant *Hæredes neceſſarios*; Liberos in poteſtate conſtitutos *ſuos & neceſſarios*; extraneos *voluntarios*.

3. *Neceſſarii* hæredes ſunt ſervi proprii, ſive cum libertate, ſive ſine eâ inſtituti: qui ſive velint ſive nolint a morte teſtatoris, & liberi ſunt, & ipſo jure hæredes. Hoc vero ideo conſtitutum fuit, ut bona eorum, qui facultates ſuſpectas habent, quique animadvertunt ſeſe æri alieno impares eſſe poſt mortem non ſuo, quod ignominioſum, ſed inſtituti hæredis nomine a creditoribus poſſideantur, diſtrahantur, vel inter eos dividantur. Pro hoc tamen incommodo, quod nimirum ſervus cogatur eſſe hæres, & in ipſum quaſi derivetur ignominia, illud ei commodum præſtatur, ultra libertatem quam cum hæreditate conſequitur, ut quicquid poſt mortem domini acquiſierit, ſibi ſervet, nec cum reliquis Domini bonis, quamvis ea non ſufficiant creditoribus poſſideri aut vendi poſſit.

4. *Sui & neceſſarii* ſunt Liberi in poteſtate teſtatoris tempore mortis ita conſtituti, ut poſtea in alterius poteſtatem recaſuri non ſint. *Sui* ergo dicuntur partim quia in poteſtate ac dominio

Quod ignominioſum] Cic. pro P. Quintio cap. 15.——*Cujus verò bona venierunt: cujus non modo illæ ampliſſimæ fortunæ, ſed etiam victus, veſtituſque neceſſarius ſub præcone cum dedecore ſubjectus eſt: is non modo ex numero vivorum exturbatur, ſed ſi fieri poteſt, infra etiam mortuos amandatur. Etenim mors honeſta ſæpe vitam quoque turpem exornat; vita turpis, ne morti quidem honeſtæ locum relinquit. Ergo hercule, cujus bona ex edicto poſſidentur, hujus omnis fama & exiſtimatio cum bonis ſimul poſſidetur: de quo libelli in celeberrimis locis proponuntur, huic ne perire quidem certè tacitò obſcurèque conceditur; cui magiſtri fiunt, & domini conſtituuntur: qui qua lege, & qua conditione pereat, pronuncient: de quo homine præconis vox prædicat, & pretium conficit, huic acerbiſſimum vivo, videntique funus indicitur: ſi funus id habendum ſit, quo non amici conveniunt ad exſequias cohoneſtandas, ſed bonorum emptores, ut carnifices ad reliquias vitæ lacerandas & diſtrahendas.*

Sui ergo dicuntur] Nomen ſuorum hæredum ex jure civili deſcendit, eſtque verbum forenſe, ac proprium Juriſconſultorum, non populare aut oratorium. Ex uſu ergo juris peculiari verbum SVVS refertur ad eum ipſum, qui hæres eſt, &, quod diligenter obſervandum, tunc perpetuo id verbum præcedit. Cum dico igitur, *Mulier SVVM HÆREDEM non habet,*

parentis ſunt; partim quia domeſtici hæredes ſunt & vivo patre quodammodo Domini habentur, & hinc ſibi ipſis veluti ſuccedere, & αὐτοκληρονόμοι eſſe cenſentur; *Neceſſarii* autem quia & ipſi jure civili ſive velint, ſive nolint hæredes Parentum ex teſtamento & ab inteſtato fiunt.

habet, intelligor loqui ex uſu juris peculiari: cum aio, *Sempronia HÆREDEM SVVM rogavit, ut partem hæreditatis reſtituat Titio*, ex uſu communi. Juv. Sat. X. v. 256.

——Nam codice ſævo
HÆREDES vetat eſſe SVOS.

Et Ovid. ad Meſſalinum;

Vivit enim in vobis facundi lingua Parentis,
Et res HÆREDEM repperit illa SVVM.

Quia domeſtici hæredes ſunt] Plin. Pan. cap. 37. *domeſticos hæredes* opponit *extraneis*. *——Onera imperii pleraque vectigalia inſtitui, ut pro utilitate communi, ita ſingulorum injuriis, coegerunt. His Vigeſima reperta eſt, tributum tolerabile, & facile duntaxat EXTRANEIS, DOMESTICIS grave. Itaque illis irrogatum eſt, his remiſſum; videlicet quod manifeſtum erat, quanto cum dolore laturi, ſeu potius non laturi homines eſſent, deſtringi aliquid & abradi bonis, quæ ſanguine, gentilitate, ſacrorum denique ſocietate meruiſſent; quæque nunquam ut aliena & ſperanda, ſed ut ſua ſemperque poſſeſſa, ac deinceps proximo cuique tranſmittenda cepiſſent.*

Et vivo patre quodammodo Domini] Unde & *Particeps Patris* eleganter dicitur filiusfamilias apud Terent. Heaut. Act. I. Sc. I. 97.

Nec fas eſſe ulla me voluptate hic frui
Niſi ubi ille huc ſalvus redierit MEVS PARTICEPS.

Terent. Heaut. Act. I. Sc. I. 79.

——Gnatum unicum
Quem pariter uti his decuit, aut etiam magis.

Præcipuè huc facit locus Plauti Trinum. II. 2. apud quem Lyſiteles patri interroganti num de ſuo amico ſubvenire vellet reſpondet,

——De MEO,
Nam quod tuum eſt meum eſt, omne meum eſt autem Tuum.

Auſon. Edyll. 3.

Juſta quidem ſeries patri ſuccedere: verum
Eſſe ſimul DOMINOS gratior ordo piis.

Unde paſſim in Comœdiis Servi filios Dominorum *Heros minores*, νεωτέρους ἥρωτας vocant. *Telemachi* Subulcus dicitur, qui erat *Ulyſſis*. Odyſſ. ρ.—— Servus *Abrahami Iſaacum* vocat Dominum ſuum, *Gen.* 24. v. 65. — Hinc denique eſt, quod cum *extranei* dicantur *acquirere, Adire, repudiare hæreditatem*; *ſui* dicuntur *hæredes exiſtere* (quod Græci interpretantur ἀναφαίνεσθαι) *retinere, immiſcere, abſtinere*: quaſi qui rebus jam olim ſuis, ut Domini utantur, eaſve retineant, aut derelinquant.

5. Quia

5. Quia tamen Hæres ſuccedit in jura omnia defuncti teſtatoris, adeoque filius omne æs alienum patris diſſolvere, vel ignominiam illam, ut bona hæreditaria ſuo nomine a creditoribus poſſideantur, ſubire tenetur, Præter & *ſuis* dedit *Beneficium abſtinendi*; impuberibus, etiamſi ſe immiſcuerint; puberibus, ſi ſe non immiſcuerint, nec per eos factum fuerit, quo quid ex ea hæreditate amoveretur.

6. Ex quo conſequitur 1. Ut non *adeant* hæreditatem, ſed ſtatim a morte teſtatoris *in ejus jus ſuccedant*. 2. Ut non dicantur *pro hærede gerere*, ſed *ſe immiſcere*; 3. Ut hæreditatem non *repudiaſſe* dicantur, ſed ab eadem *abſtinuiſſe*. 4. Ut hæreditatem etiam non aditam ad hæredes tranſmittant.

7. *Voluntarii* ſunt quivis extranei. Qui quum voluntati ultimæ teſtatoris parere non teneantur, niſi ſe illi ſua ſponte ſubmittant, hæreditatem teſtamento ſibi delatam ſuo arbitrio & *adquirere* & *omittere* poſſunt.

8. Adquirunt ergo hæreditatem, vel expreſsè hanc voluntatem ſuam declarando: vel eandem tacitè factis & reipſa ſignificando. Prior modus ſtricte *aditio:* poſterior pro *hærede geſtio* vocatur. Prior eſt actus legitimus; poſterior nullam ſolennitatem exigit. Pro hærede enim gerere dicitur, qui aliquid quaſi hæres, & animo hæredis facit, v. g. agros colens, pecuniam fœnori locans, credita exigens; niſi vel ex teſtatione, vel aliis argumentis adpareat, eum id non animo hæredis, ſed pietatis & cuſtodiæ cauſa feciſſe.

9. Qui autem hæredes facti ſunt in univerſum jus defuncti ſuccedunt, adeoque ad omnia onera hæreditatis tenentur, licet illa vires hæreditatis multum excedant: nec contra illud damnum *reſtitutione in integrum* juvantur, niſi minor 25. annis adiit. -----Regula enim juris eſt, *Neminem poſſe hæreditatem ſemel quæſitam repudiare.*

10. Ad evitanda ergo incommoda damnoſarum hæreditatum variæ obſervari merentur cautiones, & jura, veluti. 1. *Jus abſtinendi*

ſtinendi de quo modo dictum. 2. *Jus cretionis*, ſive tempus a Teſtatore hæredi datum, intra quod cernit, ſive adit hæreditatem. 3. *Jus deliberandi*, quod a Principe vel Magiſtratu ſolet impetrari, plerumque ad annum, vel 9. menſes, cum urgent hæredes ab inteſtato vel creditores: Si nemo urgeat, hæres etſi uſque ad 30. annos deliberavit, tamen recte petit hæreditatem. Accepto autem a Principe vel Magiſtratu deliberandi tempore, ſi eodem hæres non agnoſcat hæreditatem, ſi quidem ab hæredibus legitimis urgeatur, *repudiaſſe*, ſi a creditoribus, *adiiſſe* cenſetur. Dum autem deliberat, intra tempus impetratum inſtrumenta hæreditaria inſpiciendi, omniaque explorandi, ſed & neceſſaria in hæreditatem impendendi, & ſi filius ſit, alimenta inde ſumendi jus habet. 4. *Beneficium Inventarii*, quod omnium cautionum, juriumque tutiſſimum eſt.

11. Inventarium autem eſt deſcriptio omnium bonorum defuncti, tempore, modoque legitimo facta.

12. Ut *tempus* ſit legitimum, inchoandum eſt Inventarium intra 30. dies, ex quo ſcivit Hæres ſibi delatam eſſe hæreditatem, & diebus 60. ſequentibus abſolvendum eſt.

13. Ad *modum* pertinet, 1. Ut fiat citatis, & præſentibus, quorum intereſt, legatariis & creditoribus, aut ſi qui citati non venerint, coram tribus optimæ opinionis teſtibus. 2. Ut adhibeantur notarii, qui de actu teſtari queant. 3. Ut omnia quæ defunctus tempore mortis habuit ſpeciatim deſcribantur bonâ fide: 4. Ut ſubſcribat ipſe Hæres, vel ſi ſcribere non poſſit; ob hoc ſolum ſpeciatim tabularium adhibeat, qui pro ſe literas ſup-

Jus cretionis] Cretio erat ſolennis quædam hæreditatis aditio. — Plin. Lib. 10. Epiſt. ad Trajan. —*Julius Largus rogavit teſtamento, ut hæreditatem ſuam adirem, CERNEREMQVE.* —Cic. Ep. Lib. IX. Ep. 14. — *Deinde multa de facto, ac re geſtâ; tum nihil magnificentius, nihil præclarius actum unquam, nihil Reipublicæ ſalutarius. Atque hæc una vox omnium eſt. A Te autem peto, ut me hanc quaſi falſam HÆREDITATEM alienæ gloriæ ſinas CERNERE, meque aliquâ ex parte in ſocietatem tuarum laudum venire patiaris.* Cic. de Orat. Lib. 1. cap. 101. —*De his, credo, rebus, inquit Craſſus, ut in CRETIONIBVS ſcribi ſolet; Quibus ſciam, poteroque.*

ponat,

ponat, venerabili ſigno ante manu ſuâ præpoſito. 5. Ut in ſubſcriptione addat quantitatem rerum, & quod circa eas, nihil fraudulenter fecerit.

14. Utilitates autem ſeptem ex rite confecto inventario hæres habet. 1. Quod non tenetur ultra vires hæreditatis. 2. Quod quartam legis Falcidiæ ſervat. 3. Sine periculo ſuo primo petenti creditori ſolvit. 4. Non aliud cogitur ſolvere, quam quod in hæreditate eſt. 5. Repetit ſumptus a ſe tanquam hærede factos. 6. Actiones, quas contra defunctum habuit, non amittit. 7. Tempore quo fit inventarium, nec a creditoribus, nec a legatariis conveniri, aut moleſtiâ affici debet.

Tit. XX.

De Legatis.

1. Hactenus de hæreditate per teſtamentum delata. Quandoquidem vero & *Legata* teſtamentis relinqui ſolent, Titulum de his Juſtinianus intermiſcet doctrinæ de Teſtamentis, quum tamen de illis, tanquam modo adquirendi ſingulari, ſtatim poſt Titulum de Donatione agi debuiſſet.

2. Eſt vero Legatum, Delibatio hæreditatis, qua teſtator ex eo, quod univerſum hæredis foret, alicui quid collatum vult verbis directis.

3. Legata olim fuerunt quadruplicia, & cuique generi certa & ſolennia aſſignata verba, certæ item formulæ, ſive actiones, viz. 1. Per *vindicationem* his verbis. Do, Lego, ſumito, capito,

JUS ANGLICANUM. ad Tit. XIX.

Hæredes, ut a noſtris quoque accipiuntur fuerunt olim neceſſarii quoad hæreditatem a majoribus per proximum anteceſſorem diductam & derivatam; idque non ſolum ut in feudo ſuccederent, ſed etiam anteceſſoris ſui æs alienum diſtraherent; etiam Warantiis id eſt, de evincendo cautionibus, quas ille vel alii majores in terris aliquibus vendendis alicui ſpoſponderunt, obnoxii perpetuo & obligati eſſent.

Per vindicationem] *Vindicatione* Legatum erat in legatarii arbitrio, idque ſibi ipſi adita hæreditate ſtatim capere, vel rei vindicatione petere poterat. Tale erat illud apud Virg. Æn. V. v. 533. *SVME,*

habeto.----2. *Per Damnationem*, ut *Hæres damnas eſto dare* &c. ---3. *Per Præceptionem*, ut *Hæres præcipito, præcipuam rem accipito.*----4. *Sinendi modo*, ut *Hæres ſinito legatarium ſumere vel habere.* Sed jure novo diſcrimen non modo legatorum & fideicommiſſorum, ſed & ipſorum legatorum per vindicationem, damnationem, præceptionem, & ſinendi modo relictorum, quod ad effectum prorſus ſublatum eſt.

4. In Legatis potiſſimum conſiderandum eſt. 1. Quis legare poſſit. 2. Quæ res poſſunt legari. 3. Quibus perſonis. 4. Quo modo. 5. Quo effectu legata relinquantur.

5. Quum ergo 1. Legatum ſit delibatio hæreditatis, quâ teſtator alicui quid collatum velit; ſequitur ut legare & fideicommittere poſſit, qui poteſt teſtari, & eo jure deſtituantur omnes, qui teſtamenta facere non poſſunt.

6. Legari poſſunt 2. res omnes, quæ in rerum naturâ exiſtunt, vel exiſtere poſſunt, tum corporales, tum incorporales, modo ſint in commercio. Ergo legari poſſunt res non ſolum præſentes, verum etiam futuræ; veluti fructus in fundo naſcituri. — Legari poſſunt non ſolum propriæ teſtatoris res, ſed & alienæ eo effectu, ut hæres aut eas redimat, aut, ſi non poſſit, æſtimationem præſtet arbitrio judicis; niſi teſtator eas eſſe alienas ignoraverit; probabile enim eſt, quod non legaſſet, ſi ſciviſſet alienam rem eſſe. — Non poſſunt legari eædem res, quæ vivo teſta-

SVME, Pater, (nam te voluit Rex magnus Olympi
Talibus auſpiciis exſortem ducere honorem)
Ipſius Anchiſæ longævi hoc munus HABEBIS:
Cratera impreſſum ſignis, quem Thracius olim
Anchiſæ genitori in magno munere Ciſſeus
Ferre ſui dederat monumentum & pignus amoris.

Ad quæ verba Servius Scholiaſtes——*Sume*, inquit, *percipe. Nam verbum eſt Jureconſultorum quo utuntur, quoties legatum non ab hærede datur, ſed eſt in accipientis arbitrio, id eſt, vindicationis, vel optionis.*

Per præceptionem] Plin. Lib. V. Ep. 7.——*Saturninus autem, qui nos reliquit hæredes, quadrantem Reipublicæ noſtræ, deinde pro Quadrante PRÆCEPTIONEM quadringentorum millium dedit.*

tore a legatario *titulo lucrativo* ſint adquiſitæ.—*Duæ enim lucrativæ cauſæ in eundem hominem, & eandem rem concurrere non poſſunt.* Si vero *titulo oneroſo* rem ſibi legatam adquiſiverit legatarius pretium is ab hærede jure repetit.— Rectè etiam legantur res *oppignoratæ*, quas tunc hæres luere tenetur; niſi teſtator ignoraverit eſſe oppignoratas, aut expreſſerit, legatarium debere luere. — Nec non res *alienatæ*; nam non perit legatum rei, quam poſtea teſtator alienavit, modo id non fecerit conſilio adimendi legatum, quod ex eo præſumitur, ſi alienatio non neceſſaria ſed voluntaria fuerit.—Si quis debitori ſuo liberationem legaverit, legatum utile eſt.—Ex contrario, ſi debitor creditori ſuo quod debet, legaverit, inutile eſt legatum, ſi nihil plus eſt in legato, quam in debito. Quod ſi in diem, vel ſub conditione debitum, ei purè legaverit; utile eſt legatum propter *repræſentationem*. —Sed & ſi uxori maritus dotem legaverit, valet legatum; quia plenius eſt legatum, quam de Dote Actio.

7. Legata & fideicommiſſa relinqui poſſunt 3. omnibus, qui jure capiunt ex Teſtamento, non incapacibus, excepto legato alimentorum. Etiam rectè relinquuntur perſonis incertis, pauperibus, civitatibus &c.

8. Ad formam modumque legati 4. nihil requiritur niſi bene declarata voluntas. Falſum vero nomen, falſave cauſa, vel falſa Demonſtratio, vel neglectus ſcripturæ ordo legatum non vitiant. Falſa autem Demonſtratio eſt, ſi Teſtator cum Stichus ſibi donatus eſſet, aut cum Fundum Tuſculanum emiſſet, ita ſcripſit.-----

Propter repræſentationem] Repræſentare eſt ante diem aliquid præſtare, aut ſolvere.—Cic. Epiſt. ad Famil. Lib. 16. Ep. 14.———*Dies promiſſorum adeſt, quam etiam repræſentabo ſi advenerit.* Omnem etiam accelerationem ſignificat, ut in illis Ciceronis.—Epiſt. ad Attic. Lib. 16. Ep. 2.———*Mihi quidem videntur iſtorum animi incendi ad repræſentandam improbitatem ſuam.*— 2 Philipp. cap. 46. *Quinetiam corpus libenter obtulerim, ſi repræſentari morte mea libertas civitatis poteſt.* — Epiſt. Lib. 4. Ep. 16.———*Etenim ſi nulla unquam fuit liberis amiſſis tam imbecillo mulier animo, quæ non aliquando lugendi modum fecerit; certè nos, quod eſt dies allatura, id conſilio anteferre debemus, neque expectare temporis medicinam, quam repræſentare ratione poſſimus.*

Stichum,

Stichum, quem a Titio emi; aut fundum Tuſculanum, qui mihi donatus eſt, Do, Lego.

9. Legatum dicitur eſſe Legatum *Generis*, & Legatum *optionis*.

10. Legatum *generis* eſt, quando nulla certâ ſpecie ſeu individuo expreſſo, generaliter Servus, vel alia res legatur: & tunc electio eſt Legatarii, niſi aliud Teſtator dixerit; ſed eo caſu Legatarius eliget nec optimum, ne nimium noceat Hæredi; nec etiam peſſimum cogitur eligere.

11. Legatum *optionis* eſt ubi Teſtator jubet legatarium ex ſervis ſuis, vel aliis rebus optare hac formulâ.----- *Seius ſervum meum, quem volet, optato, eligito.* Et tunc Legatarii eſt electio, ut etiam optimum ſervum optare & eligere liceat. Jure novo Legatum hoc eſt purum, & tranſmittitur ad hæredes, quibus jus eſt optandi, licet Legatarius hoc non fecerit.

12. Uti inter hæredes, ita & inter legatarios conjunctos valet *jus accreſcendi.* Quum enim legatum ſit delibatio hæreditatis, præſumitur ſanè, teſtatorem noluiſſe, ut res legata pluribus penes hæredem maneat, ſed uno legatario deficiente, illam totam collegatario relinqui maluiſſe.

13. Ut ergo locum habeat jus Accreſcendi, requiritur 1. Ut Collegatarius deficiat. 2. Ut Legatarii ſint conjuncti, ſeu ad eandem rem vocati. Alias enim deficientis perſonæ Legatum extinguitur.

14. Deficere intelligitur collegatarius, ſi vel tempore conditi teſtamenti non exſiſtat in rerum natura, vel ſpreverit legatum, vel vivo teſtatore deceſſerit, vel alio modo factus ſit incapax. Nam ſi vel momento teſtatorem ſupervixit, legatum tranſmittit ad hæredes, adeoque nihil accreſcit collegatariis.

15. Poteſt porro legari vel purè, vel in Diem, ſeu ex Die, vel ſub conditione, vel ſub Demonſtratione, vel ſub causâ, vel ſub modo.

16. *Purè* legatur, quum a nullo eventu legatum ſuſpenditur, & tunc ſtatim a morte teſtatoris & *cedit* Dies, & *venit*. *Cedere* dicitur Dies, ex quo deberi incipit: *venire*, ex quo peti poteſt.

 17. Legatum

17. Legatum relinquitur tum *in diem*, v. c. *Mævio lego ædes per decennium*; tum *ex die*, ſive certo, ſive incerto, v. c. *Sempronio lego hortum poſt decennium a morte meâ*; *vel a tempore, quo liberos ſuſceperit.* Priore caſu dies itidem & cedit ſtatim a morte teſtatoris & venit: poſteriore, ſi dies certus, dies quidem cedit, ſed non venit, niſi exſiſtat; ſin incertus, nec cedit, nec venit, antequam exſiſtat, quia dies incertus pro conditione eſt.

18. In *conditionali legato* nec cedit, nec venit dies, niſi exſtiterit conditio.

19. Sub *demonſtratione* legatur quoties vel perſonæ vel rei legatæ additur deſcriptio, qua ea tantò certius deſignetur. v. c. *Stichum quem a Mævio emi, Do, Lego.* Et hinc conditio magis rem futuram; Demonſtratio præteritam deſignat. Obſervatum erat, quod falſa demonſtratio non magis legatum perimat, quam error admiſſus in nomine.

20. Sub *cauſa* legatur, quoties teſtator cauſam impulſivam adſcribit. v. c. *Titio quia negotia mea geſſit, Do, Lego.*

21. Sub *modo* denique legatur, quoties finis legati exprimitur. v. c. *Titio do, lego, ut ædes ſuas reficiat.* In hoc legato Dies & cedit ſtatim & venit, dum caveat legatarius ſe modum impleturum.

22. Ita jure legatur. Non autem leges ſuſtinent Legata *captatoria*; ſuſtinent tamen legata *pœnæ nomine* relicta, niſi turpe quid hæredi injungatur.

Pœnæ nomine] Scilicet ſæpe hæredem legatis non niſi vexandi cauſa onerabant teſtatores; iiſque illum ad quidquam faciendum, omittendumque adigebant, nulla aliâ ratione, quam ſtolidâ voluntate adducti. Tale erat Teſtamentum Staberi, de quo Horat. Sat. II. 3. v. 84.

Hæredes Staberi ſummam incidêre ſepulchro;
Ni ſic feciſſent, gladiatorum dare centum
Damnavit populo paria, atque epulum arbitrio Arrî, &
Frumenti, quantum metit Africa.——

Quum ergo diſputarent veteres, an legata ejuſmodi valerent, quibus hæres ad aliquid ſine ratione contra animi ſententiam faciendum, omittendumque cogeretur, Juſtinianus has tricas ſuſtulit, juſſitque hæc legata rata eſſe, exceptis iis, quæ vel impoſſibilia eſſent, vel legibus interdicta, vel alias apertè probroſa.

23. Quum

23. Quum denique legatorum pure relictorum dies ſtatim cedat, conſequens eſt, ut ea cum fructibus, acceſſionibus, & uſuris a tempore moræ peti poſſint 1. *Rei vindicatione*, ſi ſpecies teſtatoris propria legata ſit; ſiquidem hæc actio datur ex dominio, quod ſtatim a morte teſtatoris ad legatarium tranſit. 2. *Actione in perſonam* ex teſtamento, quia hæres, adeundo hæreditatem cum legatariis quaſi contraxiſſe cenſetur. 3. *Actione Hypothecaria*, quia bona hæreditaria legatariis, & fideicommiſſariis tacito obligantur pignore.

JUS ANGLICANUM. ad Tit. XX.

Jus Commune cauſas teſtamentarias licet maxima ex parte foro Eccleſiaſtico ſecundum regulas juris civilis & Canonici judicandas reliquerit, peculiaria tamen quædam de terris, catallis realibus & rebus ſoli ſtatuit, quæ ad ſuum quaſi Tribunal dirimenda advocavit.

Legare omnes poſſunt, quibus fas eſt teſtamentum facere, & Legatorum capaces ſunt, quos jus ſpecialiter non excipit.

Corpus politicum, niſi per chartam Regiam perquirendi licentiam conceſſam habeat, feudum legatum ad uſum ſuum acquirere non poteſt.

Veteri jure noſtro feuda legari teſtamento prorſus non potuerunt, ſed ad proximos hæredes neceſſario deſcendebant, niſi contra jus commune particularis conſuetudo civitatis aut municipii alicujus hoc ferret, aut ſaltem hæres tali legato conſenſum ſuum præberet. Quiſquis itaque terras teſtamento ſuo ad alium derivari voluit, primò aliquem in eis feoffavit ad uſum tamen ſuum & hæredum ſuorum; atque ita uſum dictarum terrarum, licet non ipſas terras alicui tertio legare potuit. Sed huic incommodo, vel jejuno potius frigidoque commento poſteritas medicinam adhibuit, effecitque ut non uſus tantum ſed & ipſæ terræ cum quadam tamen moderatione teſtamento transferri poſſint.

Catalla cujuſcunque generis, ſive perſonalia, ſive realia legari poſſunt:

Jus noſtrum, ſicut & Jus Civile, & ipſa ratio ſtatuit, voluntatem (modo juri non contrariam) teſtatoris præcipuè ſpectat.—Si conditionem legato adjecerit, quæ nec naturâ, nec jure impoſſibilis eſt, illa legatum ſuſpendit, donec impleatur. Nonnunquam vero ob voluntatem teſtatoris conjecturalem, ultra naturalem intellectum verba extenduntur, & etiam ex cauſis reſtringuntur. Si grana quæ habet in tali horreo Titius cuiquam det, leget, & poſt factum teſtamentum plura in idem congerat; verborum generalitas ad illa grana reſtringenda eſt, quæ tempore conditi teſtamenti ibidem recondebantur; quia jus præſumit de eis tantum ſenſiſſe teſtatorem.

TIT.

TIT. XXI.

De Ademptione & Tranſlatione Legatorum.

1. Legata ſæpe extinguuntur, adimuntur, transferuntur.

2. Extinguitur legatum. 1. Cum legatarius ante teſtatorem moritur. 2. Si ante exiſtentem conditionem deceſſerit. 3. Si res ex alia causâ lucrativa ad legatarium pervenit. 4. Si res legata pereat, vel eximatur commercio ſine culpa hæredis. 5. Si teſtamentum nullum, ruptum, irritumve ſit, non ſi reſciſſum. 6. Si conditio defecerit.

3. Adimitur Legatum vel *ipſo jure*, vel *ope Exceptionis*.

4. *Ipſo jure*, cum teſtator voluntatem ſuam mutat. Ambulatoria enim eſt hominis voluntas, (id eſt, non in uno ſtatu permanet, ſed in varias progreditur ſententias) ad extremum vitæ halitum.

5. Mutatam autem voluntatem declarat Teſtator vel *verbis* quibuſcunque coram quinque teſtibus tamen factis: vel *factis*, ut ſi conſultò deleverit legatum: vel nulla neceſſitate legatum diſtraxerit: vel nomen legatum ipſe exegerit.

6. *Ope exceptionis* adimitur Legatum, ſi quid contigerit, ob quod ademptio præſumi debeat: ut ſi inimicitiæ capitales intervenerint.

7. Quæ vero libertas eſt teſtatoris in *adimendo*, eadem etiam eſt in *transferendo*, *tranſmutandoque*.

8. Aliquando etiam legata *pro non ſcriptis* habentur; aliquando legatariis, *ut indignis* a fiſco eripiuntur.

JUS ANGLICANUM. ad Tit. XXI.

Ubi Jus civile ob defectum hæredis teſtamentum prorſus inutile facit, noſtrum, executore vel non nominato, vel onus recuſante, non ſtatim legata perire patitur; ſed adminiſtrationem bonorum Ordinarii judicio committendam definit, qui adminiſtrationem ſolutioni legatorum, ſaltem quoad ferunt facultates, aſtringunt.

TIT. XXII.

De Lege Falcidia.

1. Ad Legata etiam pertinet *Lex Falcidia* lata a P. Falcidio, Tribuno Plebis anno ab v. c. IↃCCXIII. Cn. Domitio Calvino, & C. Asinio Pollione Coss. qua cautum est, ut nemini liceret ultra dodrantem legare, & si ultra quid legatum, hæredi tantum retinere liceret, ut quartam partem hæreditatis habeat salvam.

2. Quum enim lege XII. Tabb. patrisamilias jus esset legandi pro lubitu, & sæpe testatores ita legatis onerarent hæredes, ut iis vix quidquam lucri supereſſet, variis quidem legibus hæredi prospectum est; quarum nulla tamen præter Falcidiam sufficere visa est coercendæ testatorum licentiæ.

3. Ex hac itaque lege 1. oportet hæredem quartam bonorum salvam habere, & 2. si eam salvam non habeat, tantum cuique legatorum pro rata detrahit, quantum tum quartæ deest. Si plures vero sint cohæredes in singulis hæredibus Falcidiæ ratio ponenda est.

4. Quumque quarta bonorum salva hæredi esse debeat, sequitur ut in quantitate patrimonii exquirendâ mortis tempus spectetur, adeoque nec subsequens incrementum hæreditatis legatariis prosit, nec decrementum iisdem obsit; ut non ponatur quartæ ratio, nisi deducto ære alieno, (sine cujus deductione bona non intelliguntur) deductisque funeris impensis, pretiis servorum manumissorum, & impensis in hæreditatem suscipiendam factis; ut non imputetur in hanc quartam nisi quod titulo institutionis, non legati vel fideicommissi ad hæredem pervenit.

5. Cessat hæc Lex. 1. In dote mulieri relegata, quam ipsa Lex excepit. 2. In testamento militis, quippe plerisque legibus de testamenti factione soluto. 3. In rebus alienari prohibitis.

Ut quartam partem hæreditatis habeat salvam.] Plin. Lib. 5. Ep. 1. *Si mater (inquam) te ex parte quartâ scripsisset hæredem, num queri posses? Quid, si hæredem quidem instituisset ex asse, sed legatis ita exhausisset, ut non amplius apud te, quam quarta remaneret?*

4. In

4. In rebus ab hærede dolosè ſubtractis. 5. In legatis ad pias cauſas. 6. In Libertate legata. 7. Si teſtator expreſſe prohibuerit quartam detrahi. 8. Si hæres, mortuo teſtatore ſpoſponderit ſe integra legata præſtiturum; vel ea ſciens vel ex ignorantia integra præſtiterit. 9. Si hæres id egerit, ut fideicommiſſum intercideret. 10. Si vivus teſtator jam hæredi quartam, vel quod eidem æquiparari poſſit, dederit. 11. Si Hæres inventarium non confecerit.

Si teſtator expreſſe prohibuerit] Legis Falcidiæ vires maximè eliſit Juſtinianus, permiſſa facultate teſtatoribus utiliter prohibendi Falcidiæ detractionem, quum antea hujuſcemodi voluntati, quantumvis expreſſæ, hæredes minimè parere cogerentur.

JUS ANGLICANUM. ad Tit. XXII.

Primum Executoris officium poſt executionis munus in ſe ſuſceptum eſt ut æs alienum teſtatoris diſſolvat; & legata ſolvi non debent, niſi ære alieno diſſoluto.

Quod ad privilegia Creditorum attinet, ante omnia executor moderatas funeris expenſas deducere poſſe videtur, & deinceps Creditoribus ex juris præſcripto ſatisfacere. Eorum autem primum locum ſua prærogativâ Rex occupat. Secundum illi, quibus juxta ſtatutum de mercatoribus, aut in recognitione teſtator obligatus fuit. Tertium ii, qui teſtatorem ſuper debito judicialiter condemnatum habent. Quartum chirographarii, qui obligationes pœnales habent, & horum illi quorum dies preterlapſus eſt, & inter ipſos, ſi plures ſint, ii qui primo agunt. Sin ſimul agere incipiant, aut dies ſolutionis adhuc non ſit præteritus, gratificandi copiam Executor habet. Obligationes pœnales ſequuntur illæ, quas ſimplices Billas dicimus. Ultimum locum tenent, qui ſine ſcripto contraxerunt.

Si is Executor conſtituatur cui Teſtator pecunias debebat, poteſt ad ſuæ ſatisfactionem primo ſummam debitam e Defuncti facultatibus deducere; deinde quod ſupereſt reliquis creditoribus ſolvere tenetur.

Poſt debita ſoluta ſi reliquæ facultates legatis ſufficiant, quilibet Legatarius integrum ſuum legatum jure poſcit, aliter non niſi pro portione facultatum ad univerſorum legatorum quantitatem. Ita tamen ut Executor ſumptus bonâ fide expenſos, & nomina deſperata deducere prius poſſit; ſed Falcidiæ nomine nihil vel retinere vel Judicis officio petere. Bona tamen aliàs non legata ille lucratur.

Executores etiam Executorum debitis primi teſtatoris tenentur, niſi bona ejus per teſtatorem ſuum plenè adminiſtrata probaverint.

TIT.

TIT. XXIII.

De Fideicommiſſariis Hæreditatibus.

1. Hactenus de Hæreditatibus & Legatis in quibus deſiderantur verba directa & imperativa; ſequuntur Fideicommiſſa, quæ verbis obliquis ſeu precativis relinquuntur.

2. Ea vel *univerſalia* ſunt vel *ſingularia*. De illis hoc, de his ſequente titulo agitur. *Univerſalia* ergo ſunt, quando hæreditas ejuſve pars ab inſtituto relinquitur verbis precativis, titulo-que univerſali.

3. Origo Fideicommiſſorum hæc fuit; Cum quibuſdam directè non poſſent hæreditatem vel legata relinquere, ea fidei committebant eorum, qui capere ex teſtamento poterant. v. g. Jure civili neque peregrini, neque cœlibes, & orbi, neque uxores teſtamento hæredes inſtitui poterant: ſi tamen teſtator volebat ad peregrinum, ad cœlibem, ad orbum, vel ad uxorem hæreditatem pervenire, fidei hæredis inſtituti committebat, ut hæreditatem peregrino, orbo, cœlibi, vel uxori reſtitueret.

4. Hinc conſtat & ratio nominis, nempe Fideicommiſſa inde dicta eſſe, quia nullo vinculo juris, ſed tantum pudore eorum, qui rogabantur, contineantur; a fide nimirum hæredis, a cujus officio, atque arbitrio olim vis omnis fideicommiſſi pendebat, non ab auctoritate juris. Unde ſequitur, fideicommiſſa omnia primis temporibus infirma fuiſſe, quia nemo invitus cogebatur præſtare

Unde ſequitur fideicommiſſa omnia primis temporibus infirma fuiſſe,] Licet ad fideicommiſſum præſtandum nulla neceſſitate obſtringebatur hæres, veteres tamen exiſtimabant contra officium boni Viri hæredem facere, fidemque violare, qui voluntati teſtatoris non pareret; ut perſpicuum eſt ex eo quod de Sexto Peducæo refert Cic. Lib. 2. de Finib. cap. 18. —— *Si me amicus tuus moriens rogaverit, ut hæreditatem reddas ſuæ filiæ, nec uſquam id ſcripſerit, ut ſcripſit Fadius, nec cuiquam dixerit: Quid facies? Tu quidem reddes: ipſe Epicurus fortaſſe redderet: Ut Sextus Peducæus, Sexti F. is, qui hunc noſtrum reliquit, effigiem & humanitatis & probitatis ſuæ filium, tum doctus, tum omnium vir optimus & juſtiſſimus, cum ſciret nemo eum rogatum a C. Plotio, equite Romano ſplendido, Nurſino, ultro ad mulierem venit, eique nihil opinanti viri mandatum expoſuit, hæreditatemque reddidit.*

id, de quo rogatus erat. Verum posteà Augustus fideicommissis necessitatem juris addidit, Consulibusque id dedit negotii, ut fiduciarios hæredes fideicommissa præstare cogerent. Quo consilio postea & duos *Prætores fideicommissarios* constituit Claudius, quamvis Titus unum iterum detraxerit.

5. Quia vero Hæres fiduciarius stricto jure, restitutâ etiam hæreditate, hæres permanet, adeoque omne æs alienum solvere tenetur, & tamen sæpe totam hæreditatem cogebatur restituere: eveniebat, quod in Legatis accidisse diximus, ut recusarent hæredes pro nullo aut minimo lucro hæreditates aliis restituendas adire, & creditoribus obligari.

6. Hinc primo sub Nerone conditum S. C. *Trebellianum*, eoque cautum, *ut si hæreditas ex causa fideicommissi restituta sit, omnes Actiones, quæ jure civili hæredi vel in hæredem competerent, ei & in eum, cui ex fideicommisso restituta sit hæreditas, darentur.*

7. Quia vero ne sic quidem ullum lucrum ad hæredem redibat, & hinc nihilominus fideicommissa pleraque exstinguebantur, sub Vespasiano, Pegaso & Pusione Coss. suffectis *Pegasiano* SCto cautum, *ut rogatus hæreditatem restituere, perinde quartam retinere posset, ac ex legatis per legem Falcidiam, & si quis hoc lucrum aspernatus adire nollet, is ad adeundum, restituendumque cogeretur.*

8. Utrumque S. C. Justinianus ita in unum conflavit, ut retento nomine S. C. Trebelliani, utriusque materia conjungeretur.

Et ex eo quod Cicero eodem loco refert de Sextilio rogato omnem hæreditatem restituere filiæ testatoris.——*Tenuit*, inquit, *Sextilius permagnam hæreditatem, unde, si secutus esset eorum sententiam qui honesta & recta emolumentis omnibus, & commodis anteponerent, ne nummum quidem unum attigisset.*——Notatur & a Val. Maximo avaritia Corneliæ, quod fideicommissa prædia filio Q. Pompeio publicâ quæstione prostrato non redderet.——Lib. 4. cap. 2.

Illustre etiam Fideicommissariæ hæreditatis Exemplum habemus apud Plin. Lib. x. Epist. 79.——*Julius, Domine, Largus ex Ponto nondum mihi visus, ac ne auditus quidem, sed judicio Tuo credens, dispensationem quandam mihi erga Te, Pietatis suæ, ministeriumque mandavit. Rogavit enim testamento, ut hæreditatem suam adirem, cerneremque, ac deinde perceptis quinquaginta millibus nummûm, reliquum omne Heracleotarum, & Theanorum civitatibus redderem.*

9. Quum

9. Quum denique ea quarta Trebellianica ad exemplum Falcidiæ inventa ſit, iiſdem fere caſibus ceſſat, quibus Falcidia, veluti 1. in teſtamento militis: 2. Si teſtator quartam hanc detrahi expreſsè prohibuerit. 3. Si hæres ex ignorantia juris hæreditatem univerſam reſtituerit. 4. Si inventarium facere neglexerit. 5. Si quartam jam ſalvam habeat judicio teſtatoris. Quibus adde cauſam fideicommiſſis propriam, puta 6. ſi coactus adierit hæreditatem.

TIT. XXIV.

De Singulis Rebus per Fideicommiſſum Relictis.

1. Hæc de fideicommiſſis *univerſalibus:* ſequuntur *ſingularia* quibus quævis res ſingulæ, (ut hic, vel ille fundus; hæc vel illa pecuniæ numeratæ ſumma,) titulo ſingulari verbis precativis relinquuntur.

2. Licet ergo verborum formulis etiamnum differunt Legata, & Fideicommiſſa, reipſa & effectu per omnia exæquata ſunt.

TIT. XXV.

De Codicillis.

1. Uti Hæreditates non niſi teſtamento; ita fideicommiſſa utriuſque generis, & legata etiam *Codicillis* relinquuntur; de quibus hoc titulo agendum.

2. Codicilli veteribus nihil aliud erant, quam Epiſtolæ,

JUS ANGLICANUM. ad Tit. XXIII.

Aliquid Hæreditatibus fideicommiſſariis ſimile repræſentant eæ fiduciæ, quas in dando terras noſtras extraneis, ad uſum tamen noſtrum, & hæredum noſtrorum, vel etiam hominibus privatis ad commodum corporis politici, collocare ſolemus. Sed iſtorum uſuum inventionem, ut Principi, Dominiſque feudorum injurioſam, conſtitutiones regni ſuſtulerunt, aut ſaltem magna ex parte mutaverunt.

Nihil aliud erant quam Epiſtolæ,] Cic. Lib. 4. ad Famil. Ep. 12.——*Cum non longè a Piræeo abeſſem, puer Acidini mihi obviam venit cum* CODICILLIS; *in quibus erat ſcriptum, paulò ante lucem Marcellum diem ſuum obiiſſe.*—Et Lib. 6. Ep. 19.

maximè a præſentibus ad præſentes ſcriptæ.

3. Tales codicillos ſæpe & moribundi ad hæredes ſuos ſcribebant, quibus, quid fieri ab illis vellent, ſignificabant. Unde plerumque formam Epiſtolæ præ ſe ferebant; ut, *L. Titius Hæredibus primis, & ſubſtitutis ſalutem.*

4. Primus ejuſmodi codicillos ad Auguſtum ſcripſerat L. Lentulus, qui Romæ fecerat teſtamentum, & Auguſtum, filiamque hæredes inſtituerat; deinde vero decedens in Africa ſcripſerat codicillos, quibus aliquid ab hæredibus fieri petierat. Quamvis vero ante ea tempora inauditum eſſet per Epiſtolam, vel Codicillos hæredi aliquid injungi, quod ei neceſſitatem imponeret ultimam illam defuncti voluntatem implendi; parebat tamen Auguſtus Lentuli codicillis, ipſaque filia ex iis legata præſtabat. Exemplum Principis facile imitati ſunt alii. Quare Auguſtus, convocatis ſapientibus viris, interque eos C. Trebatio Teſta, cujus tum Auctoritas maxima erat, quæſivit an poſſet recipi, nec abhorreret a juris ratione Codicillorum uſus? Annuente Trebatio, & illud Codicillorum inſtitutum magnopere probante, Auguſtus auctoritatem illi accommodavit. Poſt quæ tempora, quum & Antiſtius Labeo codicillos feciſſet, jam nemini dubium erat, quin jure optimo codicilli admitterentur.

5. Codicilli ergo ſunt *minus ſolennis teſtatorum, inteſtatorumve voluntas.*

6. Codicilli vel ſunt *ſcripti*, vel *nuncupativi*; itemque vel *Teſtato*, vel *ab Inteſtato* facti, quorum hi viribus ſuis ſubſiſtunt; illi cum teſtamento ſubſiſtunt, vel cadunt.

Ep. 19.——*Simul accepi a Seleuco tuo literas, ſtatim quæſivi e Balbo per CODICILLOS, quid eſſet in lege.*

Maxime a præſentibus ad præſentes ſcriptæ.] Seneca Epiſt. 55.——*Adeo tecum ſum, Mi Lucili, ut dubitem an incipiam non EPISTOLAS, ſed CODICILLOS tibi ſcribere.*

Illi cum Teſtamento ſubſiſtunt vel cadunt] Plin. Lib. 2. Epiſt. 16.

C. PLINIVS ANNIANO SVO S.

Tu quidem pro cæterâ tuâ diligentiâ admones me CODICILLOS Aciliani, qui me ex parte inſtituit hæredem pro non ſcriptis habendos, quia non ſint confirmati teſtamento.

7. Dicimus eſſe voluntatem minus ſolennem. Unde pleraque quæ ad ſolennitates internas & externas teſtamentorum pertinent, hic exulant. Hinc codicillos quidem facit, qui & teſtamentum facere poteſt; ſed non poteſt quis in codicillis hæredem directè inſtituere, exhæredem ſcribere, ſubſtituere; verum fideicommittere, legare, mortis cauſa donare &c.

8. Inde etiam codicillos quis facere poteſt plures, modo ſibi invicem non adverſentur; quum tamen nemo paganorum cum duobus teſtamentis decedere poſſit.

9. Hinc nulla exigitur ſolennitas ordinationis. Sufficit enim unitas actus, & quinque teſtium, etiam quibuſcum non eſt teſtamenti factio, veluti mulierum, imo & non rogatorum præſentia.

10. Solent etiam codicilli jungi teſtamento ſolenni, quando illi inſeritur *clauſula codicillaris.*—*Si teſtamentum non valebit, tanquam teſtamentum, volo ut valeat jure codicillorum.* Et tunc hujuſmodi teſtamentum ratione ſolennitatum externarum invalidum, in vim fideicommiſſi ſuſtinetur, dum quinque teſtes ſubſcripſerint. Non vero hæc clauſula ſupplet defectum ſolennitatum internarum, e. g. præteritionem liberorum; nec defectum in ſtatu vel voluntate teſtatoris, nec defectum non aditæ hæreditatis.

teſtamento. Quod jus ne mihi quidem ignotum eſt, cum ſit iis etiam notum, qui nihil aliud ſciunt: ſed ego propriam quandam legem mihi dixi, ut defunctorum voluntates, etiamſi jure deficerentur, quaſi perfectas tuerer. Conſtat autem Codicillos iſtos Aciliani manu ſcriptos. Licet ergo non ſint confirmati Teſtamento, a me tamen ut confirmati obſervabuntur; præſertim cum delatori locus non ſit. Nam ſi verendum eſſet, ne, quod ego dediſſem, populus eriperet, cunctatior fortaſſe, & cautior eſſe deberem. Cum vero liceat hæredi donare, quod in hæreditate ſubſedit; nihil eſt, quod obſtet illi meæ legi, cui publicæ leges non repugnant. Vale.

JUS ANGLICANUM. ad Tit. XXV.

Codicillus eſt voluntatis noſtræ juſta ſententia de eo, quod quis poſt mortem ſuam fieri velit abſque Executoris conſtitutione. In codicillis vero ea plerumque ſequimur, quæ a jure civili & Canonico mutuati ſumus.

FINIS LIBRI SECUNDI.

ELEMENTA JURIS CIVILIS

SECUNDUM

METHODUM ET SERIEM

Institutionum *JUSTINIANI.*

LIB. III.

TIT. I.

De Hæreditatibus quæ ab Inteſtato Deferuntur.

1. SUcceſſionem *Teſtamentariam* ſequitur *Legitima*, quæ immediatè a lege defertur, cum quis inteſtatus moritur.

2. Ejus alia ratio fuit jure *veteri*, quod in Inſtitutionibus exponit *Juſtinianus*; alia eſt jure *novo* per Nov. CXVIII. Nos præmiſsâ paucis veteris juris hiſtoriâ de nova ſuccedendi ratione plenius agemus.

3. Fundamentum Succeſſionis veteris erat conſervatio Familiarum. Itaque non alios ad Inteſtatorum hæreditatem vocabant, quam qui ejuſdem eſſent *gentis* & *familiæ*.

Quam qui ejuſdem eſſent *gentis* & *familiæ*.] Hinc eſt, quod hujuſmodi hæreditates REDIRE dicerentur. Terent. Andr. Act. IV. Sc. 5. v. 4.

Ejus morte ad me lege REDIERVNT bona.——

Ad

4. Idcirco primo hæredes erant *Liberi ſui*, cum naturales tum adoptivi, & proximi quidem gradu in *capita*, remotiores in *ſtirpes*;

Ad quæ verba adpoſitè *Donatus*.—— Hic jus tractavit dicendo, REDIERVNT, quia in familiam redeunt, ſi non eſt hæres de proximo, aut ex teſtamento.

Romanorum multæ erant *gentes*, Patriciæ partim, partim plebeiæ. Singulæ gentes nominibus ſuis diſtinguebantur, & hinc gens alia dicta eſt *Cornelia*, alia *Sempronia*, alia *Tullia*, alia *Cincia*, & ſic porro. Quemadmodum vero fieri ſolet, ut gens una in varias ſtirpes, ac familias abeat: ita & Romæ unius gentis plures fuere familiæ, quæ & ipſæ cognominibus ſuis diſcernebantur. Sic è *Cornelia* gente natæ ſunt familiæ *Scipionum*, *Lentulorum*, *Sullarum*, *Cinnarum*, *Coſſorum*, *Dolabellarum*. Denique quum & familiæ denuo in novas ſtirpes abierint, factum eſt, ut & hæ *agnominibus* ſecernerentur. Sic gens *Virginia* in plures familias abiit, hinc cognomina *Tricoſtorum*, *Rufforum* &c. *Tricoſtis* iterum in diverſas ſtirpes diviſis, nata inde ſunt agnomina *Rutilorum*, & *Cælimontanorum*. Et inde eſt, quòd Romani tot uſi ſint nominibus; quorum primum, quod perſonæ proprium erat PRÆNOMEN; ſecundum, quod univerſæ genti commune, NOMEN; tertium, quod familiam ex ea gente notabat, COGNOMEN; & quartum denique, quod ſtirpem plerumque ejus familiæ, vel aliquam rem geſtam, vel ſtatum, habitumve corporis, aut animi indicabat, AGNOMEN dicebatur. Sic in nomine. A. VIRGINIVS TRICOSTVS CÆLIMONTANVS, *Aulus* erat *Prænomen* huic viro proprium: *Virginius nomen* gentilitium. Tricoſtus *cognomen*, familiam illam gentis *Virginiæ*, ex qua *Aulus* iſte prodierat, deſignans: denique Cælimontanus *Agnomen*, quod certam illius familiæ ſtirpem denotabat. Quicunque ex eadem ſtirpe familiaque prodierant, vocabantur AGNATI. Sic P. Cornelio Scipioni omnes Scipiones erant AGNATI; Quicunque vero ex eâdem *Cornelia* gente deſcenderant, veluti *Lentuli*, *Coſſi*, *Cinnæ*, *Sullæ*, *Dolabellæ*, ei erant GENTILES. Hinc Cic. in Topic. VI. *Gentiles ſunt, qui inter ſe ejuſdem nominis ſunt, qui ab ingenuis oriundi ſunt, quorum majorum nemo ſervitutem ſervivit, qui capite non ſunt deminuti*——Quod vero Cicero addit, *qui ab ingenuis oriundi ſunt, quorum majorum nemo ſervitutem ſervivit*, inde factum eſt, quod & liberti Patronorum nomina adſumebant, qui tamen ideo non erant *gentiles*. Sic *P. Terentius Afer* non fuit *Terentiorum* gentilis, quia & ipſe non erat ingenuus; quemadmodum & *Tiro* non ideo erat *M. Tullii* agnatus, quia & ipſe *Ciceronis* cognomen adſumpſerat. Denique Cicero addit. Gentiles non debere eſſe *capite deminutos*; Capitis enim Deminutio etiam minima familiæ jura perimebat.——Cic. de Orat. Lib. I. 176.——*Quid, quâ de re inter Marcellos & Claudios Patricios Centumviri judicarunt? Cum Marcelli ab liberti filio STIRPE; Claudii Patricii ejuſdem nominis hæreditatem GENTE ad ſe rediiſſe dicerent; nonne in ea cauſa fuit oratoribus de toto ſtirpis, ac gentilitatis jure dicendum?*

Proximi quidem gradu in *capita*, remotiores in *ſtirpes*;] Semel notanda ſunt hæc juris vocabula. *In capita* ſucceditur, ubi ſecundum numerum hæredum hæreditas viritim diſtribuitur. *In ſtirpes*, ubi gradu remotiores ſubeunt

non ergo emancipati, emancipatæve, quos tamen Prætor naturali æquitate motus ad *bonorum poſſeſſionem* vocabat edicto VNDE LIBERI.

5. Interdum autem licet in poteſtate Parentis mortis tempore *ſuus hæres* non fuerit; tamen *ſuus hæres* Parenti efficitur; veluti ſi ab hoſtibus quis reverſus fuerit poſt mortem patris ſui. Jus enim Poſtliminii hoc facit.

6. Per contrarium evenit, ut licet quis in familia defuncti ſit mortis tempore, tamen *ſuus hæres* non fiat: veluti ſi poſt mortem ſuam Pater judicatus fuerit perduellionis reus, ac per hoc memoria ejus damnata fuerit. *Suum* enim *hæredem* habere non poteſt, cum fiſcus ei ſuccedat.

ſubeunt locum propioris defuncti, adeoque omnes ſimul ejus portionem accipiunt. *Jus repræſentationis* eſt fictio juris, qua remotiores in parentis defuncti locum ſubintrare intelliguntur. Sic ſi *Titius* reliquit tres filios, *Primum*, *Secundum*, *Tertium* & ex *Quarto* defuncto ſex nepotes, hi omnes ſuccedunt, & *Primus* quidem, *Secundus*, *Tertius*, tanquam liberi primi gradus *in capita*; id eſt accipiunt ſinguli quadrantem bonorum; ſex nepotes ex *Quarto* ſuperſtites hunc patrem ſuum *repræſentant*; adeoque quum omnes ſimul quartum quadrantem accipiunt, *in ſtirpem* ſuccedunt. Ita ſi & ſoli nepotes exſtarent, ex *Primo* unus, ex *Secundo* ſex, ex *Tertio* quatuor, ex *Quarto* duo; omnes ſuccederent, non ſecundum *numerum capitum*, ſed *in ſtirpes*. Primum enim quadrantem nepos unus ex *Primo* ſolus caperet, alterum ſex nepotes ex *Secundo*, tertium quatuor nepotes ex *Tertio*, quartum duo ex *Quarto* inter ſe dividerent.

Ac per hoc memoria ejus damnata fuerit.] Sic damnatam legimus *Senecæ* memoriam apud Tacit. Lib. 14. & 15. quod quaſi *læſæ majeſtatis* reus fuiſſet a *Nerone* condemnatus.——Sic *M. Manlii*, quod regnum affectaſſet, memoriam damnatam refert Cic. Philipp. I. cap. 13.——Non uno modo damnari conſuevit memoria.——Interdum enim nomina *illaudata* eſſe jubebantur, quæ nec recenſere fas eſſet; ut cum decretum eſt communi conſilio ne quis nomen ejus, qui *Epheſiæ Dianæ* templum incenderat, ullo tempore nominaret.——Interdum in ædibus damnatorum aliqua æternæ ignominiæ nota relinquebatur. Quin & ædes ipſæ nonnunquam diruebantur eâ lege, ne quis in poſterum eas reſtitueret.——Eadem quoque de causâ nomina Conſulum publicitùs e Faſtis Conſularibus eradebantur, & hæc eſt fortaſſe ratio, cur nomen *Senecæ* non extet in Faſtis Conſulum. Sic Tacit. Annal. Lib. III. 17. ——*Primus ſententiam rogatus Aurelius Cotta Conſul, nomen Piſonis radendum Faſtis cenſuit.*——Et apud Cic. Philipp. XIV. *Antonii totus Conſulatus* dicitur *ex omni monumentorum memoriâ fuiſſe revulſus.*——Statuas etiam, Titulos, Imagines,

gines, eâdem de causâ detrahere moris fuit. Quin & majoris ignominiæ causâ plerumque avulsæ Statuæ vel affigebantur solo, vel trahebantur in Gemonias, vel lotio, vel alia quavis re conspurcabantur, vel in latrinas dejiciebantur, vel comburebantur, vel truncato capite, aliud corpori superimponebatur.——Sic Livius de Athenienſibus.——*Rogationem extemplo tulerunt, ut Philippi Statuæ, imagines omnes, nominaque earum tollerentur, delerenturque.*—Et Cic. in Verr. IV.——*Centuripinorum Senatus decrevit, ut quæ Statuæ C. Verris ipsius, & filii essent, eas Quæstores demoliendas locarent; dumque ea demolitio fieret, Senatores non minus* XXX. *adessent.*——Et Suet. in Domit.——*Senatus scalas inferri, clypeosque & imagines ejus coram detrahi, & affigi solo jussit.*

Plinius in Panegyr. hoc totum graphicè depingit.——*Ergo istæ quidem æreæ & paucæ manent, manebuntque, quamdiu templum ipsum: illæ autem aureæ & innumerabiles strage & ruina publico gaudio litaverunt. Juvabat illidere solo superbissimos vultus, instare ferro, sævire securibus, ut si singulos ictus sanguis, dolorque sequeretur. Nemo tam temperans gaudii, seruſque lætitiæ, quin instar ultionis videretur cernere laceros artus, truncata membra, postremo truces, horrendasque imagines objectas, excoctasque flammis, ut ex illo terrore & minis in usum hominum ac voluptates ignibus mutarentur.*

Juv. Sat. X. v. 58. &c.

——*Descendunt statuæ, restemque sequuntur;*
Ipsas deinde rotas bigarum impacta securis
Cædit, & immeritis franguntur crura Caballis.
Jam stridunt ignes; jam follibus atque caminis
Ardet adoratum populo caput, & crepat ingens
Sejanus; deinde ex facie toto orbe secundâ
Fiunt urceoli, pelves, sartago, patellæ.
Pone domi lauros; duc in Capitolia magnum
Cretatumque bovem.——Sejanus ducitur unco
Spectandus.——

Et alibi——

Frangendâ miseram funestat imagine Gentem.——

Morem hunc damnandi imagines sane antiquum esse colligitur ex Cic. pro C. Rabirio.——*Sextus Titius, quod habuit imaginem L. Saturnini domi suæ, condemnatus est. Statuerunt Equites Romani illo judicio improbum civem esse, & non retinendum in civitate, qui hominis hostilem in modum seditiosi imagine aut mortem ejus honestaret, aut desideria imperitorum misericordia commoveret, aut suam significaret imitandæ improbitatis voluntatem.——Culpæ ergo videtur fuisse vel privatim, damnatorum imagines habere.——Qua mente illud Taciti scriptum. Annal. Lib. XI.——Ac primum in Vestibulo imaginem patris Silii S. C. abolitam demonstrat.——*

TIT. II.

De Legitima Agnatorum Succeſſione.

1. Quum vero & agnati eſſent ejuſdem familiæ ac nominis, Lex. XII. Tabb. liberis non exſiſtentibus vocabat Agnatos proximos, ſeu ex latere per virilem ſexum conjunctos.

TIT. III.

De Senatuſconſulto Tertulliano.

1. Cum Lex. XII. Tabb. tantum vocaret Agnatos, adeoque mater liberis ſuccedere non poſſet, quod durum judicabatur, Adriani temporibus factum eſt S.C. Tertullianum, ſecundum quod mater ingenua trium liberorum jus habens, & libertina quatuor ad bona liberorum admittebatur.

TIT. IV.

De Senatuſconſulto Orphitiano.

1. Quum ergo mater hoc modo ſuccederet liberis, æquum videbatur & liberos ſuccedere matri, quia ſucceſſionis jura regulariter ſunt reciproca.

2. Et ita cautum S.C. Orphitiano anno V.C. CMXXXI. Vettio Juliano Rufo, & Cornelio Scipione Orphito Coss. ut legitima hæreditas matris ſive ingenuæ, ſive libertinæ, liberis tam legitimis, quam vulgo quæſitis, quamvis in alterius poteſtate conſtitutis, ab inteſtato deferretur.

TIT. V.

De Succeſſione Cognatorum.

1. Deficientibus agnatis ex Lege XII. Tabb. non cognati, ſed Gentiles vocabantur.

2. Sed Prætor Edicto *Unde Cognati* deficientibus agnatis etiam cognatos,

cognatos, id eſt, per muliebris ſexus perſonas cognatione junctos, (quibus & agnatos minimam capitis deminutionem paſſos, & vulgo quæſitos accenſuit) ad ſucceſſionem vocavit ad ſeptimum uſque gradum.

TIT. VI.

De Gradibus Cognationum.

1. Cognatio eſt vinculum juris, ſeu neceſſitudo, quæ inter eos, qui de communi ſtipite deſcendunt, intercedit.

2. Cognatio ex *gradibus* & *lineis* judicatur. *Gradus* eſt diſtantia Cognatorum: *Linea* eſt ſeries perſonarum a communi ſtipite deſcendentium, eaque vel *recta*, quæ genitores, & genitos; vel *obliqua*, quæ a latere junctos complectitur.

3. In linea recta Jus Civile & Canonicum conſpirant. *Tot enim* utrumque *numerat gradus, quot ſunt generationes*; v. g. inter patrem & filium una eſt generatio, ergo & unus gradus; inter avum & nepotem generationes duæ, & duo item gradus, & ſic deinceps.

4. In linea obliqua Jus Civile eandem ſervat regulam. Tot enim ſunt gradus, quot ſunt perſonæ, ſtipite dempto. Jus Canonicum diſtinguit inter lineam obliquam *æqualem* & *inæqualem*. In linea æquali, *Quot gradibus perſonæ cognatæ diſtant a communi ſtipite, tot gradibus inter ſe diſtant*. Hinc Frater a ſorore jure civili diſtat ſecundo, jure Canonico primo gradu: Conſobrini jure civili quarto, jure Canonico ſecundo gradu. In linea vero inæquali, *Quot gradibus perſona remotior diſtat a communi ſtipite, tot gradibus perſonæ diſtant inter ſe*. Hæc vero regula videtur eſſe abſurda, cum per eam fratris mei Pronepos quarto gradu & a me, & a filio, & a nepote meo diſtet.

5. Adfinitatis nulli ſunt gradus, quia nullæ generationes. Sunt tamen *quaſi gradus* adfinitatis, qui cognoſci poſſunt ex hac regula. *Quoto gradu mihi aliquis cognatus eſt, eodem gradu ejuſdem conjux mihi adfinitate juncta cenſetur.*

Tit. VII.

De Servili Cognatione.

1. Quamvis vero nuptiis & ſervilis cognatio impedimento eſſet, ejus tamen ratio non habebatur in ſucceſſionibus, etiamſi cognatus, cognatave ſervilis conditionis manumiſſus, manumiſſave eſſet. Hinc e. g. ancilla cum liberis manumiſſa his neque S. C. Tertulliano ſuccedebat, nec ad bonorum poſſeſſionem ex Edicto *unde Cognati* vocabatur.

2. Sed *Juſtinianus* conſtitutione, quæ hodie non exſtat, ſanxit, ut & Parentes liberis, & liberi Parentibus poſt manumiſſionem ſuccederent, ipſiſque patronis præferrentur ad ſimilitudinem ſucceſſionis inter Parentes liberoſque legitimos receptæ.

Tit. VIII.

De Succeſſione Libertorum.

1. Jus ſuccedendi in bona Libertorum olim varium fuit, tandem eò ferè rediit ut 1. vocentur Liberi. 2. Fratres & Sorores. 3. Parentes. 4. Patroni. 5. Patronorum liberi, vel agnati ad quintum gradum.

Tit. IX.

De Adſignatione Libertorum.

1. Quamvis vero patronorum liberi gradu proximi æque ac ipſi Patroni, libertis ab inteſtato ſuccederent: id tamen eam habebat exceptionem, niſi Patronus uni ex liberis ſuis cujuſcunque gradus ac ſexus libertum vel teſtamento, vel ſine eo adſignaſſet, ut is ſolus patronus eſſet.

2. Quum itaque is, cui adſignatus libertus fuerat, ſolus haberetur patronus, ſequebatur, ut ſolus excluſis fratribus in bonis liberti ſuccederet; eoque exſtincto, liberi ejus; & ut reliqui fratres nihil juris haberent in bonis liberti, niſi exſtincto ſine liberis eo, cui libertus adſignatus fuerat.

TIT. X.

De Bonorum Poſſeſſionibus.

1. Omnes ſucceſſiones univerſales de quibus hactenus actum, *ex legibus civilibus* ſunt. Sequitur ſucceſſio *Prætoria*; quum enim Prætor æquitatis obtentu multa mutaſſet, ſuo more novum vocabulum callidè invenit, & ſe non hæreditatem ſed BONORVM POSSESSIONEM daturum edixit, ne leges de ſucceſſione evertere videretur.

2. *Bonorum* itaque *poſſeſſio* nihil aliud eſt, quam *jus perſequendi, retinendique patrimonii, quod jure civili haud debetur, beneficio Prætoris conceſsum.* Breviter Græci vocant bonorum poſſeſſionem πραιτωρίαν δοχὴν, ſucceſſionem prætoriam.

3. Bonorum Poſſeſſio vel *Edictalis* eſt, quæ perſonis certis in edicto nominatis ſine cauſæ cognitione datur; vel *Decretalis*, quæ extra ordinem, causâ pro Tribunali cognitâ decreto Prætoris datur.

4. *Edictalis* vel ex Edicto Prætoris defertur; vel ex Lege, S.C. ſeu conſtitutione Principis. Prior *ordinaria*; poſterior *extraordinaria* vocatur.

5. *Ordinaria* exemplo ſucceſſionis civilis vel datur *facto teſtamento*, vel *ab inteſtato*; & priore caſu vel *ſecundum*, vel *contra* Tabulas.

6. *Secundum tabulas* Prætor dat bonorum poſſeſſionem ſi exſtent tabulæ teſtamenti ſupremæ, ſaltem ſeptem teſtium ſignis obſig-

Bonorum itaque poſſeſſio] Vide Ciceronis Orationem pro P. Quinctio, cujus ſtatus ſeu quæſtio eſt, An S. Nævius poſſederit bona P. Quinctii ex Edicto Prætoris.

Secundum tabulas Prætor dat] In Prætoris fuiſſe poteſtate, velletne bonorum poſſeſſionem dare necne, ſatis evincunt exempla, quibus Prætor bonorum poſſeſſionem certis perſonis negavit, quas tamen Edicto ſuo non exceperat. Sane Q. Metellus Prætor Vecilio lenoni bonorum Juventii poſſeſſionem SECVNDVM TABVLAS dare recuſabat, tantum quod leno eſſet. Val. Max. VII. 7. 7.

Saltem ſeptem teſtium ſignis obſignatæ] Huc pertinet Edictum illud Verrinum.——*Si de Hæreditate ambigetur, & tabulæ teſtamenti obſignatæ non minus multis*

natæ, hæredibus ſcriptis in eo teſtamento; & ex conſtitutionibus Principum accommodatur etiam bonorum poſſeſſio ſecundum tabulas etiam hæredibus nuncupativis.

7. *Contra tabulas* dabatur bonorum poſſeſſio præcipuè liberis naturalibus & adoptivis emancipatis, a patre neque inſtitutis, neque exhæredatis, ſed præteritis.

8. *Ab inteſtato* quatuor potiſſimum erant gradus bonorum poſſeſſionis: primus ex Edicto *Unde Liberi*; alter ex Edicto, *Unde Legitimi*; tertius ex Edicto *Unde Cognati*; quartus ex Edicto *Unde Vir & Uxor*. Olim quidem erant plures, a *Juſtiniano* ſublatæ.

9. Primo ergo Prætor Edicto *Unde Liberi* una cum ſuis vocat emancipatos, quibus alioquin nullum jus eſſet ex legibus civilibus ſuccedendi.

10. Edicto *Unde Legitimi* vocabantur Agnati omnes, qui ex legibus potuere eſſe hæredes, petentes hanc bonorum poſſeſſionem.

11. Ex Edicto *Unde Cognati* admittuntur per fœminini ſexus perſonas conjuncti, gradu proximi, quippe quibus aliâs ex jure civili nullum erat jus ſuccedendi. Et hic locus erat *Succeſſorio Edicto*, quo, uno liberorum intra tempus legitimum non petente ejus portio adcreſcebat reliquis; liberis & Parentibus non petentibus, admittebantur proximi Agnati, cum eodem adcreſcendi jure; his non petentibus Agnati remotiores; his non petentibus Cognati & ſic porro.

12. Deficientibus cognatis Prætor Edicto *Unde Vir & Uxor* vocabat Virum & Uxorem, dum mortis tempore in juſto matrimonio vixiſſent.

13. Tempus intra quod Liberi & Parentes petunt eſt Annus *utilis*; reliquis centum dies utiles dati.

multis ſignis, quam è lege oporteat, ad me proferentur, ſecundum tabulas teſtamenti potiſſimum Hæreditatem dabo. Cic. in Verrem. Lib. 1.

Contra tabulas] Hæc Græcis ἐναντίωσις κατὰ διαθήκης dicitur.

Annus utilis] Solent jura diſtinguere inter annos vel menſes *continuos* & *utiles*. Tempus *continuum* ſine interruptione currit, ſive dies ſint *faſti*, ſive *nefaſti*.

TIT. XI.

De Adquiſitione per Arrogationem.

1. Sequitur tertius modus acquirendi per univerſitatem, ſcilicet *Arrogatio*. Nam cum quis ſe dat arrogandum, cum capite omnem fortunam, omneſque res ſuas in poteſtatem & familiam arrogatoris transfert; adeo ut etiam poſſeſſio, & nomina, & actiones arrogatori ipſo jure acquirantur.

2. Hodie tamen Pater Arrogator, ut naturalis, uſumfructum tantum adventitiorum conſequitur, & poſt liberos & fratres defuncto filio ſuccedit.

TIT. XII.

De Eo, Cui Libertatis Conſervandæ Cauſa Bona Addicuntur.

1. Quartus modus acquirendi per univerſitatem ex conſtitutione Divi Marci eſt *Addictio bonorum libertatis conſervandæ cauſa*. Nam ſi illi, qui libertatem a Domino in teſtamento acceperunt, ex quo non adita eſt hæreditas, velint bona ſibi addici, ut libertates conſerventur, præſtitâ idoneâ cautione de ſolido creditoribus hæreditariis ſolvendo, audiuntur: & licet nec hæredes, nec bonorum ſucceſſores ſint, tamen tanquam hæredes Prætorii utilibus actionibus a creditoribus conveniri poſſunt.

nefaſti. Tempus *utile* eſt, quando ii tantum numerantur dies, quibus judex ſui copiam facit, & jus dicit, quibuſque agi vel peti potuit. Unde ex anno utili non modo dies nefaſti eximuntur, verum etiam ii, quibus quis ex ignorantia rei agere, vel petere non potuit.

JUS ANGLICANUM. ad Tit. X.

Bonorum, quæ nos CATALLA dicimus, poſſeſſionem ſecundum tabulas dat, aut ſaltem antea captam confirmat Judex Eccleſiaſticus apud nos, qui loci eſt Ordinarius, executoribus nimirum defuncti: ſin nullæ tabulæ extiterint, adminiſtrationem viduæ defuncti, vel proximis conſanguineis concedit.

TIT.

TIT. XIII.

De Succeſſionibus Sublatis, quæ Fiebant per Bonorum Venditiones & ex Senatuſconſulto Claudiano.

1. Quintus acquirendi modus per univerſitatem erat olim *Bonorum emptio* ex L. XII. Tabb. deſcendens, cum bona ejus, qui ſolvendo non erat, haſtæ ſubjecta ſolenniter per Magiſtratum emptori creditoribus ſatisfacturo venderentur.

2. Sed illæ venditiones cum judiciis ordinariis exſpiraverint, datumque creditoribus officio judicis bona poſſidere, & noviſſimo quidem jure conſtitutum eſt, ut miſſio non fiat in univerſa bona, ſed tantum pro quantitate debiti.

3. Sextus modus acquirendi per univerſitatem erat ex Senatuſconſulto Claudiano, quo mulier libera poſt trinam Domini

Bonorum emptio] Si quis in jus vocatus poteſtatem ſui non faciebat, neque defendebatur, ejus bona ex edicto poſſideri jubebantur: poſt deinde iis vendendis Magiſtri conſtituebantur: & poſtquam aliquamdiu in celeberrimis locis proſcripta pependiſſent, emptori uni ex creditoribus, aut extraneo cuivis addicebantur, qui *bonorum emptor* dicebatur, & omnibus in ſolidum ſatisfaciebat. Quod ſi diffidebat, ne paria facere poſſet, tum antequam emeret, cum creditoribus de certa parte decidebat. Huc pertinet locus Cic. ad Atticum. Lib. 6. Ep. 1.——ubi ſcribit *ſine Edicto non poſſe tranſigi de bonis poſſidendis, magiſtris faciendis, vendendis; hæc enim ex edicto, & poſtulari, & fieri ſolere.*——Item illud ex Orat. pro Quinctio, cap. 15.—— *Cujus bona ex edicto poſſidentur, hujus omnis fama & exiſtimatio cum bonis ſimul poſſidetur, de quo libelli in celeberrimis locis proponuntur; huic ne perire quidem tacitè, obſcurèque conceditur; cui magiſtri fiunt, & domini conſtituuntur; qui qua lege, & qua conditione pereat, pronuntient.*

Ex Senatuſconſulto Claudiano] Quoniam *Claudianis* temporibus gliſcebat ſupra modum amor ingenuarum mulierum erga ſervos alienos, atque hi fœmineis illecebris ab operibus & ſervitio abducebantur; ingenuarum autem mulierum fama & proles ſervilis libidinis labe ſuffundebatur; *Pallantis* liberti monitu inventa ratio eſt, qua ingenuarum turpia cum ſervis commercia dirimerentur. Itaque *Sylla* & *Othone* Coss. A. V. C. DCCCIV. Claudius Cæſar in Senatu eâ de re orationem habuit, & in illius ſententiam S. C. factum eſt, quod *Claudianum* ab Auctore & Suaſore *Claudio* fuit appellatum.

Hujus Senatuſconſulti hiſtoria eſt apud Tacit. Lib. XII. cap. 53.—— *Inter quæ refertur ad Patres de pœnâ fœminarum, quæ ſervis conjungerentur; ſtatuiturque, ut ignaro domino ad id prolapſæ, in ſervitute: ſin conſenſiſſet, pro libertis haberentur.*

prohibitionem

prohibitionem ſe jungens ſervo alterius, illius Domini ſerva fiebat, & ad eum omnes fortunas ſuas transferebat. Sed id jus antiquatum eſt. Nam mulier retinet libertatem: ſervus autem verberibus caſtigatur, & diſſolvitur conjunctio.

4. Talis erat Succeſſio vetus cum civilis, tum prætoria. Tales modi acquirendi per Univerſitatem, qui hodie vix ullius uſus ſunt. Hinc ad utiliora properantibus jam paulo plenius agendum erit nobis de Succeſſione ab Inteſtato nova a Juſtiniano inventa & ſancita Novella CXVIII.

De Succeſſione ab Inteſtato ſecundum Nov. CXVIII.

Varium & perplexum hac de re olim jus fuit; at jure *Novellarum* conſtitutæ ſunt tres ordines Succeſſionis ab Inteſtato, nimirum Deſcendentium, Adſcendentium, & Collateralium. His vero deficientibus Conjuges, & poſtremo Fiſcus admittuntur.

De Succeſſione Deſcendentium.

1. Ante omnes ſuccedunt *Deſcendentes*, qui vel *legitimè nati* ſunt, vel *Legitimati*, vel *Adoptivi*, vel *Illegitimi*.

2. Et *Legitimos* quidem omnes ſive maſculos, ſive fœminas, ſive Suos, ſive Emancipatos, Lex ad debitam Succeſſionem quorumvis adſcendentium vocat, quotocunque gradu ſunt, dum eos nemo antecedat.

3. Quamvis vero quotocunque gradu ſint, ſuccedant, gradus tamen diſcrimen ſtatuit ratione portionum. Primi enim gradus liberi ſuccedunt IN CAPITA; ulteriorum IN STIRPES *jure repræſentationis*.

JUS ANGLICANUM. ad Tit. XIII.

Hoc adquirendi genus nos non habemus, ſimile tamen aliquid. Decoctorum enim, qui poſt exeſas fortunas ſe abdunt, quo minus a creditoribus conveniri poſſint, tam feuda, quam alia bona, ubicunque reperiri poſſunt, ad creditorum ſuorum ſatisfactionem diſtrahi poſſunt per viros honorificos, quos conſtitutiones ad hoc editæ nominant.

4. Si liberi adſint ex diverſis nati matrimoniis, communi Parente omnes ſuccedunt æqualiter, proprio quique ſeparatim; ita tamen ut hi *præcipuum* habeant, quod ex priore matrimonio ad Parentem communem pervenerat.

5. *Legitimati per ſubſequens matrimonium* eodem jure ſuccedunt ac Legitimi; *Legitimati* vero *per Reſcriptum Principis* admittuntur ſi ſoli ſint; nam Princeps legitimando non cenſetur juſtis Liberis voluiſſe præjudicare, imò non ſolet iis exſtantibus naturales pronunciare legitimos.

6. *Adoptivi* cujuſcunque generis ab inteſtato eodem jure ſuccedunt, ac naturales.

7. Illegitimi denique *matri* ſuccedunt indiſtinctè una cum legitimis. — In *patriâ hæreditate* naturales, ſi nec uxor, nec liberi legitimi exſtent, in ſextantem tantum cum matre dividendum admittuntur. — Ex Adulterio, vel inceſtu nati nihil capiunt, ac ne alimentis quidem digni habentur.

De Succeſſione Adſcendentium.

1. Tametſi tacitâ quadam naturæ lege Parentum hæreditas debeatur liberis, non e contra; tamen turbato mortalitatis ordine Pietas & Miſeratio Parentes vocat ad liberorum ſucceſſionem; Deſcendentibus ergo nullis exſtantibus ad *Adſcendentes* devolvitur liberorum inteſtatorum hæreditas.

2. Quumque Definitio juris repræſentationis adſcendentibus applicari nequeat, ſequitur ut generatim propior excludat remotiores; locum tamen hic habet *Succeſſio in lineas*, qua pars hæreditatis dimidia lineæ *Paternæ*, dimidia altera lineæ *Maternæ* per leges datur.

3. Nec tamen ſemper ſoli ſuccedunt, ſed ſi exiſtant fratres Germani, vel Sorores Germanæ, vel Germanorum, Germanarumve liberi, hi ſimul admittuntur.

4. Ex his principiis ſequitur. 1. Ut Pater & Mater ſoli ſuperſtites luctuoſam hæreditatem inter ſe æquâ lance dividant, & Avos, aviaſque excludant. 2. Ut alteruter ſolus ſuperſtes ſoli-

dum

dum capiat, & avos ſimiliter excludat. 3. Ut ſi ſoli remotioris gradus adſcendentes adſint, ſuccedant in lineas, adeòque ſi ſuperſtites ſint avia paterna, & avus aviaque materni, avia paterna ſola ſemiſſem; avus aviaque materni ſimul alterum ſemiſſem capiant, non habitâ ratione bona ſint Paterna an Materna.

5. Inde porro infertur Germanos, germanorumque liberos non modo cum parentibus primi Gradus, ſed omnibus etiam adſcendentibus admitti; & Germanos quidem æque ac adſcendentes IN CAPITA; horum liberos una cum germanis concurrentes jure repræſentationis IN STIRPES.

De Succeſſione Collateralium.

1. Deficientibus & Adſcendentibus ad COLLATERALES devenitur, ex quibus primi omnium ſuccedunt Germani, Germanorumque liberi, qui & unilaterales, & reliquos omnes excludunt. Et quidem Germani, Germanæve ſoli ſuccedunt IN CAPITA.——Si Germani Germanorumque liberi concurrunt, illi IN CAPITA, Hi jure repræſentationis IN STIRPES vocantur.——Si ſoli Germanorum liberi exſtent, ſuo jure promiſcuè IN CAPITA admittuntur.

2. His deficientibus eadem ratione fratres, Sororeſque *unilaterales*, eorumque liberi; illi IN CAPITA; hi, ſi cum fratribus ſororibuſque defuncti unilateralibus concurrant IN STIRPES; ſin ſoli ſint, ſuo jure IN CAPITA ſuccedunt ſine diſcrimine bonorum, paterna illa, an materna ſint. Quamvis quod ad uſum fori in-

Et quidem Germani] Fratres Germani propriè dicuntur, qui eundem utrumque parentem habent.——Terent. in Andr. Act. I. Scen. V. v. 57.

Si Te in GERMANI fratris dilexi loco.

Idem in Adelph. Act. II. Scen. IV. v. 5.

O mi Æſchine! O mi GERMANE!

Hoc probat locus Ciceronis pro Milone, cap. 27.

Clodius cum Sorore GERMANA nefarium ſtuprum fecit.

Ubi GERMANA expreſſum videtur ad augendam gravitatem delicti; cum grandius nefas admittat, qui ſorori ex utroque parente conjunctæ ſtuprum infert, quam qui conſanguineæ tantum, aut uterinæ. Græcis dicuntur αὐτάδελφοὶ, αὐτογενέσιγνητοι. *Podarces* αὐτοκασίγνητος *Proteſilai.* Iliad. 13.

bonis paternis *conſanguinei*, eorumque liberi; in maternis *uterini*, eorumque liberi paſſim præferri ſoleant.

3. His quoque deficientibus proximi ſive cognati, ſive agnati ſive diſcrimine ſexus admittuntur, ita tamen ut propior excludat remotiores. e. g. Patruus Patrueles.—Ut qui ejuſdem gradus ſunt, ſimul in capita admittantur.—Ut ſola gradus prærogativa ſpectetur ultra fratrum liberos, abſque repræſentatione, vel ſtirpium, unde orti ſunt, conſideratione.

De Succeſſione Conjugum.

1. Deficiente omni cognatione olim Conjuges ſuperſtites vocabantur ex Edicto *Unde Vir & Uxor*. Sed jure noviſſimo etiam cum deſcendentibus, nedum cum aſcendentibus, & collateralibus CONIVX Superſtes pauper ſuccedit locupleti; & quidem ſi plures ſint, quam tres hæredes, in portionem *virilem*; cum tot ſcilicet partes fiunt, quot ſunt perſonæ; ſin pauciores in quartam, ita, ut ſi cum liberis concurrat, in portione ſua tantum uſumfructum; ſin cum aliis quartam pleno jure capiat.

De Succeſſione Fiſci.

1. Poſtremo ſi nullus ſit Succeſſor legitimus ſuccedit FISCVS, non quidem ut Hæres, ſed velut in bona vacantia, niſi per quadriennii præſcriptionem excludatur a Poſſeſſore bonæ fidei.

Conſanguinei] Conſanguinei dicuntur Fratres ὁμοπάτριοι, ex eodem patre nati. Hinc *Virgilius* Æneid. 6. Soporem appellat *Lethi Conſanguineum*, quem *Homerus* Iliad. ξ. κασίγνητον θανάτοιο. Græci ὁμαίμους vocant. Dicuntur & ξύναιμοι. Sophocl. in Ajac.—Τὸν τῦ μανέντος ξύναιμον ἀποκαλοῦντες—*Fratrem furioſi vocantes.*

Succedit Fiſcus] Si nemo erat, ad quem bonorum pertineret Poſſeſſio, aut ſi quis erat quidem, ſed jus ſuum omiſerat, vel capere non poterat, vel ante apertum teſtamentum deceſſerat; ex lege *Papiâ Poppæâ* bona omnia tanquam caduca, vacantia, populo deferebantur, adeoque ſuccedebat Ærarium. — Tacit Annal. Lib. III. 28. — *Ut velut Parens omnium populus vacantia teneret.* — Poſtea hujuſmodi bona, ex parte non populus, ſed Fiſcus occupabat, præcipuè tempore *Hadriani*. Denique *Antoninus Baſſianus Caracalla* omnia caduca Fiſco vindicavit.

Dicuntur

Dicuntur autem bona *vacare*, quæ jacent propter defectum legitimorum Succeſſorum. Sunt etiam perſonæ quædam certis corporibus, ſeu Collegiis aſcriptæ, quarum, ſi abſque hærede moriantur, placet bona ad ea corpora, quorum pars ſunt, pervenire excluſo fiſco.

JUS ANGLICANUM.

De Hæreditatibus quæ ab Inteſtato Deferuntur.

Hæreditas eſt Succeſſio in univerſum jus Feudale, quod Defunctus Anteceſſor habuit ex quacunque causâ acquiſitionis vel Succeſſionis.

Antiqua regni noſtri conſuetudo eſt, ut primogenitus filius Patri ſolus in feudo ſuccedat: ſi autem filii non ſunt, ſed filiæ, tum omnes filiæ cohæredes erunt. Quod idem verum eſt in neptibus & proneptibus, ſi nepotes, aut pronepotes deſint.

Etiam hoc ſemper apud nos receptum fuit, ut feudum nunquam aſcendere, vel (ſi velis) deſcendere a filio ad patrem vel matrem, nec aliquem alium in recta linea anteceſſorem poſſit. Neque ullus in linea tranſverſali vocatur ad Succeſſionem, quamdiu aliquis ſuperſtes erit in linea rectè deſcendenti.

Proles ante matrimonium ſolemnizatum genita, jure regni nothus, ſive baſtardus eſt, neque in hæreditatem ſuccedit; neque baſtardus hæredem habet niſi de corpore ſuo.

Catalla neque *perſonalia* neque *realia* ad hæredem deſcendant, ſed ex conſuetudine regni ad Executores, aut ab inteſtato ad Ordinarium, & per eum conſtitutos adminiſtratores deferuntur; vel etiam ſi nemo adminiſtrare velit, per ordinarium ſuo periculo ſequeſtrari debent.

Dominus capitalis loco hæredis habetur, quoties per defectum, vel feloniam exſtinguitur Sanguis ſui Tenentis; Hoc tamen ſine diſtinctione hodie non procedit.

In LINEA TRANSVERSALI hoc perpetuum eſt, ut hæredes ſint ii, qui integrum ſanguinem defuncti participant: Exempli gratia: *Titius* habens filium *Sempronium*, & filiam *Arethuſam* ex una uxore, & filium *Mævium* ex alia, moritur: *Sempronius* ei ſuccedit, & ſine liberis decedit: *Arethuſa* Soror, & non *Mævius* Frater ad ejus hæreditatem vocatur.

Item *Titius* habens fratrem *Sempronium*, & duos filios *Seium* nimirum ex unâ, & *Mævium* ex alterâ uxore: *Titio* mortuo ſuccedit *Seius*, & *Seio* ſine liberis defuncto *Sempronius* Patruus, quia integri eſt ſanguinis, non *Mævius* frater. Sed ſi *Sempronius* ſine liberis quoque decedat, *Mævium* Succeſſorem habet, quia utroque latere illi conjungitur, tam avi nimirum, quam aviæ. Atque ideo niſi *Sempronius* tam ex parte matris, quam patris *Titio* frater ſit, contrarium videtur ſtatuendum.

Linea tranſverſalis duplex eſt; altera *deſcendens* per fratrem ad ejus liberos;

TIT. XIV.

De Obligationibus.

1. Actum eſt de potiſſimâ *juris in re* ſpecie, ſcilicet Dominio, ejuſque acquirendi modis; porro agitur de *jure ad rem*, ſive in perſonam ſcilicet de *Obligatione*.

2. OBLIGATIO eſt *juris vinculum, quo neceſſitate adſtringimur alicujus rei ſolvendæ, id eſt, faciendæ vel præſtandæ.* Ex quo fluit Axioma, *Obligationem perſonam non egredi, adeoque actionem adverſus tertium non producere.*

3. Neceſſitas illa rei alicujus ſolvendæ, id eſt, faciendæ vel præſtandæ a lege vel jure imponitur, & quidem vel a ſolo *naturali*, ſed cui jus civile non adſiſtit,—vel a *jure civili*, ſed quod Prætor naturali æquitate motus data exceptione elidit;—vel *ab æquitate naturali*, & *jure civili* ſimul. Primi generis obligationes *merè naturales*; ſecundi *merè civiles*, tertii *mixtæ* adpellantur. Sic æquum eſt filium familias & pupillum expungere nomen etiam ſine juſſu patris, vel Tutoris auctoritate contractum; ſed huic naturali Obligationi non adſiſtit Jus Civile;—Jure naturæ Pacta ſunt ſervanda; ſed huic obligationi non omnino adſiſtunt jura, quæ quidem *exceptionem ex pacto nudo* dant, ſed non Actionem; adeoque hæ ſunt Obligationes *merè naturales*.—Jure Civili & qui metu coactus promiſit, obligatur; ſed Prætor æquitate motus dat exceptionem *quod metus cauſa*, adeoque hæc

ros; altera *aſcendens* per patruum & ſic deinceps. Ex aſcendenti autem nemo ſuccedit, niſi deficientibus iis, qui e deſcendenti ſunt.

E linea tranſverſali deſcendenti ſuccedit is, qui propior gradu eſt: & ſi hæc linea defecerit, is qui in aſcendenti tranſverſali defuncto proximus eſt.

Si duo in eodem gradu ſunt, & ambo maſculi, præfertur natu major: ſi alter maſculus, altera fœmina, maſculus fœminæ præfertur, ut in lineâ recta.

Obligatio eſt juris vinculum] Horat. Sat. Lib. 2. Sat. 3. v. 69.

——*Adde Cicutæ*
Nodoſi tabulas centum: mille adde Catenas;
Effugiet tamen hæc ſceleratus VINCVLA Proteus.

eſt

eſt Obligatio *merè civilis*. Denique venditor & *jure naturali & civili* ad rem tradendam obſtringitur, adeoque hæc Obligatio *mixta* eſt.

4. *Mixtæ* Obligationes præter naturale Vinculum vel *legibus civilibus* ſuſtinentur, ut Contractus; vel *juriſdictione Prætoris*, uti Obligatio *de peculio, de in rem verſo*. Illæ *civiles*, Hæ *Prætoriæ* adpellantur. Utraſque in animo habuit Imperator, dùm obligationem dixit *Vinculum juris, quo neceſſitate adſtringimur alicujus rei ſolvendæ ſecundum noſtræ civitatis jura*. Hæc enim Definitio non ad Obligationem *generatim*, ſed *in ſpecie* ad mixtam pertinet.

5. Factum obligatorum aliud *licitum* eſt, aliud *illicitum*; illud dicitur *Conventio*; hoc *Delictum*, vel *Maleficium*. De hoc infra erit dicendum, de illa hic differendi locus eſt.

6. *Conventio* vel *Pactio* eſt duorum in idem placitum conſenſus de re ſolvendâ, id eſt, faciendâ vel præſtandâ.

7. Sed non omnibus Conventionibus adſiſtit jus civile, verum quibuſdam tantum, & iis maximè, quibus vel *cauſa civilis*, & legibus probata ſubeſt; vel quibus ſingulare nomen, & cognominem actionem jure dederunt. Et hæ conventiones *Contractus*, reliquæ Pacta vocantur.

8. *Pactum* ergo eſt Conventio deſtituta nomine & cauſa, quæ obligationem civilem ſua naturâ producere poſſit — *Contractus* vero ſunt Conventiones, quæ habent nomen, vel cauſam præſentem ſua naturâ civiliter obligantem.

Sed non omnibus Conventionibus adſiſtit jus civile] Hoc non ita intelligendum eſt, ac ſi Romani negaſſent *Pacta* eſſe ſervanda. Potius eum virum malum atque improbum judicabant, qui pacta violaſſet. *Pacta* vero *nuda* non producebant *Obligationem*, vel *Actionem*. Poſtea tamen indignatus Prætor hac in re impunè falli fidem, non quidem *Actionem*, ſed *exceptionem* tamen *ex pacto* dedit. Ante hoc Edictum variis artibus eludebantur Pacta, crebræque in foro erant Diſputationes de conventionibus, Pactorumne, an in Contractuum numerum eſſent referendæ. Quò reſpicit Plaut. Aulul. II. v. 81.

At Scio, quo vos pacto ſoleatis perplexarier,
Pactum non pactum eſt, non pactum autem Pactum,
Quod vobis lubet. ——

9. *Pactum*

9. *Pactum* vel *nudum* eſt, vel *non nudum*. *Nudum* eſt, quod in nudis placiti & conventionis finibus ſubſiſtit, & non quidem *Actionem* producit, ſed *exceptionem*. *Non nudum*, quod actionem producit, vel quia ſpeciatim ei lex, vel quia Prætor adſiſtit; vel quia in continenti contractui bonæ fidei adjectum eſt; quorum illud *Pactum Legitimum*, illud *Pactum Prætorium*, hoc *Adjectum* vocatur.

10. Contractus ita ineuntur, ut vel *conſenſus verus* utrinque adſit; vel ex alterâ parte ille ex æquitate vel communi utilitate *præſumatur*. Priores vocantur *Contractus veri*; poſteriores *Obligationes*, quæ *quaſi ex contractu* naſcuntur, vel brevius *Quaſi Contractus*.

11. Veri Contractus vel *nomen & cauſam* ſimul habent, vel civilem cauſam ſine nomine. Priores vocantur Contractus *Nominati*; poſteriores *Innominati*, quales ſunt quatuor illi: *Do, ut Des: Do ut facias: Facio ut Des: Facio ut facias:* ex quibus etiam non naſcuntur actiones cognomines, ſed actio generalis *in factum*, vel *præſcriptis verbis*.

12. Contractus *Innominati* omnes *Re* ineuntur. Niſi enim res interveniret, intra pactorum naturam ſubſiſterent. Nominatorum autem alii ſubſtantiam capiunt, vel ineuntur *Re*; alii *verbis*; alii *Litteris*; alii *Conſenſu*.

13. Jam quum hi contractus omnes ſint Conventiones, hæ vero conſenſus in idem placitum de dando aliquo vel faciendo: ſequitur ut vel *utrique* contrahentes ſe ad dandum quid, vel faciendum obligent, vel *alteruter* tantum obligatus ſit. Hinc Contractus in *Bilaterales*, (διπλεύρας) & *Unilaterales* (μονοπλεύρας) recte dividuntur.

14. Ergo *Unilaterales Contractus* tantum unam actionem producunt: bilaterales duas, & quidem utramque *directam*, ſi uterque ſtatim obligatur. Sin unus initio, alter ex poſt facto demum obligatur, contra illum *directa*, contra hunc *Contraria* Actio datur, quarum hæc ſemper ad conſequendam indemnitatem comparata eſt.

15. Iis

15. Iis Actionibus non ſolum agitur ad præſtandum id, quod promiſſum; verum etiam ad *reſarciendum damnum.*

16. *Damnum* eſt, quando aliquid per alium ex patrimonio noſtro demitur: idque vel *dolo*, vel *culpa*, vel *caſu* datur.——*Dolus* eſt omnis calliditas, fallacia, machinatio ad decipiendum & circumveniendum alterum adhibita.—*Culpa* factum inconſultum, quo alter injuria læditur; vel quod, quum a diligente provideri potuerit, non ſit proviſum.—*Caſus* eſt Eventus a divina Providentia profectus, cui reſiſti non poteſt.

17. Jam ex ipſis definitionibus fluunt Axiomata. 1. *Dolus* ſemper & in omni contractu præſtandus, nec conveniri poteſt in anteceſſum, ne dolus præſtetur. 2. In quibuſdam contractibus, in quibus amici fidem præcipuè ſequimur, *dolus*, eique æquiparanda *Culpa lata*, infamiâ notatur; veluti in *Depoſito*, *Societate*, *Mandato*, *Tutela*, ſi quis actione directa pulſatus condemnatur. 3. *Caſus* nunquam præſtatur, niſi vel in morâ ſit debitor, vel caſum in ſe ultro ſuſceperit, vel culpam ſimul admiſerit. 4. *Culpa* modo major, modo minor præſtanda eſt.

18. Nimirum uti trium fere generum reperiuntur Patresfamilias, quorum quidam ad rem *attentiſſimi* ſunt; alii, rerum ſuarum *incurioſiſſimi*, nullam rei familiaris curam animum ſubire patiuntur; alii denique, inter hos intermedii, *frugales* eſſe ſolent; ita tres ſunt culpæ vel negligentiæ gradus. Qui enim eam non adhibent diligentiam, quam ſolent Patresfamilias ad rem attentiſſimi, *culpam Leviſſimam*; qui omittunt diligentiam a frugi Patrefamilias adhiberi *ſolitam*, *levem*; qui denique, ne ea quidem

Infamia notatur, veluti in depoſito.] Cic. pro Q. Roſcio Comœdo. 17. ——*Si qua ſunt privata judicia ſummæ exiſtimationis, & pœnè dicam capitis, tria hæc ſunt,* FIDVCIÆ, TVTELÆ, SOCIETATIS; *æque enim perfidioſum & nefarium eſt fidem frangere, quæ continet vitam; & pupillum fraudare, qui in tutelam pervenit; & ſocium fallere, qui ſe in negotio conjunxit.*——Et pro S. Roſcio Amerino. 109.——*In privatis rebus, ſi quis rem mandatam non modo malitioſius geſſiſſet ſui quæſtus aut commodi causâ, verum etiam negligentius, eum majores ſummum admiſiſſe dedecus exiſtimabant. Itaque mandati conſtitutum eſt judicium, non minus turpe, quam furti.*

diligentia, qua omnes, etiam diſſoluti homines uti ſolent, utuntur, *latam* committere dicuntur.

19. Jam de culpa hæc Axiomata obſervanda ſunt. 1. In contractibus, in quibus penes unum commodum, penes alterum incommodum eſt, *ille* ordinariè culpam etiam *leviſſimam*, *hic* non niſi *latam* præſtat. 2. Ubi par utriuſque contrahentis commodum atque incommodum eſt, *culpa* etiam *levis* ab utroque præſtanda eſt. 3. Qui ſua ſponte ſe contractui obtulit, vel obligationem ſuſcepit, in qua perſonæ induſtria ſumma requiritur, quamvis ſolum commodum ſuſtineat, tamen ad culpam *leviſſimam* tenetur. 4. Qui alteri rem ultro obtulit, ex qua ei ſoli commodum obveniat, non niſi latæ culpæ præſtationem exigere poteſt.

20. Jam ad contractus ſingulos, & quidem ad veros NOMINATOS, cum Imperatore progredimur; quorum alii *re*, alii *verbis*, alii *litteris*, alii *conſenſu* capiunt Subſtantiam: Primum de illis, qui RE ineuntur, agendum erit.

TIT. XV.

Quibus Modis Re Contrahitur Obligatio.

1. Contractus dicuntur *re* iniri, vel *reales* eſſe, non quaſi actionem *in rem* producant; ſed quia non capiunt Subſtantiam hi contractus, niſi rei traditio interveniat, vel datio.

2. Tales ex veris & nominatis ſunt quatuor. 1. Mutuum. 2. Commodatum. 3. Depoſitum, & 4. Pignus.

3. MVTVVM eſt Contractus, quo *res fungibilis* ita alicui datur, ut ejus fiat, & is quandoque tantundem in eodem genere reſti-

JUS ANGLICANUM. ad Tit. XIV.

Omnium obligationum civilium ſumma Diviſio in duo genera deduci poteſt. Nam aut *Jure communi* conſtituitur, aut *Statuto*. Exemplum illius fuerit vulgaris illa, quam *pœnalem obligationem* dicimus & cæteræ hujuſmodi; hujus vero *Scriptum de Statuto Mercatorio*, & quæcunque e ſtatuto regni aliquo profluit.

tuat:

tuat: *Res* vero *fungibiles* dicuntur, quæ pondere, numero & menſurâ conſtant. In his enim tantundem eſt idem.

4. Quum mutuum vèro ſit alienatio, infertur 1. Non niſi eum dare poſſe mutuum, qui poteſt alienare; adeoque 2. Si quis, qui alienare nequit, mutuum dederit, nummos *extantes* vindicari; conſumptos *bonâ fide* condici, *malâ fide* actione ad exhibendum peti poſſe. 3. Idemque obtinere, ſi quis dolo malo pecuniam alienam ſine mandato Domini dederit mutuam.

5. Quamvis vero in mutuo alienetur Species, non alienatur tamen quantitas, ex eoque ſequitur, ut tantundem, & quod ad quantitatem, & quod ad qualitatem, reddendum ſit;——ut conveniri quidem poſſit, ut minus, non ut plus reddatur, quam datum; ——ut mutato valore nummorum ad tempus contractus reſpiciendum videatur, niſi de certâ ſpecie monetæ reddendâ conventum ſit.

6. Ex hoc contractu datur actio unica, nimirum *Condictio certi ex mutuo*, vel *Actio mutui*, qua Creditor agit adverſus debitorem, ejuſve hæredem ad tantundem in eodem genere, eademque bonitate reddendum, non autem ad uſuras, quæ jure Romano ex contractu ſtricti juris non debentur, niſi promiſſæ.

Ad uſuras] Multum intererat inter *mutuum* & *fœnus*, quamvis ſæpè confundi ſoleant. Aſt accuratè diſtinxit Plaut. Aſin. I. 3. v. ult.

Nam ſi mutuas non potero, certum eſt ſumam fœnore.

Mutuum a fœnore hoc diſtat, quod mutuum ſine uſuris, fœnus cum uſuris ſumitur, & eſt accepti fœtus, unde & græcè τόκος dicitur, quaſi *partus* mutui ſumpti.

Cum vero modus computandi uſuras, quo uſi ſunt Romani multum ab hodierno differat, neque omnibus adeò expeditus videatur, dabimus operam, ut rem omnem, quantâ fieri poteſt perſpicuitate, explicemus.

Adeo intricatus jam veteribus videbatur ille uſuras computandi modus, ut pueros ſuos ab ipſis incunabulis ad intelligentiam hujus calculi inſtituerent. Hinc Horat. Ser. Lib. 6. v. 72.

——*Magni*
Quo Pueri magnis e Centurionibus orti,
Lævo ſuſpenſi loculos tabulamque lacerto,
Ibant octonis referentes Idibus æra.

Et de Arte Poet.

Romani pueri longis rationibus Aſſem
Diſcunt in partes centum diducere. Dicat
Filius Albini, ſi de Quincunce remota eſt
Uncia, quid ſuperat? Poteras dixiſſe-Triens. Eu!
Rem poteras ſervare tuam. redit Uncia, quid fit?
Semis.——

Romani ſortem univerſam fœnore occupandam dividebant in centena, de qua ſumma maxima, quam ſtipulari licebat, erat centeſima in menſem. Ea pars centeſima ſingulis Calendis ſolvi ſolebat. Et inde eſt quod Ovidio vocantur *celeres & triſtes* Calendæ. Hinc Hor. Epod. 2. v. 67.

Hæc ubi locutus fœnerator Alfius,
Jam jam futurus ruſticus,
Omnem relegit Idibus pecuniam,
Quærit Calendis ponere.

Idem Ser. I. 3. v. 86.

——*Acerbus*
Odiſti, & fugis, ut Druſonem debitor æris;
Qui niſi, cum triſtes miſero venêre Calendæ,
Mercedem aut nummos unde unde extricat, amaras
Porrecto jugulo hiſtorias, captivus ut, audit.

Solebant fœneratores & Argentarii ſedentes *ad medium Janum* in ſingulas Calendas fœnerare pecunias.

Tres ſcilicet Romæ erant *Jani* Statuæ, ad quarum unam Creditores; ad alteram fœnori poſituri nummos; ad tertiam exigentes conveniebant. Hinc Cic. de Offic. Lib. 2.—25.——*Sed toto hoc de genere, de quærendâ, de collocandâ pecunia, etiam de utendâ, commodius a quibuſdam optimis viris AD MEDIVM IANVM ſedentibus, quam ab ullis philoſophis ullâ in ſchola diſputatur.* Et Horat. Epiſt. I. 1.

O Cives, Cives, quærenda pecunia primum,
Virtus poſt nummos. Hoc IANVS SVMMVS ab IMO
Perdocet.——

Quum verò duodecim ſint menſes, quicquid per integrum annum uſurarum præſtandum erat, vocabant ASSEM VSVRARIVM, & quia eum ſuo more in duodecim uncias diſtribuebant, hinc quod ſingulis menſibus uſuræ nomine ſolvendum erat VNCIAM vocabant. Ergo uncia erat centeſima pars ſortis, quæ in ſingulos menſes, tanquam uſura, dependebatur: duodecim vero unciæ, vel partes centeſimæ, quas ſingulis annis lucrabantur fœneratores, ASSEM VSVRARIVM conſtituebant. Hiſce ergo obſervatis, facile licebit ſingula uſurarum nomina explicare.

CENTESIMA, vel ASSIS VSVRA, legitimarum omnium maxima, ſingulis menſibus e centum denariis reddebat unum, adeoque vertente anno denarios duodecim, id eſt, noſtro loquendi more DVODECIM PRO CENTENIS.

Proximæ erant VSVRÆ DEVNCES, quæ tres quadrantes & duas duodecimas unciæ ſingulis menſibus, undecim uncias per annum reddebant, id eſt,

VNDECIM

VNDECIM PRO CENTENIS. Nec hæ infrequentes erant veteribus. Meminit ſane earum *Perſius* Sat. V. v. 149.

Quid petis? Ut Nummi, quos hic quincunce modeſto
Nutrieras, pergant avidos ſudare DEVNCES?

Huic vero proxima DEXTANS erat, cum decem nummi annui pro centum nummis mutuo acceptis pendebantur; DODRANS, cum novem; BESSALIS, cum octo, SEPTVNX, cum ſeptem, SEMIS, cum ſex; QVINCVNX, cum quinque; TRIENS, cum quatuor; QVADRANS, cum tres; SEXTANS, cum duo; denique VNCIARIA uſura vocabatur, qua pro nummis centum unus duntaxat in fœnus ſolvebatur quotannis.

Sed cave exiſtimes his uſuris contentam fuiſſe fœneratorum avaritiam; Præterquam enim, quod modum uſurarum legitimarum miris fraudibus everterent, non dubitabant ii, qui malis, *incertiſque nominibus* credebant, uſuras majores centeſimis ſtipulari. Tum vero & aſſem uſurarium multiplicabant, & partes ejus, exigentes aliquanto ſupra legitimam uſurarum ſummam, e. g. binas, ternas centeſimas, ita tamen, ut nunquam ab aſſis ratione diſcederent. Binarum centeſimarum exactarum a fœneratoribus meminit Cic. in Verr. III. 165.——*Ac primum hoc ex te quæro, Pecunia publica ex ærario erogata, ex vectigalibus populi Romani ad emendum frumentum attributa, fueritne tibi quæſtui? Penſitaritne tibi BINAS CENTESIMAS? Credo te negaturum; Turpis enim eſt & periculoſa confeſſio.*

TRIPLICIS uſuræ, id eſt, *Ternæ Centeſimæ* meminit Juv. Sat. 9. v. 7.

Non erat hac facie miſerabilior Crepereius
Pollio, qui TRIPLICEM VSVRAM præſtare paratus
Circuit, & fatuos non invenit.———

QVATERNAS uſuras exigebant *Scaptius* & *Matinius* impudentiſſimi fœneratores, vel potius *Brutus*, qui eorum opera in pecuniis fœnori locandis utebatur; de quibus vide Ciceronis Epiſtolas ad Atticum V. 21. VI. 1, 2.

Immò eò progreſſa erat fœneratorum licentia, ut ne QVINAS quidem uſuras exigere dubitarent. Qua de re Horat. Serm. I. 2. v. 12.

Fufidius vappæ famam timet, ac nebulonis,
Dives agris, dives poſitis in fœnore nummis.
QVINAS hic capiti mercedes exſecat, atque
Quanto perditior quiſque eſt, tanto acrius urget.

Atque ſanguinolentæ plane erant hæ uſuræ, ſiquidem qui binas centeſimas ſpoſponderit, ſingulis annis viginti quatuor; qui ternas triginta ſex; qui quaternas, quadraginta octo; qui quinas ſexaginta pro centenis uſuræ loco ſolvebant.

——Athenis maxima erat fœnerandi licentia approbata veteri hac Solonis lege,

ΤΟ ΑΡΓΥΡΙΟΝ ΣΤΑΣΙΜΟΝ ΕΙΝΑΙ ΕΦ ΟΠΟΣΟΝ ΑΝ ΒΟΥΛΗΤΑΙ ΔΑΝΕΙΖΩΝ.

Uſitatiſſimus apud Athenienſes fœnerandi modus erat *centeſima uſura*, quæ τόκος ὁ ἀπὸ δραχμῆς dicitur, cum pro mina ſingulis menſibus drachma penderetur. Exemplum extat apud Æſchinem ἐν τῷ κατὰ Κτησιφῶντος——Ἀναλισκόμενοι δὲ οἱ Ῥήτορες, καὶ ἐκ συμπορῶντες, ὑπέθεσαν αὐτῷ τὰ πάλαντα τὰς δημοσίας πρόσοδους, καὶ τόκον ἤτησαν Δημοσθένη

7. COMMODATVM eſt Contractus, quo res non fungibilis gratis utenda ita traditur, ut, finito eo uſu, eadem ſpecies reſtituatur.

8. Ex quo ſequitur 1. ut Commodatum in certum ac definitum uſum detur, alias enim eſſet PRECARIVM. 2. Ut ſi mercedem ſibi quis ſtipuletur pecuniariam, Commodatum tranſeat in *Locationem Conductionem*; ſin aliam rem, in Contractum, *Do ut des*. 3. Ut Commodum ex hoc contractu ſit penes ſolum Commodatarium; Incommodum penes commodantem. 4. Ut non, ſicuti in mutuo, transferatur Dominium.

9. Quia ergo Commodatum ad certum uſum datur: illud ante finitum uſum ordinariè revocari nequit, nec commodatarius rem commodatam aliis uſibus adhibere debet, quia alias *furtum uſus* committeret.

10. Quumque *mercede* interveniente commodatum in alium contractum tranſeat, conſequens eſt, ut ſi *honorarium* interveniat commodati natura non mutetur. *Honorarium* vero a mercede differt, quod *hæc* conventione definiatur, *illud* ultrò offeratur; quod mercedem admittant operæ tantum *illiberales*; honorarium *liberales*, & quæ æſtimationem haud recipiunt.

11. Si res commodata caſu fortuito & improviſo citra omnem commodatarii culpam perierit, ejus æſtimatio non erit ſolvenda, ubi eadem apud Dominum quoque peritura fuerat. Alias æquum videtur commodatarium æſtimationem rei præſtare, quippe quam Dominus amiſſurus non fuerat, ni adverſus alterum benignus fuiſſet. Vice versâ, ſi quid utilium aut neceſſariarum impenſarum in rem commodatam factum ſit extra eas, quæ alias uſum rei regulariter comitantur, id a Domino refundendum erit.

12. Ex hoc contractu duæ naſcuntur Actiones contractui cognomines; nempe Actiones Commodati *Directa* & *Contraria*. *Directa* datur Commodanti adverſus Commodatarium, ejuſque hæ-

Δημοδίνει τῦ δωρεοδοκήματος δραχμὴν τῦ μηνὸς τῆς μνᾶς, ἕως τὸ κεφάλαιον ἀπέδοσαν. —— *Oritæ igitur has in anguſtias redacti, cum nulla iis ſuppeteret pecunia, talenti loco nummos ei publicos in pignus dabant, & hujuſce mercedis, quam nefariè lucratus eſt, uſuram Demoſtheni pendebant, donec totius ſummam pecuniæ perſolverint.*

redes

redes ad eandem ſpeciem finito uſu reſtituendam;—Actio *contraria* datur Commodatario adverſus commodantem, ejuſque hæredes ad indemnitatem, veluti ſi ſumptus haud modicos in rem fecerit; vel, ob vitium rei commodatæ celatum, damnum ſenſerit; vel, ob rem uſu nondum finito repetitam, detrimentum paſſus ſit.

13. DEPOSITVM eſt, quo rem noſtram, aut ad nos quocunque modo ſpectantem alterius fidei committimus, ut eandem gratis cuſtodiat. In quo requiritur ut res concredita diligenter cuſtodiatur; & quandocunque deponenti placuerit reſtituatur, niſi ea reſtitutio Domino aut alias noxia ſit futura, eoque intuitu differenda ſit. Neque licebit re depoſita citra conſenſum domini uti, ſiquidem ea ullo modo per uſum fiat deterior, aut domini interſit, ne ea conſpiciatur. Ac ſi quis hoc auſus fuerit, quævis pericula, in quæ res ob uſum incidit, præſtabit. Sed nec licet rem depoſitam exuere illis vinculis, aut receptaculis, quibus a deponente fuit incluſa. Depoſitum alias in *ſimplex* dividitur, quod hactenus deſcriptum, & *Miſerabile*, quod fit ob tumultum, incendium, ruinam, naufragium. Cum autem valde turpe ſit,

Niſi ea reſtitutio Domino aut alias noxia ſit futura] Cic. de Offic. Lib. 1. ——*Sed incidunt ſæpe tempora, cum ea, quæ maximè videntur digna eſſe juſto homine, eoque quem virum bonum dicimus commutantur, fiuntque contraria; ut NON REDDERE DEPOSITVM, etiam ne furioſo promiſſum facere, quæque pertinent ad veritatem & ad fidem, ea negare interdum, & non ſervare, ſit juſtum.*— Senec. de Benef. IV. 10.——*DEPOSITVM REDDERE per ſe res expetenda eſt; non tamen ſemper reddam, nec quolibet loco, nec quolibet tempore. Intuebor utilitatem ejus, cui redditurus ſum, & nociturum illi Depoſitum negabo.*

Cum autem valde turpe ſit] Tam dirum videbatur crimen doloſè in depoſitis agendi veteribus, ut de depoſito negando cogitantes a Diis cum universâ familia exſtirpatum iri crederentur, quò pertinet Exemplum *Glauci* Spartani apud *Herodotum*, Lib. 6. 86.———Γλαύκῳ δὲ ἐπιρρέυετο ἐς Δελφοὺς χρησόμενος τῷ χρηστηίῳ. ἐπειρωτῶντα δὲ αὐτὸν τὸ χρηστήριον εἰ ὄρκῳ τὰ χρήματα λήϊσεται, ἡ Πυθίη μετέρχεται τοῖσδε τοῖσι ἔπεσι,

Γλαυκ' Ἐπικυδείδη, τὸ μὲν αὐτίκα κέρδιον ὅπα
Ὅρκῳ νικῆσαι, καὶ χρήματα λῃΐσασθαι·
Ὄμνυ· ἐπεὶ θανατός γε καὶ εὔορκον μένει ἄνδρα.
Ἀλλ' ὅρκου παῖς ἔστιν ἀνώνυμος, οὐδ' ἔπι χεῖρες,
Οὐδὲ πόδες· κραιπνὸς δὲ μετέρχεται, εἰσόκε πᾶσαν

Συμμάρψας

& fœdius furto depoſitum abnegare, tum id multo eſt turpius, ſi quis inficiatus fuerit Depoſitum miſerabile. Viciſſim a deponente ſumptus in rem depoſitam facti ſunt refundendi.

Συμμάρψας ὀλέσαι χρεὼν, κὴ οἶκον ἅπαντα·
Ανδρὸς δ' εὐόρκου χρυσὸς μετόπισθεν ἀμείνων.

Ταῦτα ἀκέσας ὁ Γλαύκῳ συγγνώμην τὸν θεὸν παρῃτέετο αὐτῷ χρῆν τῶν ξενθέντων· ἡ δὲ Πυθίη ἔφη, Τὸ πειρηθῆναι τὸ θεῦ, κὴ τὸ ποιῆσαι, ἶσον δύνασθαι. Γλαύκῳ μὲν δὴ μεταπεμψάμενος τοὺς Μιλησίους ξείνους ἀποδιδοῖ σφι τὰ χρήματα· τοῦ δὲ εἵνεκα ὁ λόγος, ὦ Αθηναῖοι, ὅδε ὡρμήθη λέγεσθαι ἐς ὑμέας εἰρήσεται. Γλαύκου νῦν ὔτε τι ἀπόγονόν ὅτι ἐστὶν, ὔτ' ἐστὶν οἰκήιον νομίζομενόν εἶναι Γλαύκου· ἐκτέτριπταί τε ριζηδὸν ἐκ Σπάρτης. ὕτω ἀγαθὸν μηδὲ διανοέεσθαι περὶ παρακαταθήκης ἄλλο γε, ἢ ἀπαιτέοντων ἀποδιδόναι.——*Glaucus Delphos ſe contulit ad oraculum conſultandum. Cui conſultanti an jurejurando pecuniam prædaretur, Pythia reſpondit his verſibus,*

Glauce Epicydides equidem expedit ad breve tempus
Sic orco viciſſe, intervertiſſeque nummos:
Dejera, & Euorcum quoniam manet exitus idem.
Aſt Orci natus, qui nomine, qui manibus, qui
Nullis eſt pedibus, rapidè advenit, uſque adeo dum
Convolvens omnem perdat prolemque, domumque;
Cum ſobole Euorci melius ſed poſtea agetur.

His auditis veniam ſibi eorum quæ dixiſſet, ut daret, Deum obſecrabat. Cui Pythia inquit, Idem pollere, tentare Deum & facere. Tunc Glaucus accitis Mileſiis hoſpitibus pecuniam reddidit. Cur autem hæc Oratio apud vos, O Athenienſes, inſtituta eſt dicetur. Glauci nunc nulla ſupereſt neque ſoboles, neque domus, quæ illius cenſeatur, ſed ex Sparta radicitus exſtirpata eſt. Ita bonum eſt nihil aliud de Depoſito cogitare quam ut repetentibus reddatur.

Juv. Sat. 13. v. 199.

Spartano cuidam reſpondit Pythia vates;
Haud impunitum quondam fore, quod dubitaret
DEPOSITVM retinere, & fraudem jure tueri
Jurando; quærebat enim quæ Numinis eſſet
Mens: & an hoc illi facinus ſuaderet Apollo.

Æſchines in Cteſiphontem. 31. Κύριοι τῆς Εὐβοίας γνώμῃσι, κὴ τὰς πόλεις αὐτὰς, κὴ τὰς πολιτείας ἀπέδοτε, ὀρθῶς κὴ δικαίως αὐτοῖς ξυγκαταθέμενοι· ἐκ ἡγεμένοι δίκαιον εἶναι τὴν ὀργὴν ἀπομνημονεύειν ἐν τῷ πίστευθῆναι.——*Eubœâ in ditionem veſtram redactâ, urbes omnes, & dominationem inſulæ iis, qui eam veſtræ tutelæ commendârant, ſumma cum æquitate & fide reſtituiſtis: iniquum ſcilicet eſſe rati, cum apud vos DEPOSITA eſſet, & COLLOCATA reſpublica, veteres ſimultates recordari.*

Plinius Epiſt. 97. Lib. 10. non putabat ſe luculentius probitatis teſtimonium præbere poſſe Chriſtianis, quam dum *eos ſe invicem ſacramento obſtringere* ait, *ne fidem fallant, ne DEPOSITVM adpellati abnegent.*

Juv. Sat. 13. v. 13.

Tu quamvis levium minimam, exiguamque malorum
Particulam vix ferre potes, ſpumantibus ardens
Viſceribus,

14. Ex hoc etiam contractu naſcitur Duplex Depoſiti Actio, *Directa* & *contraria*. *Directa* datur deponenti adverſus Depoſitarium ejuſque hæredes ad rem depoſitam in ſpecie cum omni causâ reſtituendam, reſarciendumque damnum dolo, & culpâ latâ datum.—*Contraria* datur depoſitario adverſus deponentem, ejuſve hæredes ad indemnitatem.

15. Ex *ſequeſtro* etiam naſcitur actio Sequeſtraria *directa & contraria*. *Directa* datur parti victrici adverſus Sequeſtrum ad rem depoſitam finita lite reſtituendam, & præſtandum dolum, & ſiquid præterea nominatim convenit.— Actio Sequeſtraria *contraria* eſt, quæ datur ipſi Sequeſtro adverſus Victorem, ad repetendum ſumptus & damna, ſi quid eorum Sequeſtrationis causâ fecit, paſſuſve eſt.

16. Sæpe quoque ſolet Creditori in ſecuritatem crediti tradi, aut aſſignari a Debitore certa quæpiam Res PIGNORIS aut HYPOTHECÆ nomine, quouſque iſtud fuerit exſolutum. Cujus finis eſt non ſolum, ut debitor ad ſolvendum urgeatur deſiderio rei ſuæ recuperandæ: ſed & ut in promptu ſit, unde ſibi ſolvatur. Inde regulariter & pignora tanti aut majoris eſſe ſolent, quam ipſum debitum. Cæterum res quæ pignori opponuntur ſunt vel *fructuoſæ* vel *ſteriles*. Circa priores ſæpe adjici ſolet pactum ἀντιχρήσεως, ſeu ut creditor loco uſuræ fructus iſtius pignoris percipiat. Circa poſteriores autem *Lex Commiſſoria*, ut nempe pignus cedat creditori, ubi intra certum tempus ſolutio non ſit

Viſceribus, SACRVM tibi quod non reddat amicus
DEPOSITVM.——

Et v. 60.

Nunc ſi DEPOSITVM non inficietur amicus,
Si reddat veterem cum tota ærugine follem,
Prodigioſa fides, & Tuſcis digna libellis,
Quæque coronatâ luſtrari debeat agnâ.

D. Apoſtolus bis voce παραθήκη utitur, nempe 1 *Tim.* VI. 20. & 2 *Tim.* I. 14. ubi Timotheum ſuum vult τὴν παραθήκην φυλάξειν, DEPOSITVM cuſtodire, id eſt, diligenter ſervare fidem, quam ut DEPOSITVM ipſi commendaverit.

facta. Id quod naturaliter iniquum non eſt, ubi pignus pluris non eſt, quam debitum, & uſura intermedii temporis, aut, ſi quod excedit, domino reſtituatur. Uti autem Creditor pignus ſolutione factâ debet reſtituere: ita interea non minorem quam propriis rebus illi cuſtodiam debet: & ubi *pactum antichreticum* non acceſſerit, ſitque talis res, quæ uſu atteratur, aut ſi debitoris ullo modo interſit, invito hoc eâdem uti non poteſt. Differt *Hypotheca* a *pignore*, quod hoc conſtituatur rei traditione; hæc autem, re non traditâ, conſtat nuda aſſignatione rei inprimis immobilis, ex qua, ſolutione non facta, creditor ſuo credito potiri queat.

17. Ex hoc contractu duplex datur Actio *Pignoratitia*, Directa & Contraria. *Directa* debito ſoluto datur Debitori adverſus creditorem, ejuſve hæredes ad rem oppignoratam cum omni cauſa reſtituendam, reſarciendaque damna culpa etiam levi data. *Contraria* contra Creditori competit adverſus debitorem ejuſve hæredes ad indemnitatem, veluti ſi creditor impenſas in pignus fecerit; ſi damnum inde paſſus ſit, ſi res aliena ipſi obligata fuerit.

TIT. XVI.

De Verborum Obligationibus.

1. Ut *Contractus reales* non ſolo conſenſu, ſed accedente rei datione, vel traditione ſubſtantiam capiunt: ita *verborum* obligationes non conſenſu, ſed verborum ſolemnitate perficiuntur.

2. Hujuſmodi contractus olim erant tres, ſolennis *dotis Dictio*, —*Promiſſio operarum* a Liberto facta;—& *Stipulatio*; quæ cum

Differt Hypotheca a pignore] Hanc lingua vernaculâ dicimus *a Mortgage*; illud vero, *a Pawn*.

Dotis dictio] Dos, (ut ſuprà obſervatum eſt) vel DABATVR, ſi obſignata apud auſpices deponebatur;—vel PROMITTEBATVR, reſpondendo ad ſtipulationem.—Vel DICEBATVR verbis ſolennibus, ſed a ſtipulatione diverſis, qualia fortaſſis illa apud *Terent*. Andr. Act. 5. Scen. 4. v. 47.

——Dos, Pamphile, eſt
Talenta quindecim. PA. *——Accipio.*

ſola

ſola locum in libris noſtris invenerit, de eâ ſola hic agendum videtur.

3. STIPVLATIO eſt *Contractus unilateralis, quo quis ad alterius interrogationem congruè & in continenti reſpondendo ad dandum aliquid, vel faciendum, quod alterius intereſt, obligatur.* Quum enim

STIPVLATIO &c.] Stipulatio erat conceptio verborum quibus is, qui interrogabatur, daturum facturumve ſe, quod interrogatus erat, reſpondebat. Unde & *Interrogatio* nonnunquam ſimpliciter dicitur, & Græcis ἐπερώτησις, vel ὁμολογία ἡ ἀπὸ ἐρωτήσεως, ex quo forſan pateat cur Baptiſmus vocetur συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα εἰς Θεὸν. 1 Pet. III. 21. Interrogationes enim baptiſmales & reſponſiones baptizati, vel ſponſorum, ſtipulationum inſtar ſunt— *Crediſne? Credo. Abrenuncias? Abrenuncio.* In inſcriptione apud *Sponium.* Itin. Tom. 2. p. 339. ἐπερωτήμα eſt *Stipulatio.* ΚΑΤΑ ΕΠΕΡΩΤΗΜΑ ΤΗΣ ΕΞ ΑΡΕΟΥΠΑΓΟΥ ΒΟΥΛΗΣ.——Ceterum qui ſtipulabatur, eum *interrogare* dicebant, vel *rogare.* Is, a quo quis ſtipulabatur, *ſpondere,* vel *promittere* dicebatur- Plaut. Pſeud. I. 1. v. 112.

PS. *Roga me viginti minas,*
Ut me effecturum tibi, quod promiſi, ſcias;
ROGA. CA. *Obſecro hercle.* PS. *Geſtio* PROMITTERE.

Unde & quid ſit REVS STIPVLANDI, quid REVS PROMITTENDI facile adparet.

Neceſſe vero erat, ut ad interrogationes *congruè* reſponderetur; veluti SPONDES? SPONDEO. PROMITTIS? PROMITTO. DABIS? DABO. FACIES? FACIAM. Sic eodem loco Plautus, v. 115.

CA. *DABISNE argenti mihi hodie viginti minas?*
PS. *DABO.*——

Ejuſdem tamen efficaciæ erat reſponſio concepta *imperſonaliter,* qualis eſt illa apud eundem Plaut. Pſeud. IV. 6. v. 14.

SI. *Nullum periculum eſt, quod ſciam STIPVLARIER.*
Ut occæpiſti verba, viginti minas
DABIN'? BA. *DABVNTVR.*——

Tales Interrogationes & reſponſiones factas obſervamus in ferendis legibus, plebiſcitiſque, in rogando ſenatu, in arrogationibus, contrahendis nuptiis, pangendis fœderibus, facienda deditione; ut facile adpareat, præcipuum ſemper animi deliberati ſignum Romæ viſum eſſe interrogationem, ac ſequutam reſponſionem congruam.

Si non congruè reſponderetur, inutilis erat Stipulatio. Exemplum eſt apud Plaut. Trinum. v. 2. v. 34. &c. Quum enim interroganti Lyſiteli, *Sponden' ergo tuam gnatam uxorem mihi?* Reſponderet Charmides: *Spondeo, & mille auri Philippum dotis:* inutilis erat Stipulatio. Et hinc quum denique inter eos de dote quoque conveniſſet, repetebatur Stipulatio v. 39.

LY. *Iſthac lege filiam tuam Sponden' mihi uxorem dari?*
CH. *Spondeo.*——

nuda rei futuræ promiſſio jure Romano actionem non produceret, inventa eſt *Stipulatio*, quâ, qui rem in futurum promittit, obligaretur.

4. Quum vero vel *certum* quid promitti poſſit, veluti ſpecies vel quantitas: vel *incertum*, veluti genus vel factum: ipſa quoque ſtipulatio vel *certa*, vel *incerta* eſt.

5. Quandoquidem etiam vel *purè*, vel *ſub conditione*, vel *in diem* promittitur; ſtipulatio in *puram*, *conditionalem* & *in diem conceptam* rectè dividitur. *Purè* fit Stipulatio ſine ulla temporis vel conditionis adjectione: veluti, *Quinque aureos dare ſpondes?* Cujus is effectus eſt, ut quod promiſſum eſt purè, confeſtim & debeatur, & peti poſſit, quia ſtatim & *ceſſit*, & *venit* dies.— *Sub conditione* fit Stipulatio, cum obligatio differtur in aliquem caſum, id eſt, ſi aliquid factum fuerit, aut non fuerit: veluti, *Si Titius conſul factus fuerit, quinque aureos dare ſpondes?* Ex cujuſmodi ſtipulatione conditionali dicitur neque cedere, neque venire dies ante conditionis eventum.— *In diem* fit Stipulatio, cum dies ſive tempus certum adjicitur, quo pecunia ſolvatur, vel quod promiſſum eſt fiat: veluti, *Decem aureos primis Kalend. Martiis dare ſpondes?* Cujus ſtipulationis dies quidem ceſſit, id eſt, contracta eſt obligatio, ſed nondum venit, id eſt, peti id, quod promiſſum eſt, & intentari actio non poteſt, antequam totus dies effluxerit, quia is totus arbitrio ſolventis tribui debet, quippe in favorem debitoris adjectus.

6. Ex ſtipulatione tanquam contractu μονοπλεύρῳ una naſcitur actio illi cognominis *ex ſtipulatu*, quamvis illa, ſi *certum* petitur, *Actio certi*; ſin *incertum*, *actio incerti ex ſtipulatu* vocetur.— Utraque datur ſtipulanti adverſus promittentem ejuſve hæredem ad dandum faciendumve, quod promiſit.

JUS ANGLICANUM. ad Tit. XVI.

Notandum eſt hanc verborum obligationem a noſtris *ſimplicem contractum* appellari, neque ſpondentem teneri, niſi συνάλλαγμα aliquod, aut (ut illi loquuntur) *conſideratio*, vel quid pro quo interceſſerit. Sola vero ſtipulatione non ſæpe contrahitur apud Anglos, præſertim in rebus magni momenti.

TIT.

TIT. XVII.

De Duobus Reis Stipulandi & Promittendi.

1. Non ſolum unus, ſed plures quoque aliquando ſibi quid vel ſtipulantur, vel promittunt, & tunc ordinariè valet regula : — *Si duo pluresve promittunt, vel duobus pluribusne promittitur, ſinguli pro parte & obligantur, & jus ex ea ſtipulatione adquirunt.*

2. Sed hæc regula non caret exceptione. Quod ſi enim qui promittunt ſunt REI PROMITTENDI, obligatio inter eos non eſt diviſa, ſed ſinguli in ſolidum tenentur. Contra, ſi, qui ſibi ſtipulati ſunt, ſunt REI STIPVLANDI, ſingulis ſolidum debetur.

3. REI alias *ſpeciatim* dicuntur ii, unde petitur : *generatim* ii, quorum de re diſceptatur. Unde & actor & reus communi vocabulo REI dicuntur *Pomponio*, adeoque & jureconſultis ratio fuit hoc vocabulo & promittentes & ſtipulantes adpellandi.

4. REI ergo promittendi ſunt, qui alteri una oratione omnes interroganti congruè reſpondent, ſeque ſingulos in ſolidum idem daturos, facturoſque ſpondent.

5. REI STIPVLANDI ſunt, quibus ſeparatim ſibi eandem rem in ſolidum ſtipulantibus debitor eam ſe daturum, facturumque ſpondet. veluti, Si *Titius* interrogaret ; *Spondeſne mihi dare mille Philippûm ?* Et *Mævius*, *Spondeſne mihi dare item mille Philippûm ?*

Generatim ii, quorum de re diſceptatur] Cic. de Orat. Lib. 2. §. 183. —— *Sed genus hoc totum orationis in iis cauſis excellet, in quibus minus poteſt inflammari animus judicis acri & vehementi quadam incitatione. Non enim ſemper fortis oratio quæritur, ſed ſæpe placida, ſummiſſa, lenis, quæ maximè commendat REOS. REOS autem appello, non eos modo, qui arguuntur, ſed omnes quorum de re diſceptatur.* Et §. 321. —— *Sed cum erit utendum principio, (quod plerumque erit) aut ex reo, aut ex adverſario, aut ex re, aut ex eis, apud quos agitur, ſententias duci licebit. Ex reo (REOS appello, quorum res eſt) quæ ſignificent Virum bonum, quæ liberalem, quæ calamitoſum, quæ miſericordiâ dignum, quæ valeant contra falſam criminationem.*

Rei ergo promittendi] Exemplum eſt apud Plaut. Trinum. V. 2. v. 39. ubi *Lyſiteli* Juveni interroganti, *Iſthac lege filiam tuam ſponden' mihi uxorem dare ?* Non ſolum *Charmides* Socer reſpondet *Spondeo*, ſed & *Callicles* amicus addit: *Et Ego ſpondeo idem hoc.*

Et

Et *Sempronius* reſponderet: *Utrique veſtrum dare ſpondeo*; *Titius* & *Mævius* eſſent duo rei ſtipulandi.

6. Quum itaque rei promittendi in ſolidum teneantur, conſequens eſt, ut ſinguli poſſint conveniri in ſolidum;—ut unus reorum creditori quocunque modo ſatisfaciendo obligationem perimat;—ut non gaudeant *beneficio Diviſionis*, niſi correi reciprocâ fidejuſſione ſint obligati.

7. Quumque contra reis Stipulandi ſingulis ſolidum debeatur, ſequitur ut ſinguli poſſint exigere ſolidum;—ut ſi uni quocunque modo ſatisfactum ſit, reliquorum jus exigendi perimatur.

TIT. XVIII.

De Stipulationibus Servorum.

1. Servus nec perſona eſt, nec ſibi quidquam adquirit, ſed Domino; ergo & ſtipulatione ſibi nihil, Domino omnia adquirit; quia non niſi ex perſona Domini ſtipulandi jus habet.

2. Hodie, quum & rarior fit Servitus; & homines *proprii* vel *adſcriptitii*, qui ſuperſunt, Dominis non omnia adquirant, totus hic titulus ferè nullius uſus eſt.

TIT. XIX.

De Diviſione Stipulationum.

1. A perſonis, quæ vel ſtipulari jubent, vel ſtipulantur, ſtipulationes dividuntur in *Prætorias*, *Judiciales*, *Communes*, & *Conventionales*.

2. PRÆTORIÆ ſunt Stipulationes, vel Cautiones, quæ a mero Prætoris officio proficiſcuntur; Quo & Ædilitiæ referuntur.

JUS ANGLICANUM. ad Tit. XVII.

Duo rei ſtipulandi noſtro quoque jure eſſe poſſunt; ſed frequentiores ſunt duo vel plures rei promittendi: quia vix hodiè reperitur, qui cuiquam ſoli majorem pecuniæ ſummam credere velit.

Quæ a mero Prætoris officio proficiſcuntur] Diſtinctum erat Romæ Prætoris

—IVDICIALES, quæ a mero Judicis officio;—COMMVNES, quæ ab utriuſque;—CONVENTIONALES, quæ ex conventione utriuſque partis concipiuntur.

3. PRÆTORIA, exempli gratia, erat *Cautio damni infecti*, quâ Prætor rei vitioſæ, veluti ædium ruinoſarum, Dominum, vel eum, qui Domini loco habebatur, jubebat vel promittere, vel ſatiſdare vicino, cui damnum imminebat, ſe reſarciturum damnum, ſi intra certum diem contigerit. Nolentem ſatiſdare miſſione in bona ex primo, ac deinde ex ſecundo decreto coercebat. —Ejuſdem generis eſt *Cautio Legatorum ſervandorum cauſa*, qua Hæres, Legatariuſve legatum poſt tempus, vel conditionis eventum debens a Prætore jubetur cavere, ſe ſine omni dolo malo legatum præſtiturum, quum dies venerit.

4. JUDICIALIS eſt *Cautio de Dolo*, qua is, qui ad rem reſtituendam condemnatus eſt a Judice jubetur cavere ſe rem cum omni cauſa ſine fraude reſtituturum.—Ita & a Judicis officio proficiſcitur *Cautio de perſequendo Servo, qui in fuga eſt*, ab eo exigi ſolita, qui hominem per vim extorſit, ſi eum poſtea fuga abſtulerit.—Ejuſdem naturæ eſt *Cautio de pretio reſtituendo*, ſi res promiſſa præſtari ab uno cohæredum in ſolidum jubeatur, ut reliqui cohæredes eum indemnem præſtent.

5. COMMVNES ſunt cautiones *Rem Pupilli ſalvam fore*, & *Cautio de Rato*, quam præſtare jubetur Procurator, cujus de mandato dubitatur.

6. CONVENTIONALIVM tot fere ſunt ſpecies, quot rerum contrahendarum; nullus enim ferè erat Contractus, cui non ſubjiceretur Stipulatio.

toris & Judicis officium. *Prætor* Magiſtratus erat; *Judex* privatus. Ille *jus dicere*, Hic *judicare* dicebatur: Ille *pro Tribunali*, Hic *de plano* vel ex ſubſellio, unde & *Pedaneus* dicebatur: Ille denique *de jure* cognoſcebat, & hinc Actionem, Exceptionem, Replicationem &c. audiebat, conteſtatâque Lite dabat Judicem: Hic *de facto* cognoſcebat, & ex formula a Prætore præſcripta ferebat ſententiam. Si Prætor, non dato Judice, ipſe toti cauſæ præerat, *extra ordinem* judicare dicebatur.

TIT.

TIT. XX.

De Inutilibus Stipulationibus.

1. Stipulationes aliquando vel ratione *perſonarum contrahentium*, vel ratione *rerum*, quæ in ſtipulationem deducuntur, vel ratione *formæ* ſtipulationis INVTILES habentur.

2. Quod ad *Perſonas contrahentes* attinet, inutiles ſunt Stipulationes infantium, furioſorum & mente captorum, ſurdorum & mutorum.—Prodigi & infantiâ majores pupilli poſſunt quidem ſibi ſtipulari, ſed non aliis ſpondere, vel ſe obligare niſi *auctore* Tutore.

3. Ratione *Materiæ* in ſtipulationem deduci nequeunt Res, quæ non ſunt in commercio;—Res quæ nec exiſtunt, nec exiſtere poſſunt; nam ſi non exiſtant, ſed exiſtere poſſunt, omninò valet Stipulatio, veluti, ſi quis ſibi ſtipuletur fructus futuros;—Res noſtræ;—Res alienæ, in caſum ſi noſtræ futuræ ſunt;—item Res turpes, quæ per leges præſtari nequeunt.—Quia vero & alium promiſſione noſtrâ obligare non poſſumus, fruſtrà promittitur alium daturum vel facturum; quod ſi tamen quis dicat ſe effecturum, ut alter det, vel faciat, vel indemnitatem promittat, utilis erit promiſſio, quia non *alium*, ſed *ſe* hac ſtipulatione obſtrinxit.

4. Ratione *Formæ* quoque haud paucæ Stipulationes ſunt inutiles; veluti, ſi promiſſor, & Stipulator non de eâdem re ſentiant;—ſi non in nomine, ſed perſonâ alterius erretur, veluti, ſi *Titio* promiſſurus, *Caio* promittat;—ſi conditio adjecta ſit impoſſibilis;—ſi cauſa debendi deſit;—ſi ſtipulatio ſit perplexa, non vero ſi ſit præpoſtera. *Perplexæ* vocantur Stipulationes, quæ ita concipiuntur, ut exitum habere nequeant, veluti, *Si Titio totum dederis fundum Tuſculanum, an eundem Mævio dare ſpondes?* *Præpoſteræ* contra ſunt, ubi promittitur in præſens, & tamen dies futurus, vel conditio adjicitur, veluti, *Si navis cras ex Aſia rediſrit, an hodie dare ſpondes?*

5. Quum

5. Quum externa forma Stipulationis in interrogatione, & reſponſione congruâ conſiſtat, conſequens eſt, ut inutilis ſit Stipulatio, ſi aliud reſponſum ac rogatum, exempli gratiâ, ſi purè rogatus ſub conditione ſpondeat.

6. Abſentes inutiliter ſtipulantur, nec fit ſtipulatio per Epiſtolam, vel nuncium; Si tamen ſcriptum ſit, omnia facta *ſolenniter*, pro ſcriptura militat præſumptio & veritatis, & ſolennitatis.

TIT. XXI.

De Fidejuſſoribus.

1. Obligatur quiſque aut proprio nomine, ſive *principaliter*; aut nomine alieno, ſive *acceſſoriè*, dum ſcilicet pro alieno debito ſe ita obſtringit, ut ei accedat, manente principali obligato. Eorum, qui ſic obligantur, tres ſunt ſpecies, Mandatores, pecuniæ conſtitutæ rei, & Fidejuſſores. *Mandator* eſt, cujus mandatu quis pecuniam credit certæ perſonæ.—*Pecuniæ conſtitutæ reus*, qui pecuniam debitam ſe ſoluturum conſtituit nudo pacto.—*Fidejuſſor* eſt, qui alienæ obligationi mediante ſtipulatione, & ſine *novatione* accedit. Qui enim alterius obligationem *novando* in ſe ſuſcipit, liberato priore reo ſeipſum obligat, & *Expromiſſor* vocari ſolet.

Fidejuſſor] Veteres, quos noſtri Fidejuſſores poſtea dixerunt, appellabant *Sponſores*. Cic. ad Attic. Lib. 1. Epiſt. 8.—*Tulliola, noſtræ deliciæ, tuum munus flagitat, & me SPONSOREM adpellat.* — Et alibi ad Famil. Lib. 6. Epiſt. 18.—*De negotio tuo, quod SPONSOR es pro Pompeio, ſi Galba conſponſor tuus redierit*, &c. — Si fides *Auſonio* danda eſt, qui dabantur in rebus criminalibus *vades* appellabantur; qui in cauſis civilibus *prædes*.—Idyll. 12.

Quis ſubit in pœnam capitali judicio? VAS.
Quis, quum lis fuerit nummaria? Quis dabitur? PRÆS.

Sed ſi antiqui eam obſervârunt inter has voces differentiam, ſane eam neglexerunt poſteri, qui in quocunque judicio ſive *civili*, ſive *capitali* VADES exigebant.

Hor. Lib. 1. Sat. 1.

Ille datis VADIBVS, qui rare extractus in urbem eſt.

2. Quum ergo Fidejuſſio ſit Stipulatio, ſequitur, ut qui ſpondendo obligare ſe non poſſunt, nec poſſint fidejubere, ut furioſi, mente capti, infantes & infantiæ proximi, ſurdi & muti, Pupilli & minores ſine Tutorum auctoritate, vel Curatorum conſenſu.

3. Quandoquidem porro Fidejuſſio eſt contractus acceſſorius, accedere ſanè poteſt omnibus obligationibus ex contractu quolibet, nec non obligationibus ex delicto, ſi *pecuniaria* pœna, non ſi *corporalis* immineat.

4. Etſi autem ad majorem ſummam fidejuſſor, quam debitor principalis teneri non poſſit, non tamen repugnat iſtum, quam hunc arctius teneri; quippe quum huic plus quam illi fidei fuerit habitum.

5. Denique quum Fidejuſſor in ſubſidium teneatur, ſequitur ut reo principali non ſolvente, Fidejuſſor, ejuſve hæredes obligentur;——ut plures Fidejuſſores teneantur in ſolidum;——ut adverſus Fidejuſſores, reo non ſolvente detur *Actio ex Stipulatu*; ——ut, ſi quis ad certum tempus cum proteſtatione fidejuſſerit, lapſu temporis liberetur *per exceptionem pacti*, vel *doli*.

6. Olim ſinguli Fidejuſſores tenebantur in ſolidum, liberumque erat creditori, a quo vellet, ſolidum petere, quemadmodum & in ejus poſitum erat arbitrio, debitoremne an fidejuſſorem, ejuſve hæredes convenire mallet; ſed hic veteris juris rigor poſtea ſublatus eſt; Tria enim Fidejuſſoribus competunt Beneficia, *Diviſionis*, *Ordinis*, & *cedendarum Actionum*.

7. Beneficium DIVISIONIS epiſtola D. *Hadriani* conceſſum id indulget fidejuſſori, ut in ſolidum conventus, poſſit exceptione interpoſitâ impetrare, ut obligatio inter confidejuſſores dividatur, & creditorem a ſingulis, dum ſolvendo ſint, partes petere oporteat.

8. Beneficium ORDINIS (quod etiam *Excuſſionis* vulgo vocant) a *Juſtiniano* inventum fidejuſſori a creditore convento indulget, ut exceptione hac oppoſitâ, non teneatur ſolvere, priuſquam excuſſus ſit reus principalis.

9. Beneficium

9. Beneficium CEDENDARVM ACTIONVM fidejuſſori uni in ſolidum ſoluturo indulget, ut antequam ſolvat, creditor ei actiones adverſus confidejuſſores cedere teneatur, quibus quod ultra ratam ſolvit, a confidejuſſoribus repetere poſſit.

10. Cæterum non dubium eſt, quin illis beneficiis uti non poſſit fidejuſſor, qui illis manifeſto renunciavit. Nec ratio juris patitur, ut gaudeat fidejuſſor vel *ordinis* beneficio, cum debitorem abeſſe, aut non ſolvendo eſſe conſtat; vel *Diviſionis*, cum cæteros fidejuſſores fruſtra conveniri manifeſtum eſt.

TIT. XXII.

De Literarum Obligationibus.

1. Non ullius temerè conventionis obſcurior nobis natura eſt, quam contractus, qui *literis* initur; in quo explicando adeo fluctuant eruditi, ut quem potiſſimum ſequaris, vix adpareat. Quemadmodum vero Contractus *reales* REI traditione; *verbales* VERBORVM ſolennitate; *conſenſuales* ſolo contrahentium CONSENSV; ita *literalis* LITERIS perficitur & capit ſubſtantiam.

2. Literarum obligationem aliam *veterem* & *antiquatam*, aliam

JUS ANGLICANUM. ad Tit. XXI.

Quem jus civile *Fidejuſſorem*, eum jus noſtrum *Plegium* vocat. Cum ergo quid creditur alicui, ſolet id plerumque credi ſub plegiorum datione. Quo caſu, ſi principalis debitor ita inde defecerit, ut non habeat, unde ſolvere poſſit, tunc demum recurrendum erit ad Plegios, & non antea.

Tenentur autem Plegii, ſi plures fuerint, ſinguli in ſolidum, niſi aliter convenerit, quando ſe plegios inde fecerint, & ad id ſatisfaciendum ſimul ſunt diſtrigendi; ita ut ſi plures dati fuerint Plegii, & aliqui, vel aliquis eorum non habeant unde reddere poſſint, ipſum onus acquietantiæ ad cæteros vel in totum ſpectat, vel in quantum illi defecerint.

Verum ſi debitore aliquo plegiando Plegii pro certis partibus dati fuerint, quicquid de quibuſdam eorum plegiorum contigerit, reliqui non niſi pro partibus ſuis inde reſpondere cogentur.

Plegii autem, ſi ob defectum principalis conveniantur, & pecuniam promiſſam ſolvere cogantur, actionem ſuam contra eum habent.

novam proponit *Imperator.*——*Vetus* eſt, quæ *nominibus* fieri dicebatur, quod Creditor & Debitor quiſque in ſuo libro accepti & expenſi *nomen*, ſeu debitum ſcriberet, ſcriptumque prolatis utriuſque tabulis probaret, quod nunc fit ſolo debitoris chirographo.

Quæ nominibus fieri dicebatur,] Romæ olim moris fuit, ut unuſquiſque paterfamilias tabulas domi haberet, in quibus, quicquid per ſingulos dies vel acciperet, vel expenderet, perſcribebat, ut Cicero in Orat. pro Cluentio, cap. 14. demonſtrat. — *Tum repente Anconitanum quendam L. Clodium, Pharmacopolam circumforaneum, qui caſu tum Larinum veniſſet, aggreditur, & cum eo H—S. quadringentis, id quod ipſius TABVLIS tum eſt demonſtratum, tranſigit L. Clodius.*——De harum tabularum fide cenſores quinto quoque anno cives ad jusjurandum adigebant, atque hinc fidem in judiciis facere ſolebant.—— Cicero pro Q. Roſcio Comœdo.——*Quod ſi ille ſuas proferet tabulas, proferet ſuas quoque Roſcius; erit in illius tabulis hoc nomen; at in hujus non erit; cur potius illius, quam hujus credetur? Scripſiſſet ille, ſi non juſſu hujus expenſum tuliſſet? Non ſcripſiſſet hic, quod ſibi expenſum ferri juſſiſſet? Nam, quemadmodum turpe eſt ſcribere, quod non debeatur; ſic improbum eſt non referre, quod debeas; æquè enim tabulæ condemnantur ejus, qui verum non retulit, & ejus, qui falſum perſcripſit.*——Itaque *nominibus* obligatio contrahebatur, cum in tabulis perſcribebatur aliquem alicui certam pecuniam debere; neque aliud erat NOMINA FACERE, quam in tabulas referre, aliquid alicui deberi. Atque hinc eſt, quod Obligationes ſeu debita appellantur NOMINA. Latius hæc explicat, & veterum teſtimoniis, præſertim *Ciceronis* confirmat *Hotomannus.* Inde etiam, qui mutuam ſumebant pecuniam SCRIBERE dicebantur, qui reſtituebant RESCRIBERE. Hinc Horat. Ser. II. 3. v. 69.

SCRIBE decem a Nerio.——

Et v. 75.

Putidius multo cerebrum eſt (mihi crede) Perilli
Dictantis, quod tu nunquam RESCRIBERE poſſis.

——Epiſt. II. 1. v. 105.

SCRIPTOS NOMINIBVS CERTIS expendere nummos.

Terent. Phor. V. 7. v. 29.

Sed tranſi ad forum, atque illud mihi
Argentum rurſum jube RESCRIBI, Phormio.

——Phal. Epiſt. 17.——Οὐ δίδόναι χάειτας οἴομαι δωρέμθυ ἀγαθοῖς ἀνδράσιν, ἀλλὰ πολὺ μᾶλλον παρ' αὐτῶν λαμβάνειν. ὅθεν ἀξιῶ μὴ ὡς προδεδωκότα με χάειν, ἀλλ' ὡς πρόσθε ὀφείλοντά σοι, ἀφ' τὸ βεβλῆσθαί σε λαβεῖν, ἃ ἐπέμψαμεν, ΓΡΑΦΕ.——*Non conferre me, ſed accipere potius exiſtimo, quæ in bonos colloco beneficia. Quare cum ea, quæ miſimus non dedignatus fueris, me non ut illum, qui prior dederit, ſed qui inſuper debeat, reputes.*

3. *Nova*

3. *Nova Literarum obligatio* eſt, cum quis ſpe futuræ numerationis chirographo ſe pecuniam debere confeſſus eſt, quæ numerata non fuit, ſed tamen, tanquam præſumptum mutuum ſolvenda eſt; niſi debitor intra biennium, vel chirographum condixerit; vel de eo ſaltem proteſtatus ſit apud Judicem ſuum, vel agenti creditori *exceptionem non numeratæ pecuniæ* oppoſuerit.

4. Hujus autem exceptionis ſingularis obſervanda eſt vis, quam habet tum intra biennium, tum poſt illud propoſita.—*Intra biennium* propoſita facit, ut creditor debitorem ſuo chirographo non poſſit convincere, ſed numerationem aliis documentis probare teneatur.—*Poſt biennium* autem propoſita adeo nullam habet vim jure civili, ut non attendatur, etſi debitor probare velit pecuniam numeratam non eſſe, atque ideo *Juſtiniano* dicitur obligatio naſci *ex literis*.

JUS ANGLICANUM. ad Tit. XXII.

Per ſcripturam quoque obligatur quis, ut ſi quis ſcripſerit alicui ſe debere; ſive pecunia numerata ſit, ſive non, ex ſcriptura obligatur: nec exceptionem non numeratæ pecuniæ contra ſcripturam habebit, quia ſcripſit ſe debere.

Literarum obligationes celſioris apud nos videntur eſſe naturæ, & magis ligare quam ſtipulationes. Nam ſi ſcriptura interceſſerit, conſiderationem, vel συνάλλαγμα exprimi non eſt neceſſe. Si verbalis contractus de re aliqua fiat, & deinceps Obligatio in ſcriptis inde contexatur, contractus ille prior penitus extinguitur, nec actionem aliquam dat, ſed ſolum Chirographum vires habet. Quod tamen in debito inſinuato, vel recordato, aut etiam alia obligatione priori in ſcriptis conceptâ aliter ſe habet. Literarum etiam obligatio verbali aliquo pacto de non petendo minimè tollitur.

Harum quoque duæ ſunt ſpecies, ſicut & Stipulationum; una nimirum *ſimplex* dicitur, qua debitor ſolum debitum agnoſcit, & ſe perſoluturum ſpondet;——altera *Conditionalis*, quæ majorem ſummam (utpote duplum) præ ſe fert, conditionemque habet annexam, quæ a pœnâ liberat, modo principale debitum die aſſignato perſolvatur.

Etiam hæc in Conventionalem, & judicialem recte dividitur. *Conventionalis* eſt illa, quæ ex conſenſu partium coram privatis hominibus ſcribitur, conſignatur & traditur. *Judicialis*, quæ coram Judice aliquo, ſeu ſaltem Judicis vices ſupplente initur. Cujuſmodi ſunt *Recognitiones*, *Scripta de Statuto Mercatorio*, & *de Statuto Stapuli*.

In iſtis obligationibus literatoriis, ſicut & aliis ſcriptis, quæ noſtri FACTA dicunt, quædam ſunt de earum eſſentia, ideoque tam neceſſaria reputantur, ut

TIT. XXIII.

De Obligationibus ex Conſenſu.

1. Reliqui ſunt ex contractibus veris nominatis, qui CONSENSV ineuntur, non ita dicti, quod in iis conſenſus requiritur, (ita enim omnes contractus eſſent conſenſuales,) ſed quod *ſolo conſenſu* perficiuntur, & nec *rem*, nec *verba* nec *Literas* ad ſui ſubſtantiam exigunt.

2. Ex quo ſequitur, ut omnes ſint *bonæ fidei*, quamvis non omnes contractus bonæ fidei ſint conſenſuales;—ut & inter abſentes, & ſolo nutu, & tacitè rectè celebrentur.

3. Eorum quinque ſunt, *Emptio Venditio*, *Locatio Conductio*, Contractus *Emphytenticus*, (cui Zeno Imp. ſeparatam a reliquis naturam tribuit,) *Societas*, & *Mandatum*.

TIT. XXIV.

De Emptione & Venditione.

1. *Emptio & Venditio* eſt Contractus conſenſualis de re pro certo pretio tradenda.—Ergo ad ſubſtantiam hujus contractus pertinent, 1. *Conſenſus*. 2. *Res* vel *merx* de qua conſentitur. 3. *Pretium*, in quod uterque conſentit.

2. Quum itaque conſenſu hic contractus capiat ſubſtantiam, perfecta erit emptio venditio, ſimulac de pretio rei conventum eſt: niſi inter contrahentes convenerit, ut emptio in ſcripto ce-

ut ſine principalis obligationis interitu abeſſe nequeant: quædam vero, quæ minus requiruntur, quia ad earum firmitatem minus faciunt. *Prioris generis* ſunt Scriptio in charta, vel pergameno, Sigillatio, & Traditio. *Alterius* vero *Indictio* ſive *Datus*, cujus omiſſio vires obligationis non enervat.

Ut omnes ſint bonæ fidei,] Cic. de Offic. Lib. III.—*Quinctus quidem Scævola Pont. Max. ſummam vim eſſe dicebat in omnibus iis arbitriis, in quibus adderetur, EX FIDE BONA, Fideique bonæ nomen exiſtimabat manare latiſſimè, idque verſari in Tutelis, Societatibus, Fiduciis, Mandatis, Rebus emptis venditis, conductis locatis, quibus vitæ Societas continetur.*

lebratur.

lebretur. Tunc enim non niſi omnibus partibus abſoluta ſcriptura perfectus habetur Contractus.

3. Ex quo porro conſequitur, ut antequam vel conſenſu, vel ſcriptura perfecta ſit Emptio Venditio pœnitentiæ locus ſit, ſi emptor pœnitens id quod Arrhæ nomine dedit perdere; venditor autem receſſurus, duplum ejuſdem reſtituere velit;—ut perfecta emptione venditione pœnitentiæ nulla ſit facultas, etiamſi quis arrharum damnum pati, & vel quod intereſt, vel duplum pretium emptori præſtare paratus ſit.

4. Ex eodem axiomate infertur ad emendum vendendumque, niſi urgente æquitate, vel utilitate publicâ, neminem cogi poſſe, & emptionem venditionem vi metuque extortam ratam a Prætore non haberi.

5. Ex eadem ratione & *Dolus*, qui cauſam emptioni venditioni dedit, eam reddit nullam; non vero incidens, quippe qui conſenſum non impedivit; & hinc tantum parit *Actionem ex empto* ad id quod intereſt, vel *exceptionem doli.*

Ex eadem ratione & Dolus] Sunt vitia & qualitates, quæ incurrunt in oculos, quæque indicari ſupervacuum eſſet; quum, ſi quis in re fallitur, is cæcitatis ſuæ, ac negligentiæ pœnam meritò ferat, quo pertinet *Lis M. Marii Gratidiani* cum *C. Sergio Orata* apud Ciceronem de Offic. III. 16. Scientia enim utrinque par pares facit contrahentes.

Horat. 2. Epiſt. II. 13.

Ille feret pretium pœnæ ſecurus, opinor:
Prudens emiſti vitioſum.———

At Leges Romanæ, ut homines ſibi invicem hoc officium eo certius præſtarent, ſtatuerunt, ut in venditionibus, ea etiam quæ nota eſſent venditori vitia dicerentur, iſque reticentiæ pœnam ferret, qui quidquam diſſimularet. ——*Nam quum ex duodecim tabulis ſatis eſſet ea præſtari, quæ eſſent linguâ nuncupata; quæ qui inficiatus eſſet, dupli pœnam ſubiret, a jureconſultis etiam reticentiæ pœna eſt conſtituta. Quidquid enim eſt & prædio vitii, id ſtatuerunt, ſi venditor ſciret, niſi nominatim dictum eſſet, præſtari oportere.*——Cic. de Offic. III. 16. qui & alibi Cap. 12. diſputat, ſi Vir bonus *Alexandria Rhodum* magnum frumenti numerum advexerit in *Rhodiorum* inopiâ & fame, ſummâque annonæ caritate, ſi idem ſciat, complures mercatores *Alexandriâ* ſolviſſe, naveſque in curſu frumento onuſtas, petentes *Rhodum* viderit: dicturuſne id ſit *Rhodiis*, an ſilentio ſuum quam plurimo venditurus? De qua quæſtione videndi etiam *Grotius de jure Belli ac Pacis*, II. 12. & *Pufendorf. de jure Nat.*

&

6. Denique & *Error* conſenſui eatenus impedimento eſt, ut ſi in contractu, vel in re, ſeu corpore, ejuſve materiâ, univerſa, vel maxima ejus parte, vel in perſonâ erratum ſit, res inempta & Contractus nullus ſit; non, ſi error circa minimam partem materiæ, vel nomen proprium, vel qualitatem rei, vel circa acceſſiones commiſſus, ubi tantum Actio *quanti minoris* locum habebit.

7. Accedere oportet REM, de qua tradendâ contrahatur. Quales res ſunt omnes, quæ ſunt in commercio, etiam ſpes, veluti jactus retis;—res futuræ;—res incorporales, ut hæreditas & Actiones;—imo & res alienæ.

8. Non vero vænire poſſunt res exſtinctæ,—liberi homines, res divini juris,—publicæ,—merces peſtiferæ, & noxiæ,—res furtivæ, & litigioſæ.

9. Denique & conſentiri contrahentes debent in idem PRETIVM. Pretium autem in pecuniâ numeratâ conſiſtit. Ex quo inferunt, ſi alia res pro re detur, non eſſe *emptionem venditionem*, ſed *permutationem*.

& Gent. V. 3. 4.—Sic ne in venditionibus mancipiorum deciperentur emptores, jubebantur illa intereà, dum præconium fiebat, in orbem currere, ſaltare, ſeſe denudare, ut ſanitatem ſuam probarent ſpectantibus. Id ubi fiebat, mancipia dicebantur PRODVCI.
Terent. Eunuch. I. 2. v. 54.

Is ubi hanc forma videt honeſtâ Virginem,
Et fidibus ſcire, pretium ſperans, illico
PRODVCIT, VENDIT.——

Et Heauton. Act. I. Scen. I. v. 90.

Ancillas, Servos, niſi eos qui opere ruſtico
Faciundo facile ſumptum exercerent ſuum,
Omnes PRODVXI ac VENDIDI.——

Ob hanc cauſam, qui mancipia vendiderunt, vitia tam corporis, quam animi ſibi cognita excipere ſolebant. Hinc Horat. Lib. 2. Sat. 3.

——*Sanus utriſque*
Auribus atque oculis; MENTEM niſi Litigioſus
EXCIPERET Dominus, cum venderet.——

Non eſſe emptionem venditionem, ſed permutationem.] Antiquiſſima ratio commutandi inutilia cum utilibus & comparandi res neceſſarias *Permutatio* fuit: quæ cum duo hæc incommoda haberet; unum, quod non ſemper

10. Cæterum idem pretium *verum* eſſe oportet, unde quod *dicis cauſa* datur, non facit emptionem venditionem;—& *juſtum*, unde ob læſionem enormem reſcinditur;—& *certum*, vel per ſe, vel per relationem ad aliam quantitatem; unde & in arbitrium tertiæ certæ perſonæ conferri poteſt, quæ, ſi pretium definiverit, ejus arbitrio ſtandum eſt; ſi non definiverit, Emptio venditio irrita eſt.

ſemper concurrebat, ut quod alter haberet, alter deſideraret; alterum, quod etſi concurreret, inæqualis tamen eſſet rerum æſtimatio. Invento tandem nummo, quo res cæteræ æſtimarentur, & qui menſura eſſet omnium, his difficultatibus occurſum eſt, cœperuntque homines res ſibi neceſſarias comparare pretio earum in nummis, ſeu pecunia numerata, viciſſim dato; quod genus Commercii Emptio & venditio appellatur, & ſecundum *Nervæ* ac *Proculi* Sententiam a permutatione multum diſtat. Magnus enim olim hac de re inter ſectas erat Diſſenſus. *Caſſiani* enim & *Sabiniani* putabant emptionem & re loco pretii fieri poſſe, & aſſumptionem probabant Auctoritate *Homeri*, qui libro ſeptimo *Iliad:* refert Græcos vinum ex *Lemno* advectum ſibi comparaſſe ære, ferro, tergoribus, bobus, mancipiis, utens verbo οἰνίζεσθαι, quod eſt οἶνον ἀγοράζειν, *vinum emere, mercari.*

Νῆες δ' ἐκ Λήμνοιο παρέξασαν οἶνον ἄγουσαι·——
——Ἔνθεν ἀρ' οἰνίζοντο καρηκομόωντες Ἀχαιοὶ,
Ἄλλοι μὲν χαλκῷ, ἄλλοι δ' αἴθωνι σιδήρῳ
Ἄλλοι δὲ ῥινοῖς, ἄλλοι δ' αὐτῆσι βόεσσιν,
Ἄλλοι δ' ἀνδραπόδεσσι.———

Advecta e Lemno tunc vina fuere carinis;——
——Inde capillati ſibi vina parare Pelaſgi:
Ære micante alii, nitido pars altera ferro,
Pars bubulis tergis, ipſis plerique juvencis,
Pars quoque mancipiis.———

Alium locum ejuſdem Poetæ, & qui magis pro hac ſententia facit ſubminiſtrat *Paulus* ex libro 1. Odyſſ. circa finem.

Τὴν πότε Λαέρτης πρίατο κτεάτεσσιν ἑοῖσιν.

Quam olim Laertes emerat poſſeſſionibus ſuis.

Sed *Nerva* & *Proculus* ita *permutari*, non *emi* adſeverabant, & ſimiliter loco *Homeri* ex Lib. 6. Iliad: adjuvabantur, ubi Poeta refert *Glaucum* centum boum arma aurea permutaſſe cum æreis *Diomedis* armis novem boum. Quo loco utitur verbo ἀμείβω, quod eſt proprium permutationis. Sed litem ſecundum *Proculianos* dedit Imperator.——Fuſius de hac quæſtione diſſerit *Pufendorfius* de jure Nat. & Gent. Lib. 5. Cap. 5.

11. Emptor tenetur ad pretium ſolvendum, venditor ad traditionem. Unde ſequitur ut pretio nondum ſoluto, vel ſatisfactione alio modo non præſtitâ, ne traditione quidem res fiat accipientis, niſi fidem emptoris ſequutus ſit venditor;——ut pretio non oblato nec agere emptor ad traditionem poſſit;——ut nec venditor rectè agat ad conſequendum pretium, ſi illi obſtet *exceptio rei venditæ, non traditæ*;——ut par ſit ex hoc contractu utriuſque commodum & incommodum, & hinc alter alteri teneatur etiam ad culpam levem.

12. Caſum alias ſentit Dominus; ſed in Emptione venditione, quamvis ante traditionem Dominus ſit venditor, periculum tamen & commodum rei venditæ, perfecto contractu, ſtatim ad emptorem tranſit, niſi venditoris dolus, culpave ſaltem levis præceſſerit, vel venditor in ſe caſum ſuſceperit; vel res ex antiquo vitio perierit; vel venditæ ſint res ad pondus, numerum, menſuram, quarum periculum non tranſit, niſi poſtquam res adpenſæ, adnumeratæ, admenſæve ſunt; vel denique res ad guſtum vendita nondum deguſtata perierit.

13. Solent Emptionis venditionis contractui varia pacta adjici; uti eſt *Addictio in diem*, qua res ita venditur, ut liceat venditori meliorem conditionem ab altero intra certum tempus oblatam acceptare.——Item *Lex Commiſſoria*, quando ita convenit, ut ſi ad certum diem pretium non ſolvatur, res ſit inempta.——Item *Retractus*, ſeu pactum de retrovendendo, quod vel ita concipitur, ut ſi pretium intra certum tempus, aut quandocunque offeratur, Emptor rem teneatur venditori reſtituere; vel, ut ſi res offeratur, venditor pretium teneatur reſtituere; vel, ut ſi emptor ultro ſit iterum venditurus, prior venditor ad emendum præ cæteris admittatur, quod etiam dicitur jus πρωτιμήσεως.——Sic & frequens eſt, ut ex prædiis venditis aliquam ſibi particulam, aut certum ejus uſum recipiat venditor.——Eſt quoque emptionis genus, quod vocant *per Averſionem*, quando multæ res diſparis pretii non ſigillatim æſtimatæ, ſed conjunctim & velut confuſè taxatæ emuntur.——In eo modo venditionis, quæ vocatur *Auctio*, res

demum

demum illi addicitur, qui ex pluribus licitantibus plurimum obtulerit. Eſt denique & genus emptionis, quo non certa res, ſed probabilis tantum ſpes emitur, cui aleæ quid eſt admixtum; ſic ut neque emptor, ſi ſpes fefellerit, neque venditor, ſi ea multum ſupra fuerit, queri debeat.

14. Quum uterque ex hoc contractu ἀναλεύρω, & nominato ab initio ſtatim obligetur, duæ inde naſcuntur actiones *directæ* & contractui cognomines *Empti* & *Venditi*.

15. *Actione Empti* experitur emptor, qui jam ex ſua parte ſatisfecit contractui adverſus venditorem, ejuſve hæredem ad rem venditam tradendam cum fructibus, acceſſionibus, & omni cauſa, reſarciendumque damnum ſaltem levi venditoris culpâ datum.

16. *Actio Venditi* datur venditori, qui rem tradidit, adverſus emptorem ejuſve hæredes ad ſolvendum pretium cum uſuris a tempore moræ, ac damnum levi etiam culpâ datum ex æquo bonoque reſarciendum.

TIT. XXV.

De Locatione & Conductione.

1. Alter Contractus, qui conſenſu initur eſt *Locatio Conductio*, quæ eſt *Contractus Conſenſualis de uſu rei ad certum tempus, vel opera, pro certâ mercede præſtandis*. Qui vero agros conducit, *Colonus*; qui ædes, *Inquilinus*; qui vectigalia *Publicanus* adpellatur.

Qui vectigalia, Publicanus adpellatur.] Locationes apud Romanos vel *publicæ* fuerunt, vel *privatæ*. Publicas res qui conducebant, *Publicani* dicebantur, iique plerumque erant equites Romani, quos *Cicero honeſtiſſimos viros, & firmamentum cæterorum ordinum* vocat in oratione *pro Lege Manilia*. Quin quanto in honore fuerint apud Romanos maximè poſt *Ciceronis* ætatem, vel inde patet, quod *Veſpaſiani* Parenti Publicano poſita eſt Statua cum titulo ΚΑΛΩΣ ΤΕΛΩΝΗΣΑΝΤΙ, *Suet. Veſpaſ.* I. ——At ab exteris hi publicani tanto majori habebantur contemptui, maximè a *Judæis*, qui eos tanquam peſtem Reipublicæ, & generis humani propudium abominabantur. Matt. XVIII. 17.—Marc. II. 15. Immo, & ipſis Romanis poſtremo adeo exoſi eſſe cœperunt, ut ob iſtos quæſtus a Senatu alienarentur equites.

Diſtinguebant olim Romani inter Jus Tributorum, & Vectigalium. TRIBVTVM erat pecunia populo imperata, quæ *tributim* a ſingulis exigebatur. Quæ vero pecunia alio quocunque nomine pendenda erat VECTIGAL ſolebat adpellari. Tributorum tria genera erant; unum quod *in capita*; alterum, quod *ex cenſu* conferebatur; tertium quod imperatum extra ordinem, adeoque *temerarium* dictum. Tributum *in capita* ſub primis Romanorum Regibus in uſu fuit, adeo ut quum Regi opus eſſet pecuniâ, æquo pauperes ac divites onere premerentur. Invento autem *cenſu* Tributum illud capitis deſiit, civeſque cœperunt Tributa conferre pro ſuo quiſque cenſu. *Tarquinius Superbus* veterem tributa exigendi rationem reſtituit, auxitque in tantum, ut pro ſuo quiſque capite decem penderet denarios. Ejurato regno, *Valerius Poplicola* Servii inſtitutum revocâſſe, cumque in finem Quæſtores creaſſe fertur. Immo pauperes aliquamdiu tributorum onere exſoluti, donec decrevit Senatus Anno V. C. CCCXLIX. ut plebi, quæ eo uſque ſuis ſumptibus militaverat, ſtipendium quotannis ex ærario ſolveretur. Hoc enim facto coacti ſunt omnes tributum ex cenſu quotannis in ſtipendium militare conferre. Hinc magna ſubinde certamina inter Patres & plebem de conferendis tributis, quæ ſæpe a Tribunis impedita, ſæpe a Senatu remiſſa; nec raro ob neceſſitatem Reipublicæ aucta ſunt. Quin indicta ſæpe Tributa *temeraria* propter periculi magnitudinem, veluti poſt Urbem a *Gallis* captam; item bello *Punico* ſecundo, *Valerio Levino*, & *M. Claudio Marcello* Coss. quando ipſæ matronæ aurum & ornamenta ſua conferre non dubitabant. Poſtremo annua Tributa plane remiſſa ſunt A. VC. IↃLXXXVI. poſt-L. *Paulus* e præda *Macedonica* incredibilem vim auri intulerat in Ærarium, idque ad conſulatum uſque *Hirtii* & *Panſæ* manſiſſe tradit *Plutarchus*. Poſt ea tempora tributi collati frequentiſſima fit mentio, & ſub *Imperatoribus* eò res rediit, ut multa invenirentur nova tributa, & non ſolum provinciis a populo *Stipendia*, a Principe *Tributa* imponerentur, verum etiam durior ſubinde hac in re fieret conditio civium Romanorum.

Diverſa a Tributis erant VECTIGALIA, quæ vel *Portorii*, vel *Decumarum*, & *Scripturæ*, vel *Saliſ*, vel *Viceſimæ* nomine exigebantur.——PORTORIA pecuniæ erant, quæ portitoribus pendebantur, id eſt, iis, qui mercedes mercibus in portum vel per pontem devehendis exigebant.——DECVMÆ exigebantur a civibus Romanis, vel Latini nominis Sociis, qui in *Italia*, vel extra *Italiam* publicos agros arabant. Id enim fiebat eâ lege, ut frumenti *decimas* penderent. Sin vero quis ſilvis, vel paſcuis publicis hoc modo frueretur, pecunia, quæ inde redibat, SCRIPTVRA adpellari conſuevit.——Tertium vectigalis genus e SALE redibat. Inſtituerunt enim *Romani* poſt exactos reges, ut *Sal* non a privatis venderetur, ſed minoris e publico acciperetur; Hoc vero vectigal demum ab uſu receſſit. Diutius Romæ in uſu fuit quartum genus vectigalis, quod VICESIMA dictum; Quoties enim ſervus manumittebatur, vel herus, vel libertus pendebat *viceſimam*. Inſtitutum erat hoc vectigal Anno V.C. CCCXCVII. *C. Marcio. Cn. Manlio* Coss.——Liv. Lib. 7. ——*Ab altero Conſule* (Cn. Manlio) *nihil memorabile geſtum, niſi quod legem novo exemplo ad Sutrium in caſtris tributim, de viceſima eorum, qui manumitterentur,*

2. In contractu Locationis Conductionis licet regulariter in anteceſſum de mercede ſoleat conveniri: tamen ſi quis citra definitam prius mercedem alteri operam, aut uſum ſuæ rei addixerit, cenſetur expectare, quantum communis uſus, aut conductoris æquitas tulerit.

3. Circa hunc contractum obſervandum, ſi res locata plane perierit, ex eo tempore Conductorem ad mercedem, ſeu penſionem non amplius teneri.

4. Si res locata certum ac definitum habeat uſum; uti Dominus eam præſtare debet, quo ei uſui ſit idonea; ita ſi illa detrimenti quid ceperit, Conductor de penſione detrahit, quantum uſui rei deceſſerit. Sed ſi rei locatæ proventus ſit incertus, & aliquid aleæ contineat; uti exuberans proventus conductoris lucro, ita malignus ejuſdem damno eſt, nec ſtricto jure de penſione ob ſterilitatem quidquam detrahendum, præſertim cum unius anni ſterilitas alterius ubertate ſoleat penſari; niſi caſus, qui proventum interceperint, rariores fuerint, & de quorum aleâ in ſe ſuſcipienda Conductor non cogitaſſe præſumitur. Hos enim ad penſionem minuendam, vel remittendam valere utique æquum eſt.

5. Cæterum uti, qui rem aliquam alteri locavit, præſtare tenetur, ut ipſa uſui ſit habilis, impenſaſque neceſſarias tolerare: ita Conductor ad boni Patrisfamilias modum eadem uti, & quæ ipſius culpa perdita fuerunt, reſtituere debet; & qui opus faciendum conduxit, quod ſua culpa corruptum eſt, itidem præſtat.

6. Qui *momentaneam* ſuam operam alicui locavit, ubi eam quocunque caſu præſtare impeditus fuerit, mercedem petere non poteſt. Sed qui *continuam* alicujus operam conduxit, ubi is

tur, tulit. Patres, quia ea lege haud parvum vectigal inopi ærario additum eſſet, auctores fuerunt.——*Ab* hac *aurum viceſimarium* derivetur, quod in Sanctiore ærario, de quo Liv. Lib. 27.——*Conſulibus aurum viceſimarium, quod in ſanctiore ærario ad ultimos caſus ſervaretur, promi placuit.*

Oppreſſa per Principes Republica, multa nova inventa ſunt vectigalia, quibus ærarium locupletaretur.

morbo,

morbo, aut alio caſu per modicum tempus ad operam inutilis fuerit factus, inhumaniter ipſum vel plane ſua functione dejicit, vel de penſione quid eidem detrahit.

7. Denique ex æquitate intulerunt veteres Conductorem, qui impleto tempore re utitur, eam, ſi prædium ſit *ruſticum*, in eundem annum; ſin *urbanum*, in eandem conditionem, & idem tempus tacitè reconduxiſſe videri. Unde in *Expreſſam* & *Tacitam* Locatio Conductio dividi ſolet.

8. Ex hoc contractu uterque contrahentium ab initio obligatur, & hinc duæ inde naſcuntur actiones *directæ*, *Locati* altera; altera *Conducti*.

9. Actio *Locati* datur locatori adverſus conductorem, ejuſve hæredem ad mercedem juſto tempore non ſolutam poſt moram cum uſuris ſolvendam; rem locatam, finito contractu reſtituendam, præſtandumque damnum ſaltem levi culpa datum.

10. *Conducti* contrà Actio conductori competit adverſus locatorem ejuſve hæredes ad præſtandum rei uſum, vel operas, ad refundendas impenſas neceſſarias & utiles in rem conductam factas, damnumque ſaltem culpa levi datum reſarciendum.

JUS ANGLICANUM. ad Tit. XXV.

Terras locare poſſunt omnes, qui in eis feudum habent ſive *ſimplex*, ſive *Talliatum*, idque ſive ſuo, ſive Eccleſiarum, aut Uxorum jure.

Qui jure ſuo feudum *ſimplex* habet, ad quotcunque velit annos terras locare poteſt, dummodo tamen non corpori politico, ne modum excedendo ad *manum mortuam* dimiſiſſe videatur.—Qui feudum *talliatum* ſuo, vel *ſimplex* alieno jure, eccleſiarum videlicet, aut uxorum tenent, paulo arctius cohibentur.

Archiepiſcopi aut Epiſcopi terras ſuarum Eccleſiarum ultra terminum viginti unius annorum, aut trium vitarum ab initio ejuſdem locationis computandum locare non poſſunt.

Magiſtri & Socii Collegiorum, Decani & Capitulum, Gardiani Hoſpitalium, & omnes Eccleſiaſtici terras ſuorum Collegiorum eccleſiarumve collegiatarum ultra terminum viginti unius annorum, aut trium vitarum a tempore locationis computandum, locare prohibentur. Neque ſic quidem, niſi locatio prius facta, ſi quæ talis ſit, infra triennium proximè ſequuturum finem habitura ſit. Collegia etiam tam utriuſque Academiæ, quam etiam *Ætonæ* & *Wintoniæ* tertiam mercedis partem in granis, juxta Conſtitutionis præ-

De Contractu Emphyteuſeos.

1. Occaſione hujus tituli & de EMPHYTEVSI agit Imperator, quæ quum & emptioni venditioni, & Locationi conductioni quodammodo adfinis ſit; neutri tamen contractui per omnia ſimilis eſt, hinc ſingularem naturam per conſtitutionem *Zenonianam* accepit.

2. Emphyteuſis ἀπὸ τῦ ἐμφυτεύειν dicitur. Solebant enim facta provincia agri publici *culti* pro certo *vectigali* annuo in perpetuum locari; *inculti* autem pro *canone*, ſive penſione annua tradi in Emphyteuſin; ita ut Emphyteutæ jus Dominio proximum, vel *utile* Dominium in illis conſequerentur. Poſtea idem jus ad agros & alia prædia Principum, Eccleſiarum, Urbium, quin & Privatorum prolatum eſt, quæ bona promiſcuè dici cœperunt *Vectigalia*, & *Emphyteutica*.

3. Jus ergo Emphyteuſeos conſtitutum poſt traditionem rei eſt *Jus in re* puta Dominium minus plenum, vel Jus Dominio proximum; unde is, penes quem *Dominium directum* eſt *Dominus Emphyteuſeos*; alter cui *Dominium utile* competit, *Emphyteuta* vocatur.

4. Contractus ergo Emphyteuſeos eſt *Contractus Conſenſualis*,

præſcriptum accipere tenentur. Domos tamen, quas in aliqua Civitate, Burgo, Villa incorporata, aut publico Emporio ſitas habent, & fundos ad eas ſpectantes, qui quantitatem decem acrarum non attingunt, non prohibentur, quo minus juxta communem Angliæ legem, modo privatis Collegiorum, aut Eccleſiarum Statutis non contrariam, liberè dimittant.

Terras conducere omnes poſſunt regulariter, Eccleſiaſtici tamen, niſi ad neceſſariam familiæ ſuæ ſuſtentationem, hoc facere prohibentur.

Conductor ad vim majorem non tenetur, utpote ingentes tempeſtates, aut hoſtium incurſum, niſi ad hoc ſe expreſsè obligaverit.

Vectigalia & Emphyteutica.] Agri Emphyteutici dicebantur & agri vectigales, a vectigali, id eſt, penſione, ſeu Canone, qui a poſſeſſoribus ſolvitur. Nam Vectigal quemlibet reditum ſignificat. Cicero in Paradox. 6. —*Ex tenui meo Vectigali aliquid etiam redundat.* —Et Horat. Sat. Lib. II. 2. v. 100.

——*Ego vectigalia magna,*
Divitiaſque habeo tribus amplas regibus.——

de

de dominio utili Prædii, alteri in perpetuum vel ad tempus haud modicum, pro certo annuo Canone in agnitionem Dominii præſtito, concedendo.

5. Quumque id Dominium utile concedatur pro Canone annuo, iſque in agnitionem Dominii ſolvendus ſit, conſequens eſt, ut propter ſterilitatem, incurſionemque hoſtium non remittatur; ——ut totius rei interitu canonis ſolvendi obligatio exſpiret.

6. Alias præter rei interitum Jus Emphyteuſeos exſpirat Conſolidatione,——Præſcriptione;——non ſoluto canone *Domino Sæculari* intra Triennium, *Eccleſiæ* intra biennium;——Re, ignorante Domino, venditâ,——Re inſigniter reddita deteriore.

7. Ex hoc contractu naſcitur *Actio Emphyteuticaria* utrinque directa.——*Altera* datur Emphyteutæ adverſus Dominum, ejuſve hæredes ad prædium Emphyteuticum ſecundum contractum præſtandum.——*Altera* Domino adverſus Emphyteutam ad ſolvendum Canonem, aliaque ex contractu debita.

TIT. XXVI.

De Societate.

1. Quartus contractus conſenſualis eſt SOCIETAS, non confundenda cum *Rerum Communione*; Hæc enim *quaſi contractus*; So-

JUS ANGLICANUM.

Emphyteuſin, quam Romani dubitabant Emptionem & Venditionem, an Locationem, & Conductionem appellarent; nos FEVDIFIRMAM dicimus. *Feudi-firma* autem eſt Tenura terrarum, vel Tenementorum cuiquam, & hæredibus conceſſa pro annuo reditu, qui tertiam, vel ad minimum quartam veræ æſtimationis æquat, abſque aliis ſervitiis, quam quæ in charta conceſſionis, ſeu feoffamento exprimuntur.

Quartus contractus conſenſualis eſt Societas,] De Societate idem, quod de Locatione Conductione tenendum, eam vel *Publicam* eſſe, vel *Privatorum*. Publicis accenſendæ ſunt Societates Publicanorum, vel conducentium Vectigalia. Diviſi enim in multas Societates conducebant, & deinde ex ordine ſuo creabant *Magiſtrum Societatis*, qui Romæ Societati ita præerat, ut & ſocios, quaſi Senatum cogendi, & ad eos de Societatis negotiis referendi poteſtatem haberet, curamque omnem gereret tabularum & rationum, quæ undique

cietas *verus Contractus* eſt. In *hanc* caſu etiam fortuito, & ſine adfectione Societatis incidimus; *Societatem* conſenſu inimus.

2. Eſt vero Societas *Contractus Conſenſualis de re vel operis communicandis, lucri in commune faciendi causâ*; inter Socios vero tam arcta intercedere viſa eſt Amicitia, ut Fratres habiti ſint.

3. Communicantur res vel operæ; Societas vero eſt vel *Univerſalis*, κοινοπραξία; quando omnia bona, præſentia & futura, quocunque titulo quæſita, communicantur;—vel *Generalis*, quando ea tantum, quæ ex quæſtu veniunt, non quæ aliunde hominum vel fortunæ beneficio adveniunt, communicantur;—vel *Singularis*, quando vel unius rei, vel unius negotiationis Societas contrahitur.

4. Subſiſtere etiam poteſt Societas *inæqualis*, licet unus plus, alter minus ex facultatibus ſuis conferat; imò, licet unus *rem*, alter *operas* conferat.

5. Quum Socii ſint veluti fratres, ſequitur, ut Socius alter alteri teneatur ad culpam levem;—ut ſi dolus vel culpa lata Socii deprehendatur, iſte meritò notetur infamiâ;—ut Socius undique ab iis, qui ſocietati operas dabant, Romam mittebantur. Sociis enim hujuſmodi permiſſum erat corpus, vel Collegium habere. Iidem magiſtri Societatum in Provinciis habebant muneris ſui Vicarium Societatiſque Præfectum.—Cic. Epiſt. ad Famil. Lib. 13. Epiſt. 9.—*Quanquam Tibi præſens commendavi, ut potui diligentiſſimè SOCIOS Bithyniæ, teque cum mea commendatione tum etiam tuâ ſponte intellexi cupere ei Societati, quibuſcunque rebus poſſes, commodare; tamen cum ii, quorum res agitur, magni ſua intereſſe arbitrarentur, me etiam per literas declarare tibi, qua eſſem erga ipſos voluntate, non dubitavi hæc ad Te ſcribere. Volo enim te exiſtimare, me, cum univerſo ordini publicanorum multum ſemper libentiſſimè tribuerim, idque pro magnis ejus ordinis erga me meritis facere debuerim; tum in primis amicum eſſe huic Bithynicæ Societati, quæ Societas ordine ipſo, & hominum genere pars eſt maxima Civitatis. Conſtat enim ex cæteris Societatibus: & caſu permulti ſunt in ea Societate valdè mihi familiares, inprimiſque is, cujus præcipuum officium agitur hoc tempore P. Rupilius P. F. qui eſt MAGISTER in ea Societate.*

Licet unus rem, alter operas conferat.] Eleganter Plautus Aſinar. I. 3.

Par pari datum hoſtimentum eſt, Opera pro Pecunia.

Iſte meritò notetur infamiâ;] Cic. pro Q. Roſcio Com. 6—*Si qua ſunt privata judicia ſummæ exiſtimationis, & pœnè dicam capitis, tria hæc ſunt, Fiducia,*

Socio debeat *Beneficium Competentiæ*;——ut in Societate universali omnia Communia sint, quamvis & facultates Sociorum differant, & unus Sociorum altero plus expendat;——ut in generali tantum quæstus communis sit, non reliqua, quæ vel fortunæ, vel hominum beneficio adveniunt;——ut in Societate singulari inter Socios servanda sit æqualitas.

6. Si partes non sunt expressæ, partes Lucri & Damni sunt æquales pro rata ejus, quod quisque contulit.——Sin partes expressæ, eæ servandæ sunt, tametsi inæquales.——Si alter rem, alter operam contulerit, *Lucrum* quidem & *Damnum* commune fit, non autem *Sors*.

7. Dividuntur res communes finitâ Societate. Solvitur autem Societas morte Socii vel naturali, vel civili, etiam unius e pluribus;——Dissensu vel mutuo, vel renunciatione unius;—finito negotio, ob quod inita est;——Tempore, in quod contracta, elapso;—Cessis vel publicatis bonis, ac—denique, rei, super qua Societas inita, interitu.

8. Ex hoc contractu nascitur *Actio pro Socio* utrinque directa, qua Socius adversus Socium, ejusve hæredes agit ad conferenda bona communia, reddendas rationes, lucrumque communicandum, & damna denique saltem culpâ levi data, resarcienda.

cia, Tutelæ, SOCIETATIS; aquè enim perfidiosum & nefarium est fidem frangere, quæ continet vitam; & pupillum fraudare, qui in tutelam pervenit; & SOCIVM fallere, qui se in negotio conjunxit——— Idem pro S. Roscio Amerino.——— *In rebus minoribus SOCIVM fallere turpissimum est, aqueque turpe atque illud, de quo ante dixi: neque injuria, propterea quod auxilium sibi se putat adjunxisse, qui cum altero rem communicavit. Ad cujus igitur fidem confugiet, cum per ejus fidem læditur, cui se commiserit? Atqui ea sunt animadvertenda peccata maximè, quæ difficillimè præcaventur. Tecti esse ad alienos possumus: intimi multa apertiora videant necesse est. SOCIVM vero cavere quî possumus? Quem etiam si metuimus, jus officii lædimus. Rectè igitur majores eum qui SOCIVM FEFELLISSET in virorum bonorum numero non putârunt haberi oportere.*

TIT.

TIT. XXVII.

De Mandato.

1. Poſtremus contractus conſenſualis eſt MANDATVM. Id vero eſt *Contractus conſenſualis, quo negotium honeſtum ab alio ex fidu-ciâ commiſſum gratis adminiſtrandum, gerendumque ſuſcipitur.*

2. Ergo facile hic contractus mandati a *negotiorum geſtione* diſcernitur, qui *quaſi contractus* in eo conſiſtit, quod quis negotium non commiſſum ultro ſuſcipit :—a *locatione*, quia hic contractus non eſt gratuitus : — a *conſilio*, quia per hoc non ſuſcipitur alienum negotium, nec iſtud *obligat*, ſed *ſuadet*, niſi fraudulentum ſit :—a *commendatione*, quæ & ipſa non obligat alterum, cui res commendatur :—a *juſſu*, quo tantum eos, qui poteſtati noſtræ ſubſunt, obligamus.

3. Mandatur aut *expreſsè* verbis, litteriſque nulli certæ formulæ aſtrictis,——aut *tacitè*, ſi quis præſens ab altero negotia ſua geri patitur.

4. Prout quoque vel ad omnia bona, vel ad certas tantum res mandatum pertinet, eatenus vel *generale* eſt, vel *ſpeciale*.

5. Ex ipsâ definitione infertur mandatum contrahi ſolo utriuſque conſenſu, pro quo & ratihabitio habetur ;——Mandari

MANDATVM.] Dextram fidei ſacram judicabant veteres ; Hinc quidam exiſtimant inde dictum eſſe mandatum, quod olim in commiſſo negotio alter alteri MANVM DEDERIT. Et ad hunc ritum adludere videtur Plaut. Captiv. II. 3. v. 82.

Hæc per DEXTRAM, te, DEXTRA retinens MANV,
Obſecro, infidelior mihi ne fuas, quam ego ſum tibi,
Tu hoc age, mihi Hæres nunc es, tu Patronus, tu Pater.
Tibi commendo ſpes, opeſque meas. PHI. *MANDAVISTI ſatis.*
Satin' habes, mandata quæ ſunt, facta ſi refero? T. *Satis.*

Et Terent. Heaut. III. 1. v. 82.

ME. *Cedo DEXTRAM : porro te, idem oro ut facias, Chreme.*
CH. *Paratus ſum.*——

Igitur quod fides jubebat & pudor, hoc primum mandati jus fuit. Poſt uſus ei actionem adinvenit, adeoque mandatum in civile tranſiit negotium.

non poſſe rem illicitam, nec ullam ex ejuſmodi mandato inter contrahentes naſci obligationem ;— Mandatum non admittere *mercedem*, ſed tamen *honorarium* ; Mandatarium fines mandati excedentem nihil agere, nec mandantem tunc ex mandatarii facto teneri.

6. Quæri ſolet an negotio tibi dato, & quid omnino faceres definito, contra quid facere debeas, ſi eo facto videri poſſit res eventura proſperius, exque utilitate ejus, qui tibi id negotium mandavit ? — Diſtinguendum eſt inter mandatum, quod per *imperium ſuperioris*, & quod *ex contractu ultroneo* ſuſcipitur. In privatis negotiis, facile eſt, ut modus expediendi negotium alteri præſumatur præſcriptus duntaxat in vicem conſilii, in quo immutando prudentiæ mandatarii locus eſt relictus. At vero qui pro imperio aliquid alteri mandat, non cenſetur ipſi niſi meram executionem injunxiſſe, ideoque non licebit a modo præſcripto diſcedere.

7. Et quia mandans fiduciam ſingularem in mandatarii perſona collocat, conſequens eſt, ut mandatarius ſubſtituere ordinariè non poſſit : ſi tamen ſubſtituerit, & rem per alium æquè bene

At vero qui pro imperio aliquid alteri mandat] Aul. Gell. Lib. 1. cap. 13. —*Inſtructius, deliberatiuſque fore arbitramur theorematium hoc de mandatis hujuſcemodi obſequendis, ſi exemplum quoque P. Craſſi Muciani clari ac illuſtris viri appoſuerimus. Is Craſſus a Sempronio Aſellione, & pleriſque aliis hiſtoriæ Romanæ ſcriptoribus traditur habuiſſe quinque rerum bonarum maxima & præcipua ; quod eſſet ditiſſimus, quod nobiliſſimus, quod eloquentiſſimus, quod Juriſconſultiſſimus, quod Pontifex Maximus. Is, quum in conſulatu obtineret* Aſiam *Provinciam, & circumſidere, oppugnareque* Leucas *oppidum pararet, opuſque eſſet firmâ atque procerâ trabe, quî arietem faceret, quo muros ejus oppidi quateret, ſcripſit ad magiſtrum Architectonem* Elatenſium *ſociorum, amicorumque populi Romani, ut ex malis duobus, quos apud eos vidiſſet, uter major eſſet, eum mittendum curaret. Tum magiſter Architecton, comperto, quamobrem malum deſideraret, non uti juſſus erat, majorem, ſed quem eſſe magis idoneum, aptioremque faciendo arieti, facilioremque portatu exiſtimabat, minorem miſit.* Craſſus *eum vocari juſſit, & quum interrogâſſet, cur non, quem juſſerat, miſiſſet ; cauſis rationibuſque quas dictitabat, ſpretis, veſtimenta detrahi imperavit, virgiſque multum cecidit ; corrumpi atque diſſolvi officium omne imperantis ratus, ſi quis ad id, quod facere juſſus eſt, non obſequio debito, ſed conſilio non deſiderato reſpondeat.*

geſſerit,

geſſerit, mandans ex geſtis obligetur;—ut quia mandatarius ſponte obligationem, in qua ſumma induſtria exigitur, ſuſcepit, ordinariè teneatur ad culpam leviſſimam;—ut Mandatarius, qui amici ſpem turpiter deſtituit, ob dolum, vel culpam latam, meritò infamiâ notetur.

8. Finitur autem Mandatum non ſolum mutuo Diſſenſu, ſed & mandantis revocatione, modo fiat re integrâ;—renunciatione non intempeſtiva Mandatarii;——Morte Contrahentium.

9. Quia itaque ex hoc contractu ἁπλεύρῳ mandatarius ab initio; mandans non niſi ex poſt facto obligatur, naſcitur inde duplex *Actio Mandati*, quarum altera *Directa*, altera *Contraria* eſt. ——*Directam* Mandans inſtituit adverſus mandatarium, ejuſve hæredes ad negotium ſuſceptum perficiendum, vel præſtandum id, quod intereſt; rem ex mandato adquiſitam cum fructibus tradendam, dolumque, & culpam etiam leviſſimam præſtandam.

Qui amici ſpem turpiter deſtituit,] Præclare Cicero de hac re diſſeruit, Pro Sex. Roſcio. c. 38, 39.—— *In privatis rebus ſi qui rem MANDATAM non modo malitioſius geſſiſſet ſui quæſtûs aut commodi causâ, verum etiam negligentius, eum majores ſummum admiſiſſe dedecus exiſtimabant. Itaque MANDATI conſtitutum eſt judicium, non minus turpe, quam furti. Credo propterea, quod quibus in rebus ipſi intereſſe non poſſumus, in his operæ noſtræ VICARIA fides amicorum ſupponitur: quam qui lædit, oppugnat omnium commune præſidium, & quantum in ipſo eſt, diſturbat vitæ Societatem. Non enim poſſumus omnia per nos agere. Alius in aliâ eſt re magis utilis. Idcirco amicitiæ comparantur, ut commune commodum mutuis officiis gubernetur. Quid recipis MANDATVM, ſi aut neglecturus, aut ad tuum commodum converſurus es? Cur mihi te offers, ac meis commodis officio ſimulato, officis & obſtas? Recede de medio: per alium tranſigam. Suſcipis onus officii, quod te putas ſuſtinere poſſe: quod minimè videtur grave iis, qui minimè ipſi leves ſunt. Ergo idcirco turpis hæc culpa eſt, quod duas res ſanctiſſimas violat, Amicitiam & fidem. Nam neque mandat quiſquam fere, niſi ei quem fidelem putat. Perditiſſimi eſt igitur hominis, ſimul & amicitiam diſſolvere, & fallere eum, qui læſus non eſſet, niſi credidiſſet.*——Idem pro A. Cæcina.—— *Si quis, quod ſpoſpondit, qua in re verbo ſe uno obligavit, id non facit, maturo judicio ſine ulla religione judicis condemnatur: qui per tutelam, aut ſocietatem, aut REM MANDATAM, aut fiduciæ rationem fraudavit quempiam, in eo, quo delictum majus eſt, eò pœna eſt tardior. Eſt enim turpe Judicium & facto quidem turpe.* ——Et de Nat. Deor. Lib. 3.——*Inde tot judicia de fide malâ tutelæ, MANDATI, pro Socio, fiduciæ: reliqua quæ empto aut vendito, conducto aut locato contra fidem fiunt.*

—— *Contraria*

—*Contraria* Mandatario datur adverſus mandantem, ejuſve hæredes ad indemnitatem conſequendam.

TIT. XXVIII.

De Obligationibus quæ quaſi ex Contractu Naſcuntur.

1. Hactenus de Contractibus *veris*; ſequuntur Obligationes, quæ QVASI EX CONTRACTV naſcuntur. Sunt vero QVASI CONTRACTVS *facta honeſta, quibus & ignorantes obligantur ex conſenſu, ob æquitatem, vel utilitatem præſumpto.* Quemadmodum enim Contractus naſcuntur ex conſenſu *vero:* ita quaſi contractus, *quaſi ex conſenſu*, id eſt, ficto, vel præſumto.

2. Præcipua ergo fundamenta conſenſus præſumpti ſunt, 1. Quiſque præſumitur conſentire in id, quod utilitatem adfert. 2. Nemo præſumitur cum alterius damno fieri velle locupletior. 3. Qui vult, quod antecedit, non debet nolle, quod conſequitur.

3. Hujuſmodi quaſi contractus ſunt. 1. Negotiorum geſtio. 2. Tutela. 3. Hæreditatis, vel 4. Rei communis Adminiſtratio. 5. Hæreditatis Aditio. 6. Indebiti Solutio.

JUS ANGLICANUM. ad Tit. XXVII.

Operæ hominum non ſæpe gratis præſtantur: ideoque mandatum, ut propriè intelligitur, non multo in uſu eſt. Mandati vero fines diligenter ſunt cuſtodiendi.

QVASI CONTRACTVS] Solebant Stoici uti particula ὡσανεὶ, quoties aliquid non propriè, ſed κατ' ἀναλογίαν ita dici poſſe innuebant. Sic animantia, οὐκ θυμοῦσθαι, ἀλλ' ὡσανεὶ θυμοῦσθαι· οὐ φοβεῖσθαι, ἀλλ' ὡσανεὶ φοβεῖσθαι, οὐ βλέπειν, ἀλλ' ὡσανεὶ βλέπειν, ἀκούειν, φωνεῖν, ζῆν· *non iraſci ſed quaſi iraſci; non metuere, ſed quaſi metuere: non videre, ſed quaſi videre, audire, ſonum edere, & vivere dicebant.* Eodem exemplo Jureconſulti, Stoicis innutriti dogmatibus, non modo Senatorum filios, ſed & *quaſi Senatorum filios*; non modo res conſecratas, ſed & *quaſi conſecratas*; non tantum contractus, Delicta, ſed *quaſi contractus, quaſi Delicta* ſtatuebant.——Cic. Epiſt. ad Attic. Lib. 12. Ep. 19.——*Eſt hic quidem locus amœnus, & in mari ipſo; qui & Antio & Circæis aſpici poſſit: ſed ineunda nobis ratio eſt, quemadmodum in omni mutatione Dominorum, qui innumerabiles fieri poſſunt in infinitâ poſteritate, (ſi modo hæc ſtabunt) illud QVASI CONSECRATVM remanere poſſit.*

4. NEGOTIORVM

4. NEGOTIORVM GESTIO eſt quaſi Contractus, *quo quis negotia alterius ignorantis extra judicium utiliter gerenda ſponte & gratis ſuſcipit.* Unde a *Mandatario*, vel *Procuratore*, itemque *Defenſore* facilè diſcernitur *Negotiorum geſtor.* Prior enim mandato conſtituitur, poſterior ſine mandato quidem, ſed non niſi judicialia negotia ſuſcipit, nec ſine cautione admittitur *Judicatum ſolvi. Negotiorum geſtor* autem nec ex mandato gerit, nec in judicio alium defendit, nec cautione obſtringitur. Unde & Fœmina gerere poteſt negotia.

5. Quum ergo in hoc contractu conſenſiſſe ignorantem fingatur; quia & utilitas ei adfertur, & neminem cum alterius damno locupletiorem fieri æquum eſt, ſequitur ut utiliter gerere debeat negotiorum geſtor, adeoque ad diligentiam exactam, vel, ſi ſe aliis prætulerit, ad exactiſſimam; leviſſimamque culpam; ſi neceſſitate urgente geſſit, tantum ad dolum, & culpam latam: denique ſi rem aleæ plenam præter conſuetudinem abſentis ſuſceperit, ad caſum ipſum præſtandum teneatur; Domino etiam ad rationes, & reliqua cum uſuris reſtituenda obligatur.

NEGOTIORVM GESTIO] Is quaſi contractus originem videtur debere relegationi, quæ ſæpe tam repentè decernebatur, ut diſcedendum ſubito eſſet Patribus familias, nullique demandata negotiorum ſuorum adminiſtratione, peregrè proficiſcendum. Ne ergo res familiaris abſentibus dominis detrimenti quidquam caperet, amici ſe relegatorum negotiis ſolebant ingerere, abſentiumque curare bona.

Negotiorum geſtorem *Cicero* adpellat *voluntarium amicum* in Orat. pro *Cæcina.* Is vero cavere debebat rem ratam habiturum dominum. Quemadmodum ei nec ſolvere ſolebat quiſquam, niſi præſtitâ cautione, *amplius eo nomine neminem, cujus petitio eſſet, petiturum.* Et ita intelligendus locus elegantiſſimus Ciceronis in Brut. §. 17, 18. *Tum ille, Ego vero & expectabo ea, quæ polliceris, neque exigam, niſi tuo commodo, & erunt mihi pergrata, ſi ſolveris. Mihi quoque, inquit Brutus, & expectanda ſunt ea, quæ Attico polliceris, etſi fortaſſe ego a te hujus VOLVNTARIVS PROCVRATOR petam, quod ipſe, cui debes, ſe incommodo exacturum negat.——At vero, inquam, tibi ego, Brute, non ſolvam, niſi prius a te cavero, amplius eo nomine neminem, cujus petitio ſit, petiturum.*

Apud Athenienſes qui malâ fide alicujus negotia geſſerat, perinde ac ſi ipſe haberet, reſtituere tenebatur.——Legem habes apud Demoſthenem ἐν τῷ πρὸς Ἀφοβον ψευδομαρτυριῶν.——Περὶ μὲν γὰρ ὧν καθυφῆκας, νόμος ἐστὶ διαρρήδην κελεύων τοὶ ὁμοίως ὀφλισκάνειν, ὥσπερ ἂν αὐτὸς ἔχῃς.

6. Negotiorum

6. Negotiorum geſtor obligatum habet etiam ignorantem, cujus negotia geſſit, nec perimitur abſentis obligatio, ſi poſtquam initio utiliter geſtum, utilitas caſu fuerit intercepta; Idem negotiorum geſtori tenetur ad Indemnitatem.

7. Ex hoc quaſi contractu naſcitur *Actio negotiorum geſtorum* tum *Directa*, tum *Contraria*. *Directa* datur Domino adverſus negotiorum geſtorem, ejuſve hæredes ad rationes reddendas, reſtituenda reliqua, culpamque pro modo geſtionis præſtandam. *Contrariam* negotiorum geſtor inſtituit adverſus Dominum ejuſve hæredes ad indemnitatem. Quæ actio tamen locum non habet, ſi non utiliter geſtum;—ſi pro invito, vel prohibente geſtum;—ſi quis ex pietate vel animo donandi geſſerit.

8. TVTELA eſt munus publicum; ſed obligatio inter Tutorem & Pupillum quaſi ex contractu naſcitur. Hinc Tutela hoc ſenſu eſt *Quaſi contractus, quo Tutor Pupilli, rerumque pupillarium curam ſuſcipiendo, illi ad rationes, exactamque diligentiam; pupillus Tutori ad indemnitatem præſtandam obligatur.*

9. Ergo ex hoc quoque quaſi contractu naſcitur *Actio Tutelæ directa & contraria.*—Actio Tutelæ *directa* competit Pupillo finita tutela adverſus Tutorem ejuſve hæredes ad reddendas rationes, damnaque ſi adverſus tutorem agitur *culpa levi*, ſin adverſus hæredes, *culpa lata* data reſarcienda.—*Contraria* competit Tutori adverſus pupillum ad repetendas impenſas, præſtandamque indemnitatem, ſi diligentis Patrisfamilias officio functus ſit.—Utraque actio Tutelæ *utilis* ob eandem rationem minoribus quoque & Curatoribus inter ſe datur.

10. HÆREDITATIS & RERVM COMMVNIO non ſunt quaſi contractus, ſed jus in re, puta in hæreditate, vel re communi. Aſt Hæreditatis vel rerum communium adminiſtrator quaſi contraxiſſe, & ad rem communem dividendam, reddendaſque rationes ſeſe obligâſſe, ſimulque cohæredem vel ſocium ad quaſvis præſtationes perſonales obſtrinxiſſe videtur.

11. Ex utroque quaſi contractu datur Actio duplex; ex altero

Familiæ

Familiæ Erciſcundæ; ex altero *Communi dividundo. Familiæ erciſcundæ Actio* datur cohæredi contra cohæredem ad communem hæreditatem dividendam, & præſtationes perſonales, veluti impenſarum, damnique reſtitutionem conſequendam. *Communi dividundo Actio* inſtituitur a Socio contra Socium ad rem communem dividendam, & præſtationes perſonales conſequendas.

12. HÆREDITATIS ADITIO eſt *quaſi contractus, quo is qui hæreditatem adit, cum legatariis, & fideicommiſſariis contraxiſſe, ſeque ad legata, & fideicommißa præſtanda obligaſſe cenſetur.*

13. Naſcitur ex hoc quaſi contractu *Actio perſonalis ex Teſtamento*, qua ii, quibus aliquid ex teſtamento debetur, contra hæredem, qui adiit, agunt, ad legata & fideicommiſſa cum acceſſionibus & uſuris a tempore moræ, damnaque, culpâ etiam leviſſimâ data, præſtanda.

14. Denique INDEBITI SOLVTIO eſt *quaſi contractus quo quis ex errore facti id, quod naturaliter indebitum erat ſolvendo, alterum, qui ex ignorantia accepit ad reſtitutionem obligaſſe cenſetur.*

15. Ex hoc quaſi contractu, naſcitur *Condictio indebiti*, quæ actio *ſtricti juris* competit ei, qui indebitum per errorem ſolvit contra accipientem, ejuſve hæredem ad reſtituendum id, quod ſolutum cum fructibus & acceſſionibus, non vero cum uſuris.

Familiæ erciſcundæ Actio] Ut videtur *Feſto, Erctum* a *coercendo* dictum; unde *erciſcundæ*, & *erciſci*. Erctum ergo eſt quaſi *coercitum*, id eſt *integrum, indiviſum*. *Cio* vero antiquis idem fuit ac *divido*. Unde apud Servium Donatus interpretaturus illa Virgilii Æneid. VIII. ad finem.

——*CITÆ Metium in diverſa quadrigæ*
Diſtulerant.——

Addit *citæ*, id eſt, diviſæ, ut eſt in jure ERCTO NON CITO, id eſt, Patrimonio, vel hæreditate *non diviſa*. Unde *familiam erctam ciere* idem erit ac hæreditatem *integram*, & *indiviſam* dividere. Ex illis antiquis atque obſoletis vocibus nata eſt poſtea phraſis *Familiam erciſcere*, quæ occurrit apud Ciceronem de Orat. Lib. I. ——*Nec ſi parvi navigii & magni eadem eſt in gubernando ſcientia, idcirco, qui, quibus verbis ERCTVM CIERE oporteat, neſciat, idem HERCISCVNDÆ FAMILIÆ cauſam agere non poßit.*

TIT. XXIX.

Per Quas Perſonas Nobis Obligatio Adquiritur.

1. Per eaſdem perſonas, & eâdem ratione, qua Dominium nobis acquiri diximus, adquiruntur obligationes; nimirum per ſervos & alios poteſtati noſtræ ſubjectos; ut tamen, quod per ſervos nobis adquiritur, totum noſtrum fiat; quod autem per liberos, quos in poteſtate habemus, ex obligatione fuerit adquiſitum, hoc ita dividatur, ut uſumfructum quidem habeat pater, proprietas vero filio ſervetur.

TIT. XXX.

Quibus Modis Tollitur Obligatio.

1. Cum hactenus de modis conſtituendæ obligationis tam ex contractu, quam quaſi ex contractu dictum ſit, ordo poſtulat, ut aliquid dicamus de modis diſſolvendæ, ac tollendæ obligatio-

JUS ANGLICANUM. ad Tit. XXVIII.

Obligationes ex quaſi contractu variè jure noſtro naſcuntur; utpote negotiorum geſtione, Tutela, Communi dividundo, familiæ erciſcundæ, actione ex Teſtamento, condictione Indebiti & ejuſmodi. Quod tamen ad negotiorum geſtionem attinet, operæ abſentium causâ ſine mandato præſtitæ, conſcientiæ ejus cujus negotium geritur, & integritati potius relinquuntur, quam actione aliquâ ſuſtinentur.

Tutores contra debitores pupillorum ſuorum rectè agunt; item finitâ tutela, ut rationibus reddendis obnoxii ſunt, ſic expenſas muneris ſui occaſione factas contra pupillum vendicant.

Executores prætereà teſtatorum debitores convenire poſſunt, & tam ab eorum creditoribus quam legatariis conveniri. Quod etiam verum eſt in adminiſtratoribus eorum, qui ab inteſtato deceſſerunt, & in marito, cujus uxor ante nuptias æs alienum contraxerat, & è contra alios ſibi obligatos habuit.

Cuſtos Carceris, qui debitorem liberum dimiſit, pro pecuniis debitis creditori ſe reddit obligatum.

Denique ex contractu uxorum, liberorum, ſervientiumque noſtrorum, qui merces noſtro nomine capiunt in noſtros uſus poſtea converſas, quaſi ex noſtro tenemur.

nis.

nis. Obligatio vero ſemel conſtituta tollitur vel *ipſo jure*, vel *ope Exceptionis*.

2. Ad primum genus pertinent hi modi. 1. Solutio. 2. Acceptilatio. 3. Novatio. 4. Contrarius Conſenſus. 5. Confuſio. 6. Obſignatio. 7. Compenſatio.

3. Inter modos ſolvendi obligationes ex pactis oriundas, quibuſque adeo officia inde promanantia planè exſpirant, maximè naturalis eſt EXPLETIO, ſeu SOLVTIO ejus de quo fuit Conventum. Ubi licet regulariter is qui debet, ſolvere teneatur: tamen ſi præſtatio fiat ab alio, nomine ejus, qui obligationem contraxit, hæc diſſolvitur: ſiquidem alias nihil interſit, abs quo expletio fiat. Ita tamen, ut qui pro altero animo non donandi ſolvit, ab hoc quod erogavit, repetere queat. Solvendum præterea ei cui debetur, aut quem hic delegavit, ut ipſius nomine debitum recipiat. Et denique illud ipſum præſtandum, aut ſolvendum, de quo conventum fuit, non aliud ejus loco: integrum, non mutilum, non pars duntaxat, non diviſum, loco itidem & tempore convento. Etſi ſæpe humanitas creditoris, aut impotentia debitoris ſubigat terminum ſolutionis prorogare, aut diffindere, vel etiam aliud pro alio accipere.

SOLVTIO ejus de quo fuit Conventum] Antiquiſſimis temporibus maximus erat juris rigor adverſus debitores. Poterant enim illi in nervum duci a creditoribus, quibus a Prætore addicebantur, ſi condemnati juſto tempore non ſolviſſent, neque vindex fuiſſet, qui adprobante Creditore debitum in ſe ſuſciperet. Et tunc debitores dicebantur *nexi* & *obærati*, propter nervum quo nectebantur, ſtatumque miſerum, quem ex ære alieno ſubierant. Dicebantur etiam *addicti*, non quod in ſervilem inciderint conditionem, ſed quod creditoribus a Prætore fuerint adjudicati ad operas ſerviles quaſcunque præſtandas.

Id vero jus rigidum, ſive ex antiquo jure Attico, quod ante *Solonem* receptum fuerit, ſive aliunde profectum jam ſub Regibus ſervatum legimus. Quum vero jam tum nobiles in ingenua debitorum corpora ſævire cœpiſſent, primus *Servius Tullius*, quo erat populari ingenio, ceſſionis bonorum indulſit beneficium. Rem paucis compertam memoriæ prodidit Dionyſ. Halic. IV. p. 215. qui Regem inducit ita concionantem. —— Ὅσοι δ' ἂν μετὰ ταῦτα δανείσωνται, τούτους ἐκ ἐάσω πρὸς τὰ χρέα ἀπάγεσθαι, ἀλλὰ νόμον θήσω, μηδένα δανείζειν ὅτι σώμασιν ἐλευθέροις, ἱκανὸν ἐγγύημον τοῖς δανειζαῖς τὰς οὐσίας τῶν συμβαλλόντων κρατεῖν. — *Si quidam autem in poſterum a fœneratoribus mutuum ſumpſerint, eos ob æs in nervum duci non ſinam,*

ſinam, caveboque lege, ne fœneratoribus jus ſit in libera corpora, ſed contenti ſint debitoris facultatibus.

Nec dubitare licet, quin ſteterit promiſſis, quum extremis temporibus exagitatus a Patriciis, in alterâ concione conqueratur, ideo ſe patriciorum adpeti inſidiis, quod pauperum libertatem contra fœneratores ſervarit incolumem.

Enimvero non diu admodum humanius illud Servii Tullii Inſtitutum viguit. Præterquam enim quod Tarquinius Superbus omnes ejus leges abolevit, ne tabulis quidem in foro relictis, ipſi etiam Decemviri duriſſimum illud obæratos in nervum ducendi morem veluti poſtliminio reſtituerunt. In jus ergo raptis duæ erant elabendi viæ; aut judicatum faciendum, aut inveniendus *Vindex* vel *expromiſſor* qui pecuniam pro addicto dependeret; nec ſoluto debito, nec dato vindice addicebatur obæratus Creditori nervis compedibuſque ab hoc conſtringendus.——ADDICTOS ἀγωγίμους, ἢ καταδεδικασμένους dixerunt *Græci*, eoſque creditori DOMVM DVCERE permittebatur. Hinc verbo DVCERE utebantur antiqui proprie in condemnatis, in addictis, in iis quibus a magiſtratu manus injecta eſſet. Sæpius ad hunc morem alludunt Comici, veluti Plaut. *Bacchid.* V. 2. v. 87.——*Menæch.* I. 1. v. 2.——Terent. *Phorm.* II. 2. v. 20. ubi lepidè Phormio Paraſitus:

——Dices, damnatum DVCENT domum:
Alere nolunt hominem edacem: & ſapiunt mea quidem Sententia,
Pro maleficio, ſi beneficium ſummum nolunt reddere.

Hinc Cic. in Rullo.——*Ego is Conſul, qui concionem metuam? qui Tribunos Plebis perhorreſcam? qui ſæpe & ſine cauſa tumultuer, qui timeam ne mihi in carcere habitandum ſit, ſi Tribunus Plebis DVCI juſſiſſet?*——Et in Lib. 2. de Orat. §. 255.——*Quæ genera percurram equidem, ſed ſcitis eſſe notiſſimum ridiculi genus, cum aliud expectamus, aliud dicitur: hic nobiſmetipſis noſter Error riſum movet. Quod, ſi admixtum eſt etiam ambiguum, ſit ſalſus: ut apud Nævium videtur eſſe miſericors ille, qui judicatum DVCI videt, percunctatur ita,*

Quanti ADDICTVS? Mille nummûm.

Si addidiſſet tantummodo DVCAS LICET, eſſet illud genus ridiculi præter expectationem: ſed quia addidit, NIHIL ADDO, Ducas licet: addito ambiguo, altero genere ridiculi fuit (ut mihi quidem videtur) ſalſiſſimus.——Liv. Lib. 6. cap. 14.——*Non enim jam orationes modo M. Manlii, ſed facta popularia in ſpeciem, tumultuoſa, eadem qua mente fierent, intuenda erant. Centurionem nobilem militaribus factis, judicatum pecuniæ cum DVCI vidiſſet, medio foro cum caterva ſua accurrit, & manum injecit.*

In nexi poſitum erat arbitrio, ſuone vivere, an a creditore ali mallet. Si hoc eligeret, tum in quotidianum victum dari ei oportebat *libram farris*. Hinc Horat. Lib. 1. Sat. 5.

——Rogabat
Denique cur unquam fugiſſet, cui ſatis una
FARRIS LIBRA foret gracili ſic tamque puſillo.

Sexaginta dies nexus erat in privato Creditoris carcere, intereaque ſingulis nundinis producendus in forum, proclamandumque per præconem, quantum pecuniæ

pecuniæ deberet, ſi quis forte tam triſti ſpectaculo commotus pro eo dependere vellet. Si neque dependere quiſquam eſſet auſus, nec ipſe obæratus intra hos ſexaginta dies tranſegiſſet, fiebat SECTIO. At qualis? De corporis Sectione id intelligunt *Tertullianus*, *Quintilianus*, & *Cæcilius* apud Gellium. XX. I. qui tamen negat tam durum ac inhumanum ſupplicium unquam ſumptum eſſe ab obæratis, adeoque illud tantum terroris causâ legi acceſſiſſe exiſtimat. *Sectio* vero idem eſt ac Auctio, & qui bona haſtæ ſubjecta publica auctionis lege emebant, SECTORES dicebantur. *Sector* a Suida & Heſychio dicitur τὰ δημόσια ἀγοραζων, & *Sectio* ab Ariſtophane δημοπρασία, ſicut a Plutarcho in Craſſo δημοπράτης, *auctione emptor*. Cic. Philip. 2. Antonium SECTOREM Pompeii appellat, quoniam in ſubhaſtatione Pompeii bona redemerat. *Sectio* vero dicta eſſe videtur, quod prædam ex hoſtibus captam milites inter ſe *ſecabant* ac *dividebant*. Cæſar de bello Gall. II. 33.—*Poſtridie ejus diei refractis portis, quum jam defenderet nemo, atque intromiſſis militibus noſtris SECTIONEM ejus oppidi univerſam Cæſar vendidit.*—Sic Tacitus. *Reliquas Sectionum Neromanarum nondum in fiſcum converſas revocatis ab exilio conceſſit.*

Ut rectè vero obſervatum eſt, SECTIO eſt Vocabulum Juris, & debetur *Succeſſionibus quæ fiunt per Univerſitatem*. Nam inter modos, quibus ex Jure Civili univerſum jus alterius in nos transfertur erat *Bonorum venditio*. Si cujus enim defuncti bona non erant ſolvendo; aut ſi quis in jus vocatus poteſtatem ſui non faciebat, neque tamen defendebatur; eorum ex veteri jure bona ex Edicto Prætoris poſſideri jubebantur; & ab eodem Prætore *Magiſter* conſtituebatur, qui tanquam Dominus, ſed imaginarius univerſa diſtraheret, atque Emptori addiceret. Eundem ad modum in bonis damnatorum, proſcriptorumque conſtituebatur SECTOR, qui Rei univerſas facultates a Rep. auctionatus, lucri & compendii causâ fruſtatim populo divendebat. Non igitur *Sector* dicitur relatione habitâ ad id, quod, ut olim Corpora in vetuſtiſſimo jure, ita in novo bona diſtraherentur, ſed ad id, quod bonorum *univerſitatem* quam ab ærario redemit, ipſe concisè & minutatim SECAT, & auctionatur.

Quod ad Debitorem reverà diſſecandum attinet, cuiquamne credibile eſt, ut in eo jure, quod *laudabilia omnia, & locupletibus fere cum plebe communia* complecti videbatur, ut cum *Cicerone* loquar;—quod latum eſt a viris conſultiſſimis, ad id delectis, ut *utriſque* tam plebi quam patribus *utilia ferrent, & quæ æquandæ eßent libertatis*, ut cum Livio;—quod *quantum decem hominum ingeniis provideri potuit, omnibus ſummis, infimiſque jura æquavit*;—quod *conſenſus omnium non juſſiſſe latum magis, quam tuliſſe videtur*; in eo, inquam, jure adeo non conſultum foret inopi & vexatiſſimæ plebi, ut nexum, addictionemque jam morte ipsâ cumularent, eamque inſuper mortem novo terrorum oſtentu, horribili laniatu, atque inaudito ſuppliciorum genere & acerbitatis exemplo metuendam redderent?

Jam, ut hiſtoriam iſtius rei pertexam, nihil a lata X virorum lege uſque ad Pœtelium & Papirium Coſſ. quibus centeſimo poſt anno, & quod excurrit ſublata eſt, nihil, inquam, literis conſignatur, quod acerbitatem iſtam ſupplicii

ſupplicii confirmare poſſit, verum mitiora omnia, & humaniora paſſim leguntur. Nam cum in eo temporis curriculo obæratorum querimoniis plena ſit Romanorum hiſtoria, cum Ergaſtulum, Servitutem, cicatrices, verbera, nervos & compedes ubique lamententur ; mortem vero & carnificinam nunquam ; cur, inquam, ab irritata plebe diſſimulata erat iſta laniena, ſi unquam fuerit exprompta, aut quo ore de levioribus ſuppliciis conquererentur, qui graviſſima omnia lege ſubire poterant.

Abrogata eſt tandem, qualis demum fuerit, X virorum Severitas C. *Poetelio Libone Viſolo & L. Papirio Mugilano* Coſſ. Eo anno, inquit *Livius, plebi Romanæ velut aliud initium Libertatis factum eſt, quod LIGARI nexi deſierunt.*——Hiſtoriam accipite. Ætas formaque *C. Publilii* ob æs alienum *L. Papirio* cuidam nexi animum hominis intemperantis ad libidinem & contumeliam accendebant. Qui primo perlicere Adoleſcentem ſermone inceſto cœpit, mox minis territare atque admonere fortunæ. Ubi immutatum videt, nudari jubet, verberaque afferri. Quibus laceratus juvenis, cum ſe in publicum proripuiſſet, ibi vehementer commotus P. R. & cum ætatis miſeratione, tum indignitate injuriæ accenſus legem de obæratis irritam fieri voluit. *Victum eſt eo die,* inquit graviſſimus Auctor, *ob impotentem injuriam unius ingens vinculum fidei, juſſique Coſſ. ferre ad populum, ne quis, niſi qui NOXAM meruiſſet, donec pœnam lueret, in compedibus, aut in nervo teneretur : pecuniæ creditæ BONA Debitoris, non CORPVS obnoxium eſſe ; ita nexi ſoluti, cautumque in poſterum ne necterentur.* Ergo ex hoc tempore ceſſavit obæratorum addictio ; ceſſavit ductio in nervum, id tantum permiſſum creditoribus, ut bona poſſiderent, eaque deinde venderent publicè.——Sed legas omnino COMMENTARIVM ad L. Decemviralem de Inope Debitore in partis diſſecando a Doctiſſimo Viro *Joanne Taylor* LL.D. nuper conſcriptum, ubi de hac re accuratiſſimè diſſeruit. Quum vero ne ſic quidem ſatis conſultum videretur debitorum inopiæ, ſiquidem illa poſſeſſio bonorum & famam lædebat, & non liberabat a carcere, ideo ſæpe flagitare plebs cœpit æris alieni relaxationem, quam legem Romani NOVAS TABVLAS adpellare ſolebant. Eas vero ut nemo unquam niſi perturbandæ reipublicæ cupidus promulgavit ; ita optimus quiſque & ocii amantiſſimus repudiavit.

Denique *Julius Cæſar* plenius conſulendum ratus debitoribus inopia deperditis lata lege cavit, *ut disjectâ novarum tabularum expectatione, quæ crebrò movebatur, debitores creditoribus ſatisfacerent per æſtimationem poſſeſſionum, quanti quaſque ante civile bellum comparaſſent, deducto ſummæ æris alieni, ſi quid uſuræ nomine numeratum aut perſcriptum fuiſſet.*——Suet. Jul. XLII. Ergo ex eo tempore licuit debitoribus poſſeſſiones ſuas, æſtimatione prius factâ creditoribus in ſolutum dare. Quod cum ſenſim denuo ab uſu receſſiſſet, illud Beneficium denuo debitoribus reſtituit *Juſtinianus.*

4. ACCEPTILATIO

4. ACCEPTILATIO eſt Actus legitimus, quo interrogatione Debitoris, & congruâ creditoris reſponſione obligatio per Stipulationem contracta diſſolvitur.——Formula erat:——QVOD EGO TIBI PROMISI, HABESNE ACCEPTVM? HABEO ACCEPTVM.

5. Prodidit vero *C. Aquilius Gallus*, cujus in formulis concipiendis ſingularis quædam prudentia extitit, Stipulationis formulam, in quam quæ non verbis contractæ eſſent obligationes tranſlatæ, acceptilatione deinde perimerentur; quæ Stipulatio ab Auctore ſuo *Aquiliana* dicta eſt.

6. NOVATIO eſt prioris debiti in aliam obligationem vel civilem, vel naturalem transfuſio atque tranſlatio: hoc eſt, cum ex præcedenti cauſa ita nova conſtituitur ut prior perimatur. *Novatio* enim a *novo* nomen accepit & a novâ Obligatione.

ACCEPTILATIO] Acceptilatio a Phraſi ACCEPTVM FERRE, qua veteres in hac ſtipulationis ſpecie utebantur, nomen invenit. *Acceptum* vero *ferre* dicebantur Creditores, quum creditum recepiſſent, quemadmodum debitores *expenſum ferre* dicebantur, ſi numeratam ſibi pecuniam faterentur. Quemadmodum ergo *Expenſilatio* nota erat veteribus, ita eâdem forma dicebatur *Acceptilatio*.

C. Aquilius Gallus, cujus in formulis concipiendis ſingularis quædam prudentia extitit,] Cic. de Natura Deor. Lib. 3. cap. 30.——*Inde everriculum malitiarum omnium, Judicium de dolo malo, quod C. Aquilius familiaris noſter protulit.*——Idem de Officiis, Lib. 3. cap. 14.——*Sed quid faceret? Nondum enim Aquilius, Collega & familiaris meus, protulerat de dolo malo formulas: in quibus ipſis, cum ab eo quæreretur, quid eſſet dolus malus, reſpondebat, cum eſſet aliud ſimulatum, aliud actum. Hoc quidem ſanè luculenter, ut ab homine perito definiendi.*——Et in Orat. pro A. Cœcina.——*Hoc loco percommodè accidit, quod non adeſt is, qui paulo ante affuit, & adeſſe nobis frequenter in hac causâ ſolet, Vir ornatiſſimus, C. Aquilius; nam ipſo præſente de virtute ejus, & prudentiâ timidius dicerem, quod & ipſe pudore quodam afficeretur ex ſuâ laude & me ſimilis ratio pudoris a præſentis laude tardaret: cujus auctoritati dictum eſt ab illa cauſa concedi nimium non oportere. Vereor de tali viro ne plus dicam, quam vos aut ſentiatis, aut apud vos commemorari velitis; quapropter hoc dicam, nunquam ejus auctoritatem nimium valere, cujus prudentiam populus Romanus in cavendo, non in decipiendo perſpexerit; qui juris civilis rationem nunquam ab æquitate ſejunxerit: qui tot annos ingenium, laborem, fidem ſuam populo Romano promptam expoſitamque præbuerit: qui ita juſtus & bonus Vir eſt, ut naturâ non diſciplina Conſultus eſſe videatur: ita peritus ac prudens, ut ex jure civili, non ſcientia ſolum quædam, verumetiam bonitas nata eſſe videatur: cujus tantum eſt ingenium, ita prompta fides, ut quicquid inde haurias, purum liquidumque te haurire ſentias.*

7. Dividitur

7. Dividitur Novatio in *voluntariam* quæ fit interveniente Stipulatione per conventionem partium; vel *neceſſariam* quæ fit per Litis conteſtationem judicio accepto. Illa denuo vel *ſine Delegatione* fit, vel *per Delegationem*.

8. *Sine Delegatione* fit Novatio, quando manente eodem debitore & creditore ad primam obligationem novi quid accedit per Stipulationem.——*Delegatio* contra fit, quoties novus Debitor in locum prioris ſubſtituitur. Novus ille Reus dicitur *Expromiſſor*, ſive ſe ipſe deleget ultro; ſive a debitore priore per mandatum delegetur.

9. Solent quoque ſolvi Obligationes, quæ utriuſque partis præſtatione conſtant, re adhuc integrâ CONTRARIO CONSENSV. Ubi autem ab alterâ parte jam quid ſit præſtitum accedat oportet vel hujus Condonatio, vel ut alia ratione id ſarciatur.

10. CONFVSIO eſt, quando obligatio Debitoris, & jus Creditoris in eâdem perſona coaleſcunt. Quum enim ex Contractu alter alteri obligetur, neminem ſibi ipſi debere poſſe, adeoque hoc modo obligationem tolli ſatis adparet.

11. OBLATIONE & CONSIGNATIONE tollitur obligatio, ſi debitor totam ſummam juſto tempore & loco *oblatam*, & a Creditore *non receptam*, in judicio citata altera parte *obſignat* & deponit. Quod legitimè factum, offerentem liberat ab obligatione tum ratione *ſortis*, tum ratione uſurarum, quarum curſus ſtatim ſiſtitur; atque etiam a periculo rei, quippe quæ ex eo non debitori, ſed creditori perit.

Sive ſe ipſe deleget ultro] Hoc fecit *Paulus*, dum pro *Oneſimo* intervenit. Philem. v. 18, 19.——Εἰ δέ τι ἠδίκησέ σε, ἢ ὀφείλει, τοῦτο ἐμοὶ ἐλλόγει.——Ἐγὼ Παῦλος ἔγραψα τῇ ἐμῇ χειρὶ, ἐγὼ ἀποτίσω, ἵνα μὴ λέγω σοὶ, ὅτι καὶ σεαυτόν μοι προσοφείλεις.

Obſignat & deponit.] Deponebantur res ſignatæ aliquando apud Acta, vel Officium; interdum in κειμηλιαρχίῳ, vel alio publico loco; quandoque etiam apud virum aliquem bonum Judicis arbitratu; ut plurimum autem apud ædem ſacram.——Cic. Epiſt. ad Attic. Lib. 5. Ep. 21.——*Ut in fano DEPONERENT poſtulantibus non conceſſi.*——Ipſæ pecuniæ deponendæ conſignabantur in ſacculo, ſignis non quidem publicis, ſed privatis.

12. Tolluntur

12. Tolluntur quoque Obligationes COMPENSATIONE, quæ eſt crediti & debiti inter ſe contributio; ſeu quando debitor ideo liberatur, quia eidem ipſe creditor rem ejuſdem generis, & quæ tantidem eſt, viciſſim liquido debet.

13. EXCEPTIONE, non *ipſo jure* tollitur Obligatio, 1. Pacto de non petendo in perpetuum. 2. Jurejurando. 3. Re judicata. 4. Præſcriptione. 5. Liberatione legata, aliiſque modis de quibus plenius in Titulo de Exceptionibus infra dicetur.

JUS ANGLICANUM. ad Tit. XXX.

Iiſdem modis diſſolvitur Obligatio, quæ naſcitur ex contractu, vel quaſi contractu, quibus contrahitur. *Re* nimirum, ut ſi res petenti reſtituatur: *Verbis*, ut ſi fiat in contrarium, & contrariis verbis. *Scripto*, ut ſi conſcripſerim me debere, ſcribat Creditor, ſe accepiſſe. *Conſenſu*, ut ſi communiter ex utraque parte conſentiant recedere a Contractu. *Traditione*, ut ſi res retradatur, &c.

Bractonus per varias *exceptiones* quoque tolli Obligationem docet, idque multipliciter.

Fuit denique alius modus tollendi Obligationem apud nos, quem LEGIS VADIATIONEM diximus. Nam ſi ſuper ſimplici contractu quis pecunias a me vendicaret, ego *vadiare legem* potui contra eum; id eſt, potui ſpondere me ad diem mihi judicialiter aſſignatum in curiam venturum, & legem facturum. *Legem* autem *facere* eſt illud in hoc caſu agere, quod lex poſtulat: jurare nimirum ſummam petitam, & unamquamque ejus partem eſſe indebitam: & alios mecum adducere, qui me verè juratum eſſe, ſacramento de credulitate ſuâ ſuſcepto affirmabunt.——Hæc autem nihil aliud eſt, quam quædam judicialis tranſactio, quam leges noſtræ nobis permiſerunt.

FINIS LIBRI TERTII.

ELEMENTA JURIS CIVILIS

SECUNDUM

METHODUM ET SERIEM

Institutionum *JUSTINIANI.*

LIB. IV.

TIT. I.

De Obligationibus, quæ ex Delicto Naſcuntur.

1. OBligatio omnis aut ἀμέσως ex *æquitate*, vel *lege* naſcitur; vel accedente *facto* noſtro. Factum vero vel *licitum* eſt, vel *illicitum*. Illud *conventio*, hoc *Maleficium*, vel *Delictum* appellatur. Hactenus de Conventionibus, jam de Delictis agendum.

2. Eſt vero DELICTVM *factum illicitum, ſponte admiſſum, quo quis & ad reſtitutionem, ſi fieri poſſit, & ad pœnam obligatur.* Quum enim in omni Delicto concurrant *reatus*, ſeu vitioſitas actus, & *effectus*, ſeu damnum alteri illatum; illi *pœna* reſpondet, huic *damni reparatio.*

3. Eſt porro Delictum vel *verum*, vel *quaſi Delictum*. Illud ex dolo malo; hoc ex culpa ſine dolo admittitur.

4. *Verum*

4. *Verum* iterum vel *publicum*, vel *privatum* eſt. Illud publico judicio, publicâque animadverſione vindicatur; hoc quum directè ad læſionem privatorum tendat, tantum privatam producit perſequutionem. Talia ſunt, *Furtum*, *Rapina*, *Damnum injuria datum*, *Injuria*.

5. *Publicum* vel ex lege quadam publicorum judiciorum deſcendit; vel extra ordinem, quamvis nulla hujuſmodi lex eam in rem lata ſit, vindicatur. Prius vocatur *crimen ordinarium*; poſterius *extraordinarium*, quibuſdam enim criminibus jure non eſt certa pœna conſtituta, ſed arbitrio judicis delinquentes puniuntur, ut *Prævaricatores*.—— Jam de delictis *privatis*, & ſpeciatim quidem hoc titulo de *Furto* agendum.

6. FVRTVM eſt *Contrectatio fraudulosa lucri faciendi gratia, vel ipsius rei, vel usus ejus, possessionisve, quod lege naturali prohibitum est admittere.*

FVRTVM] Eſt vero hoc vocabulum ex eorum numero, quæ uſus in deteriorem ſignificationem detorſit. Nam & *ſervos* olim dictos eſſe *Fures* diſcimus e Nonio. IV. 204. p. 660.——Et notus eſt verſus Virgilii Eclog. III. v. 16.

Quid Domini faciant, audent cum talia FVRES?

Furari enim proprium erat Servorum, adeo ut Furtum *ſervile probrum* vocet Tacit. Hiſt. I. 48.——*Igitur jussu C. Cæsaris oneratus catenis; mox mutatione temporum dimissus, cursu honorum inoffenso, legioni post Prætoram præpositus, probatusque; SERVILI deinceps PROBRO respersus est, tanquam scyphum aureum in convivio Claudii furatus.*

Quod lege naturali prohibitum eſt admittere.] Natura ipſa hoc omnium mentibus ingeneravit, nefas eſſe alteri detrahere ſui commodi cauſa. Cic. de Offic. Lib. 3. cap. 5.——*Illud natura non patitur, ut aliorum spoliis nostras facultates, copias, opes augeamus.*——Quod vero apud quaſdam gentes furta licita, atque impunita fuêre, veluti apud *Ægyptios* & *Lacedæmonios* id rationem communem non mutat; neque ex unius, aut alterius populi inſtitutis de jure naturæ, ſive gentium judicandum eſt. Sed nec illi ipſi, quos diximus, *Ægyptii* aut *Lacedæmonii* furta ſimpliciter permiſerunt aut probârunt, tanquam rem omnibus, & per ſe licitam. Verum *Ægyptiorum* Legiſlator, cum exiſtimaret fieri non poſſe, ut omnes a furto abſtinerent, viam quæſivit, qua Domini res ſublatas ſtatim, & ſine magno damno recuperarent. Nam qui furtis operam dare vellent, juſſit nomen ſuum profiteri apud furum principem, atque ad eum res ſurreptas e veſtigio referre, quæ deinde Dominis ita reſtituerentur, ut prius taxatione facta, quartam partem pretii

7. *Contrectare* eſt rem amovere: unde neque rei immobilis, neque incorporalis; neque ſola cogitatione furtum fit. *Fraudulosa* autem eſt Contrectatio, quæ fit animo furandi, ſeu alieni intervertendi causâ. Neque enim rei propriæ fit furtum, nisi cum uſus & poſſeſſio eſt alterius: neque rei hæreditariæ quæ nullius eſt: neque rei alienæ volente & ſciente Domino: neque rei alterius ſine propoſito & animo furandi. Unde nec impubes furti tenetur, niſi cum pubertati proximus ſit, & intellectum habeat.

8. Quum vero Contrectatione interverti poſſit vel res, vel uſus, vel poſſeſſio, Furtum quoque vel *Rei*, vel *uſus*, vel *poſſeſſionis* eſt.——Furtum REI committit, qui rem intervertit ut ſibi habeat, vel diſſimulans ſe habere, vel Domino petenti denegans, ut Servum, vel veſtem, vel quamlibet rem alienam mobilem.—— Furtum VSVS committitur ab eo, qui vel re ſibi uſui non conceſsâ utitur, vel conceſsâ aliter utitur ac Dominus velit.——Furtum POSSESSIONIS committitur ab ipſo Domino debitore, qui creditori pignus datum clam aufert.

9. Dividebatur porro Furtum a Romanis in *Manifeſtum*; *nec manifeſtum*; *conceptum*; *Oblatum*; *Prohibitum*; *non exhibitum*.

earum pro redemptione perſolverent, quaſi pœnam negligentiæ.——*Lycurgus* autem, qui *Lacedæmoniis* leges tulit, non promiſcuè omnium rerum furta permiſit, ſed tantum edulium; neque omnibus furari, ſed junioribus duntaxat; quos furtim ſibi alimenta comparare voluit, ut acuerent induſtriam; diſcerentque a pueris, noctu vigilare, interdiu fallere, inſidias ſtruere, exploratores habere; quoniam deprehenſos verberibus cœdi jubebat; ita adultos bello utiliores fore exiſtimans.

Vel conceſsâ aliter utitur ac Dominus velit.] Elegans rigidioris Romanorum diſciplinæ exſtat apud Valer. Maxim. Lib. VIII. cap. 2.——*Multus Sermo eo etiam judicio manavit, in quo quidam furti damnatus eſt; quod equo, cujus uſus illi uſque Ariciam commodatus fuerat, ulteriore ejus municipii clivo vectus eſſet. Quid aliud hoc loci, quam verecundiam illius ſeculi laudemus, in quo tam minuti a pudore exceſſus puniebantur?*——Gell. Lib. VII. cap. 15.——*Labæo, in libro de duodecim Tabulis ſecundo, acria & ſevera judicia de furtis habita eſſe apud veteres ſcripſit: idque Brutum ſolitum dicere, furti damnatum eſſe, qui jumentum aliorſum duxerat, quam quo utendum acceperat; item qui longius produxerat, quam quem in locum petierat.*

10. MANIFESTVM eſt, quum Fur in ipſo furto (ἐπ' αὐτοφώρῳ) antequam eo pervenerit, quo furtum deferre deſtinaverat, adclamando, vel accurrendo deprehenditur.

11. NEC MANIFESTVM eſt, in quo fur non eſt deprehenſus, ſed tamen eum furem eſſe, & furtum commiſiſſe negari non poteſt.

12. CONCEPTVM eſt, quando res furtiva ſolenni ritu *per lancem & licium* quæſita, ac apud aliquem, qui licet fur non ſit, rem tamen furtivam eſſe ſciverit, inventa ſit.

Adclamando vel accurrendo] Manifeſtum furem deſcribit Virgil. Eclog. III. v. 17.

Non ego te VIDI Damonis, Peßime, caprum
Excipere inſidiis, multum latrante Lyciſca?
Et cum CLAMAREM, Quo nunc ſe proripit Ille?
Tityre, coge pecus: Tu poſt carecta latebas.

Non ſola vero ſufficiebat viſio, ſed oportebat eum qui viderat, id ipſum præ ſe tuliſſe, & indicaſſe quod fiebat clamore & accurſu.

Nec manifeſtum eſt,] Furis *nec manifeſti* exemplum occurrit apud Virgil. Æneid. VIII. v. 205.

At Furis Caci mens effera, ne quid inauſum
Aut intentatum ſceleriſve dolive fuiſſet;
Quattuor a ſtabulis præſtanti corpore tauros
Avertit, totidem formâ ſuperante juvencas.
Atque hos, ne qua forent pedibus veſtigia rectis
Caudâ in ſpeluncam tractos, verſiſque viarum
Indiciis raptos, ſaxo occultabat opaco.
Quærentem nulla ad ſpeluncam ſigna ferebant.
Interea cum jam ſtabulis ſaturata moveret
Amphitryoniades armenta, abitumque pararet:
Diſceſſu mugire boves, atque omne querelis
Impleri nemus, & colles clamore relinqui,
Reddidit una boum vocem, vaſtoque ſub antro
Mugiit, & Caci ſpem cuſtodita fefellit.

Solenni ritu per lancem & licium quæſita] Quum pleræque leges XII. tabularum e jure Attico manarint, hæc quoque *furti concepti actio* una cum ritu concipiendi res furtivas *Athenis Romam* migrare potuit. Neque aliunde ergo ea omnia, quam e ritibus Atticis illuſtrari potuerunt rectius. Qui ſi cum antiqua illa obſervatione a *Juſtiniano* memoratâ conveniunt, facile nobis perſuadebunt, ut Ritui Romano lucem e Græcorum moribus accendi poſſe exiſtimemus.

Quo

Quo vero ritu *Athenis* requisitæ sint res furtivæ luculenter docuit Græcus Scholiastes Aristophanis. In hujus enim *Nubibus* Socrates ita adloquitur Strepsiadem, v. 498.

Ἴθι νῦν, καταθοῦ θοιμάτιον·
Abi, Depone tunicam.

Respondet hic

——ἠδίκηκά τι;
——*An deliqui quidquam?*

Cui regerit Socrates,

Οὐκ, ἀλλὰ γυμνὸς εἰσιέναι νομίζεται.
Minimè, sed nudos nos incedere fas est.

Tum Strepsiades,

Αλλ' ἀχὶ φωράσων ἔγωγ' εἰσέρχομαι.
Atqui non FVRTVM CONCEPTVM eo.

Ad hæc ergo verba Scholiastes: Ἔθος ἦν, τὸς εἰσιόντας εἰς οἰκίαν τινὸς ὅτι τῦ ἐρευνῆσαι, γυμνὸς εἰσίεναι, ἵνα μή τι ὑπὸ τὰ ἱμάτια κρύψαντες λάθωσιν, ἢ ἵνα μὴ ὑπὸ ἔχθρας λάθωσιν ὑποβαλόντες τὸ ζητούμενον, κὴ ζημίας αἴτιοι τότῳ γένωνται. Οἱ γῦν μέλλοντες εἰσίεναι, ἵνα ὑποδεάσωνται χρήματα τῦ δημοσίυ, ἢ κατ' ἔρευναν γυμνοὶ εἰσήεσαν, ἵνα μή τι ἀποκρύψωνται. *Moris erat, ut qui res furtivas quæsitum ædes cujusdam ingrederentur, nudi ingrederentur, ne quid sub vestibus occulentes clam ferrent, neve ex inimicitiâ, quod quærere se simulabant, sub tunica occultatum inferrent, dominoque falsum crimen calumniosè objectarent. Hanc ob causam ingressuri ædes etiam ad inspiciendas, quærendasque res publicas nudi ingrediebantur, ne quid occultaretur.*

Paulo plenius eundem ritum describit Plato de Legib. Lib. XII. p. 691. ——Φωρᾶν δὲ ἄν ἐθέλη τις τὶ παρ' ὁτωοῦν γυμνὸς, ἢ χιτωνίσκον ἔχων, ἄζως@, ωεθομόσας τὸς νομίμυς θεὸς, ἢ μὴ ἐλπίζων εὑρήσειν, ὅτω φωρᾶν· ὁ δὲ παρεχέτω τὴν οἰκίαν, τά τε σεσημασμένα, κὴ τὰ ἀσήμαντα, φωρᾶν.——*Si quis in domo alterius quærere quippiam tanquam suum velit, is primo jurejurando affirmet sperare, quod quærit, ibi se inventurum: deinde nudus, aut interula indutus ingrediatur præcinctus, præbeaturque ipsi domus, & suppellectilia signata simul, & non signata.*——Ex his ergo colligas Athenienses furta concipere consuevisse nudos, nullaque veste nisi χιτωνίσκῳ, vel Licio succinctos.

Hunc ergo ritum una cum jure Attico Romam migrasse verosimillimum videtur, nec dubitare nos patitur *Festus*, qui sub voce *Lance*. p. 304.—— *Lance & Licio dicebatur apud Antiquos, quia qui furtum ibat quærere in domo aliena, licio cinctus intrabat, lancemque ante oculos tenebat propter matrumfamilias aut Virginum præsentiam.* Docet hic Festi locus licio illos incinctos fuisse, quemadmodum & χιτωνίσκον Plato more Attico concesserat. Id quoque inde discimus cui usui lanx fuerit in hoc negotio. Quum enim nudis incedendum esset requirentibus, sane pudor suadebat, ne faciem conspiciendam darent, agnoscique se paterentur a fœminis. Hinc forsan Larvam Lancis instar concavam vultui aptabant. Non ergo Lancem objiciebant oculis, ne fœminas viderent, sed quia eos puderet a fœminis agnosci.

Hunc vero ritum sustulisse videtur Lex *Ælutia*. Ita enim Gell. XVI. 10. ——*Sed enim quum Proletarii, & Assidui, & Sanates, & Vades, & Subvades,*

&

13. OBLATVM eſt, quum res furtiva ab aliquo tibi ignoranti rem furtivam eſſe oblata, apud te concepta ſit, dum eo oblata ſit animo, ut apud te potius, quam apud eum, qui dedit, conciperetur.

14. PROHIBITVM, quum quis furtum quærere præſentibus teſtibus volentem prohibuit.

15. NON EXHIBITVM, quum quis furtivam rem apud ſe quæſitam & inventam non exhibuit.

16. Sed & vel NOCTV fit furtum, vel INTERDIV. *Nocturnum* furem occidere licet, ſi aliter periculum evitari non poſſit, & id clamore ſuo occidens teſtificetur. *Diurnum* non niſi ſe telo, quum deprehenditur, defendit.

17. Ex furto agitur vel *civiliter* vel *criminaliter*. Si civiliter tunc aut pœnam aut rem perſequimur.

& viginti quinque aſſes, & Taliones, FVRTORVMQVE QVÆSTIO CVM LANCE ET LICIO evanuerit, omniſque illa XII. Tabularum Antiquitas, niſi in Legis actionibus centumviralium cauſarum LEGE ÆBVTIA LATA, conſopita ſit: ſtudium ſcientiamque ego præſtare debeo juris & Legum, vocumque earum quibus utimur.

Ex eo tempore non amplius ab ipſis Dominis, iiſque nudis requirebantur res furtivæ, ſed a præconibus & Servis publicis adhibitis teſtibus; ad quem morem alludit *Plautus* Mercat. III. IV. v. 78.

Certum eſt præconum jubere jam, quantum eſt conducier,
Qui illam inveſtigent, qui inveniant; poſt ad Prætorem illico
Ibo, orabo, ut CONQVISITORES det mihi in vicis omnibus,
Nam mihi nihil relicti quidquam aliud jam intelligo.

Non exhibuit.] De furto non exhibito interpretare debent locum illum Plaut. Pœnul. Act. 3. Sc. 1. v. 54.

Ille negabit, Milphionem quæri cenſebit tuum,
Id duplicabit omne furtum, Leno addicetur Tibi.

Ex furto enim non exhibito *Actio* dabatur *in duplum*.

Nocturnum furem occidere licet,] *Nocturnum* furem occidere, *diurnum* non item Lex *Moſaica* permittit.——*Exod.* 22. 2.——Eſſe hanc legem ex jure Attico in XII. Tabulas tranſlatam patet ex Demoſthenis Orat. pro Timocrate, p. 790. ubi hæc Solonis Lex citatur, εἴ τις νύκτωρ ὁπῶν κλέπτοι, τεθνάναι ἐξεῖναι καὶ ἀποκτεῖναι, καὶ τρῶσαι διώκοντα. *ſi quis noctu furtum faxit, is impunè occiditor, & vulnerator.*——Cic. pro Milone, cap. 3.——*Duodecim Tabulæ nocturnum furem quoquo modo, diurnum autem ſi ſe telo defenderit, interfici impune voluerunt.*

18. *Rei*

18. *Rei* perſequendæ causâ datur CONDICTIO FVRTIVA Domino, vel bonæ fidei poſſeſſori, nec non Tutori nomine pupilli, ejuſve hæredi contra furem, ſive poſſideat, ſive poſſidere dolo deſierit, ejuſque hæredes ad rem furto ablatam reſtituendam cum omni cauſa, ejuſve æſtimationem.

19. Ad *pœnam* perſequendam comparata eſt ACTIO FVRTI, quæ datur non modo Domino, nec huic ſemper, ſed & ei cujus intereſt, veluti creditori ratione pignoris, poſſeſſori, omnique cujus eſt periculo res, quique ſolvendo eſt, adverſus furem, eumque qui recepit, celavit, cujuſve ope, conſiliove furtum factum ad duplum, ſi furtum *nec manifeſtum* ſit; ad quadruplum ſi *manifeſtum*. Quumque Actiones rei & pœnæ perſequutoriæ ſe mutuo non tollant, ſequitur ut licet fur duplum vel quadruplum ſolverit, tamen condictio furtiva, vel rei vindicatio nihilominus habeat locum.

20. Extra ordinem etiam *criminaliter* jure Romano ex furto agitur vel ad mulctam fiſco adplicandam, vel ad pœnam corporis adflictivam, vel capitalem. Sed *Juſtinianus* vetuit ob furtum cuidam irrogari pœnam capitalem, vel quæ in membri mutilatione conſiſteret, voluitque ut fures in exſilium ejicerentur vel condemnarentur in mulctam.

JUS ANGLICANUM. ad Tit. I.

Oriuntur etiam apud nos obligationes ex *delicto*, vel *quaſi*. Delicta vero & maleficia ex dictis & factis præcedentibus, quæ quidem diſtingui debent, quo animo fiant, & qua voluntate. Voluntas enim & propoſitum diſtinguunt maleficia. Ex maleficiis autem procedunt crimina *majora*, ſicut *Læſæ Majeſtatis*, *Homicidia*, *Furta*, *Rapinæ*, & alia plura; vel *minora*, ut *Injuriæ* & *Tranſgreſſiones*. Nam ſub his noſtri omnes obligationes ex privatis delictis ortas comprehendunt.

Leges civiles furtum manifeſtum judicant per redditionem quadrupli, & furtum non manifeſtum per dupli compenſationem expiari. Sed Leges *Angliæ* neutrum facinorum illorum mitius quam committentis morte puniri permittunt, dummodo res ablata duodecim denariorum valorem ſuperet, vel adæquet.

Furtum autem dividitur a noſtris in *Latrocinium* & *Robariam*: Latrocinium definitur eſſe *ablatio Catalli perſonalis in abſentia poſſidentis*. Atque reſpectu rei

TIT. II.

De Vi Bonorum Raptorum.

1. Alterum Delictum privatum eſt RAPINA, quæ eſt *violenta rei alienæ mobilis ablatio, lucri faciendi cauſa dolo malo facta.*

2. Eatenus conveniunt *Furtum* & *Rapina*, quod utrumque delictum in doloſa rei alienæ mobilis contrectatione, conſilioque lucrum faciendi conſiſtit: ſed in eo differunt, quod furtum ſit ablatio *frauduloſa*; rapina ablatio *violenta*.

3. Ex definitione ergo infertur locum non habere actionem *vi bonorum raptorum*, ſi quis rem immobilem invaſit; ſed tunc vel ex interdicto *unde vi*; vel ex lege Julia de *vi publica*, vel *privata* agendum eſſe.

4. Ex eâdem ſequitur, ut ſi quis rem non alienam, ſed quam ſuam putavit, ſive mobilem, ſive immobilem vi rapiat, is rapinæ reus non ſit. Ne tamen dum talia excogitantur via inveniatur per quam raptores impune ſuam exerceant avaritiam; cautum eſt Conſtitutionibus, ut qui rem, quam ſuam exiſtimabat vi rapuit, dominio rei ſuæ caderet: ſin aliena res reperiatur, poſt reſtitutionem ejus æſtimationem præſtare teneatur, & quidem non fiſco, ſed læſo.

5. Porro inde colligendum, ſolum hic dolum ſpectari, non rei raptæ pretium;—hoc delictum non cadere in impuberem, adeo-

rei ablatæ dicitur vel *Magnum* vel *Parvum*. *Magnum* eſt, quod rem mobilem ad vel ſupra æſtimationem duodecim denariorum furto ſubducit: *parvum* quod rem talem minoris valoris.—*Robaria* eſt quæ rem de perſona, vel ſaltem in præſentia poſſidentis ſubducit.

Omne autem furtum apud nos publicum eſt Delictum. Nam & parvum Latrocinium, licet non morte, ſed carcere aut flagris caſtigetur, felonia eſt ſecundum quoſdam, licet alii aliter ſentiant.

Sed in eo differunt] Unde apud Plaut. Epid. I. 1. Servus nequam.

TH. *Minus jam furtificus ſum quam antehac.*
EP. *Quid ita?* TH. *RAPIO propalam.*

Si quis rem immobilem invaſit;] *Rapi* dicebantur res mobiles; Immobiles non rapi, ſed *invadi* dicebantur.

que nec in quemquam, qui doli incapax, veluti furioſum, dementem &c.

6. Poteſt quidem & contra raptorem *Actio Furti* locum habere, quia & ipſe fur improbus eſt. Datur tamen & a Prætore *Actio vi bonorum raptorum* mixta, id eſt, rei ac pœnæ perſequutionem continens, quâ Dominus, vel is, cujus intereſt agit contra raptorem, (non etiam contra hæredem) *intra annum* in quadruplum, *poſt annum* in ſimplum. Hoc vero quadruplum ſecus ac in actione furti, & rei pretium & pœnam continet. Ex quo colligendum nullam ex hoc delicto dari actionem rei perſequutoriam; ſi quis vero ob rapinam *actionem furti* inſtituerit, ei & condictionem furtivam, ad rem ejuſve æſtimationem etiam ab ipſis hæredibus conſequendam, vel rei vindicationem competere. Videatur quidem leviori pœna teneri raptor, quam fur Manifeſtus, cum tamen gravius delinquat, qui vi apertâ bona rapit, quam qui fraude: verum ex eo raptoris pœna gravior eſt, quia raptor pluribus Actionibus tenetur.

Quia & ipſe fur improbus eſt.] Euripid. Helen. 909.

Μισεῖ γὰρ ὁ Θεὸς τὴν βίαν, κτητὰ δὲ
Κτᾶσθαι κελεύει πάντας, οὐκ ἐς ἁρπαγάς.
Ἑκατὸν δ' ὁ πλοῦτος ἐς ἄδικός τις ὤν·
Κοινὸς γὰρ ὄζιν ἅρπαγ' πᾶσι βροτοῖς
Καὶ γαῖ', ἔν ἢ χρὴ δώματ' ἀναπληρουμένους
Τ' ἄλλότρια μὴ χεῖν, μηδ' ἀφαρπάζειν βία.

Namque odit ipſe vim Deus, nec divites
Nos eſſe rapto, ſed probè partis cupit.
Spernenda, ſi non jure veniat, copia eſt.
Communis æther hominibus, tellus quoque,
In qua ampliare ſic fas eſt domum,
Ut ab alienis rebus, ac vi temperet.

Intra annum in quadruplum] Athenis, qui per vim aliquid abſtulerat lege in duplum tenebatur, non tantum ei, a quo per vim abſtulerat, ſed etiam publico Ærario.———

Τὸν βίᾳ ὁπῳοῦν ἀφελόντα διπλοῦν ἐκτίνειν τῷ Ἰδιώτῃ, καὶ τὸ ἴσον τῷ δημοσίῳ προσιμᾶν.

7. Dabatur

7. Dabatur & *criminalis* hujus Delicti perſequutio contra graſſatores, qui ferro inſtructi rapiunt; & Latrones, qui & occidunt & ſpoliant.

TIT. III.

De Lege Aquilia.

1. Tertium Delictum eſt DAMNVM INIVRIA DATVM, quod vindicatur ex *Lege Aquilia.*——Damnum vero injuria datum eſt *omnis Patrimonii diminutio, nullo jure facta,* & quidem *ab homine libero.* Nam ſi ſervus, (olim & filiusfamilias,) delicto privato quocunque alterum læſiſſet, id quidem NOXIÆ; ſin quadrupes nocuiſſet, PAVPERIEI nomine veniebat Jureconſultis.

JUS ANGLICANUM. ad Tit. II.

TRANSGRESSIONIS latum eſt nomen; omnem enim legis violationem comprehendit. Sed noſtri prudentes privata delicta omnino Tranſgreſſiones appellant, & has quoque inter ſe diſtinguunt. Eas enim quæ vim aliquam adjunctam habent, tranſgreſſiones magis propriè; alias vero tranſgreſſiones ex ſpecie facti illegitimi licet non violenti, vel (ut ipſorum verbis utar) *ſuper caſu* ortas dicunt. Unde forma actionis ſuper illa tranſgreſſione edita hæc verba, VI ET ARMIS; ſuper hac vero CONTRA PACEM ſemper continet. Nos Tranſgreſſionem violentam ad Titulum *de vi bonorum raptorum* ſatis aptè referri putamus, & illam alteram duobus ſubſequentibus accommodaturi ſumus.

Actio autem de vi bonorum raptorum, aut de tranſgreſſione VI ET ARMIS datur domino de rebus tam inanimatis vi abductis, ut plauſtris, naviculis: quam animatis, ut jumentis, ovibus: idque non cicuribus ſolum, ſed etiam feris naturæ in cuſtodia noſtra exiſtentibus: ut Cuniculis noſtræ garennæ, aut columbis noſtro columbario incluſis. Inſuper de ſervis noſtris, de liberis etiam & Apprenticiis, & uxoribus cum mariti ſui bonis aliquot abductis; de filio denique filiave hærede abreptis, & matrimonio cum aliquo vel aliqua præter conſenſum noſtrum copulatis; de quantitate, ut pecunia; de bonis Felonum e libertate noſtra ſublatis; de Waiviis & Extrahuris e feudo noſtro aſportatis, aut fugatis.

Datur autem hæc Actio ad damni dati emendationem, ſed non in Executorem Tranſgreſſoris, nec hæredes, quia perſonalis & pœnalis eſt.

Damnum injuria datum,] Cic. pro Q. Roſcio Comœdo. — *In hanc rem me cognitorem dediſti; lite conteſtatâ, judicio DAMNI INIVRIA conſtituto, tu ſine me cum Flavio decidiſti.*

2. Quum ergo *injuriâ* damnum datum eſſe oporteat, injuriâ autem factum dicatur, quod non *jure* factum; ſequitur ut ex lege *Aquilia* teneatur non modo qui dolo, ſed & qui culpa damnum intulit, etiam leviſſima; veluti ſi quis imperitia artis, quam profitetur, aliquid egit; vel infirmitatis ſuæ parum memor aliquid ſuſcepit, quo alteri nocetur.

3. Contra ex lege hac non tenetur, qui jure ſuo uſus alteri damnum dedit, veluti, qui moderamine inculpatæ tutelæ adhibito, adgreſſorem vel latronem occidit. Is vero id moderamen adhibuiſſe intelligitur, qui aggreſſorem injuſtâ vi irruentem, imminente vitæ, corpori, vel rebus periculo, in continenti tuendi ſui cauſa occidit.

4. Similiter nec qui caſu fortuito damnum dedit reus eſt; quia caſum nec in contractibus, nec in delictis quiſquam præſtat, ſi modo culpa nulla inveniatur.

5. Tria potiſſimum fuere legis Aquiliæ capita, quorum primo cautum, ut, *ſi quis ſervum, ſervamve, alienum alienamve, quadrupedemve pecudem injuria occiderit, is tantum domino æs dare damnas ſit, quanti id eo anno plurimi fuerit.* Ergo *primum* caput vindicabat damnum non quodvis, ſed *occidendo* datum; non in re quavis, ſed in *Servis* & *pecudibus quadrupedibus*, id eſt, quæ gregatim habentur, datum, quales & ſues ſunt.

Qui moderamine inculpatæ tutelæ adhibito] Ciceroni de hac re auſcultemus.——*Eſt hæc non ſcripta, ſed nata Lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus; ad quam non docti, ſed facti; non inſtituti, ſed imbuti ſumus; ut ſi vita noſtra in aliquas inſidias, ſi in vim, in tela, aut latronum, aut inimicorum incidiſſet, omnis honeſta ratio eſſet expediendæ ſalutis.* Pro Milon. c. 4.

Pecudibus quadrupedibus,] Jureconſulti quoties ex arte loquebantur diſtinguebant Quadrupedes, Pecudes & Beſtias. *Quadrupedes* ſunt, quæ dorſo & collo domantur, id eſt, quæ ſarcinas vehunt & trahunt.——*Pecudes*, quæ gregatim paſcuntur:——reliqua Animalia *Beſtiæ* vocabantur. An Sues pecudum appellatione continerentur apud veteres dubitatum fuit: Placuit vero etiam ſues pecudum numero haberi, quia & ipſi gregatim ſub imperio paſtoris paſcuntur. *Marcianus* Juriſconſultis hanc ſententiam confirmat auctoritate *Homeri*.

6. *Secundum* caput & ab uſu receſſit, & hodie ignotum eſt, quamvis veroſimillimum videatur, eo capite vel de ſervo corrupto; vel de effuſis & dejectis egiſſe *Aquilium*; vel etiam plura, quam tria hujus legis capita fuiſſe.

7. *Tertio* cautum fuerat, ut *ſi quis alias res præter hominem & pecudem occiderit; vel ſi quis alteri damnum dederit urendo, frangendo, rumpendove injuria, is tantum æs domino dare damnas eſſet, quanti ea res fuerit in triginta diebus proximis.* Quare ex hoc capite vindicabatur Damnum in alia re, quam ſervo vel pecude quadrupede non ſolum occidendo, ſed & quovis modo corrumpendo illatum.

TIT. IV.

De Injuriis.

1. Quartum delictum privatum eſt INIVRIA, quo vocabulo hic non denotatur omne, quod non jure fit, uti in lege Aquilia, ſed quodvis dictum factumque ad alterius contumeliam dolo malo directum.

Δήεις τόγε σύεσσι παρήμενον, οἱ δὲ νέμονται
Πὰρ Κόρακος πέτρῃ, ὅθι τῇ κρήνη Ἀρεθόωσα.

Aſſidet in ſuibus, quorum grex magnus in agris
Paſcitur ad Coracis ſaxum, fontemque Arethuſam.

JUS ANGLICANUM. ad Tit. III.

Tranſgreſſio quæ SVPER CASV dicitur, aut damnum tantummodo patienti infert, aut cum damno Contumeliam. Illam juris civilis Authores ſub titulo legis Aquiliæ comprehendunt; hanc vero ad Titulum de injuriis referunt.

Tranſgreſſionem itaque *ſuper caſu* committit, qui alterius ſtatum vel conditionem ſuo delicto deteriorem facit; ſpecies vero, quæ huc referri poſſunt, infinitæ ſunt.

Hac etiam Actione tenetur, qui per infortunium, & non dolo vel culpa alium læſit.

Ad alterius contumeliam] Generaliter injuria dicitur omne quod non jure fit, ſpecialiter *contumelia*, quæ a *contemnendo* dicta eſt, quam Græci ὕβριν appellant.——Demoſthen. in Orat. adverſus Midiam. p. 395.——Οὐδὲ

2. Committitur injuria Re, Verbis, & Literis. RE cum quis pugno pulſatus, aut fuſte cæditur;——VERBIS, cum quis alteri convicium dicit.——LITERIS, cum quis famoſum libellum vel carmen ad infamiam alicujus conſcribit, componit, vel edi curat, cujus pœna eſt capitalis.

οὐ τὸ τύπτεσθαι τοῖς ἐλευθέροις δεινὸν, καίπερ ὃ δεινὸν, ἀλλὰ τὸ ἐφ' ὕβρει.——*Nec enim tam grave hominibus ingenuis verberari, quanquam & hoc grave, quam per contumeliam verberari.*——Apud Cæcilium quidam,

Facile ærumnam ferre poſſum, ſi inde abeſt Injuria,
Etiamque injuriam, niſi contra conſtat contumelia.

Cum quis famoſum libellum, vel carmen ad infamiam alicujus conſcribit] Nolebant Romani honeſtorum civium famam Poetarum licentiæ, petulantiæque eſſe obnoxiam, neque probrum quenquam audire, niſi ea lege, ut reſpondere liceret, & in judicio defendere. Si quis ergo tam inſignem injuriam cuiquam intuliſſet, FVSTE feriebatur. Qua de re Horat. Epiſt. II. 1.

——*Quin etiam Lex*
Pœnaque lata, MALO quæ nollet CARMINE quenquam
Deſcribi; vertere modum, formidine FVSTIS
Ad bene dicendum, delectandumque redacti.

Idem de Arte Poet.

——*In vitium Libertas excidit, & vim*
Dignam LEGE regi.——

Romani vero, quo Græcis honeſtiores, ita ſeveriores alienæ famæ vindices. Apud Græcos enim non humiles modo, ſed & proceres patebant licentiæ, & petulantiæ Poetarum, præcipuè Comicorum, qui perſonam alienam protrahebant in Scenam publicè ludibrio habendam, & conviciis exagitandam. Nec Magiſtratum ipſum verebantur. Nam *Ariſtophanes*, cum *Cleonem* principem tum civitatis in Scenam induxiſſet, & præ reverentia & metu nemo Hiſtrionem eum reddere vellet, ipſemet Poeta *Cleonem* egit, quamvis vetuſta Lex prohiberet Τὸν Ἀρχόντα φανερῶς κωμωδεῖν. *Magiſtratum in Comœdia palam carpere.* Gliſcente autem indies furore Poetarum, vetitum fuit *nominatim* aliquem in Comœdia perſtringere——Μὴ κωμωδεῖν ἐξ ὀνόματος.——Cumque ne ſic quidem effræna maledicentia conticeſceret, oportuit ab radice petulantiam exſcindere, ſublatâ Comœdia illa, quam deinceps VETEREM appellarunt, ut eam diſtinguerent a NOVA, & pudentiori in illius locum ſubſtituta, in qua Menander maxime floruit.——Horat. Lib. 1. Sat. 4.

Eupolis atque Cratinus, Ariſtophaneſque Poetæ,
Atque alii, quorum COMOEDIA PRISCA virorum eſt:
Si quis erat dignus deſcribi, quod malus, aut Fur,
Quod mœchus foret, aut Sicarius, aut alioqui
Famoſus, multa cum libertate notabant.

Quintil.

3. Quumque & major & minor poſſit inferri contumelia, injuria in *Simplicem* ſive *levem*, & Atrocem dividitur. *Illa* fit, cum quis leviter, & levi ex cauſa ab aliquo injuriosè pulſatur: imo & cum filius a patre, a Patrono Libertus, vel alius a ſuperiori ſuo levi, nullâve ex cauſa cæditur, corripiturque.—*Atrox* vero injuria contumelioſior & major æſtimatur, & fit multifariam, vel ex *facto* atque armis, quibus infertur, ut ſi vulnus alicui illatum, vel os percuſſum ſit, idque gladio aut fuſte;— vel ex *perſona* ut ſi magiſtratus, Pater, Patronus, Vir nobilis injuriam patiatur; —vel ex *loco*, ut ſi quis in foro, Theatro, aut Judicum conſpectu paſſus fuerit injuriam;—vel ex loco vulneris, veluti ſi in oculo, vel facie quis percuſſus fuerit.

4. Patitur quis injuriam non ſolum per ſemetipſum, hoc eſt, cum directò ipſi patrifamilias, vel matrifamilias fit injuria; verum etiam per alias perſonas, cum ſcilicet per conſequentias injuria fit his, quos in poteſtate quis habet, veluti liberis, item

Quintil. Lib. 10. c. 1. *ANTIQVA Comœdia cum ſinceram illam Sermonis Attici gratiam prope ſola retinet, tum facundiſſimæ libertatis, etſi in inſectandis vitiis præcipua, plurimum tamen virium in cæteris partibus habet. Nam & grandis, & elegans & venuſta, & neſcio an ulla, poſt Homerum tamen, quem ut Achillem ſemper excipi par eſt, aut ſimilior ſit Oratoribus, aut ad oratores faciendos aptior. Plures ejus Auctores*; Ariſtophanes *tamen*, & Eupolis, Cratinuſque *præcipui.*

Lege quidem cautum eſt apud Athenienſes, ne quis Areopagitarum Comœdiam ſcriberet.

Μηδένα ποιεῖν κωμῳδίας Ἀρειοπαγίτην.

Si comœdiam autem ſcribere indignum viſum Areopagitarum gravitate, quanto magis mimos agere, ſenatoriam Dignitatem dedecebit? Itaque meritò cum in Patricios ſcenica officia tractantes, tum in populum iis applaudentem invehitur Juvenalis Sat. 8. v. 185.

Conſumptis opibus vocem, Damaſippe, locaſti
Sipario, clamoſum ageres ut phaſma Catulli.
Laureolum Velox etiam bene Lentulus egit,
Judice me, dignus vera cruce. Nec tamen ipſi
Ignoſcas populo: populi frons durior hujus,
Qui ſedet, & ſpectat triſcurria Patriciorum.
Planipedes audit Fabios, ridere poteſt qui
Mamercorum alapas.——

uxori,

uxori, nurui; nam hæ perſonæ injuria affectæ actionem patri, marito, ac ſocero acquirunt, quorum nimirum poteſtati vel affectui ſubjectæ ſunt.

5. Si injuria viro facta ſit, Uxor non poteſt injuriarum agere. Defendi enim uxores a Viris, non viros ab uxoribus æquum eſt; niſi de captivitate aut incarceratione Viri, aliave perſonali injuriâ agatur, quæ ad ipſam quoque pertinet uxorem.

6. Poteſt vero ob injuriam vel *civiliter* agi, vel *criminaliter*; itemque vel ex *Edicto Prætoris*, vel ex *Lege Cornelia de Injuriis*.

7. *Prætoria*, quæ & *æſtimatoria* vocatur, datur injuriam vel in ſe, vel in aliis e familia ſua paſſo, adverſus eum, qui vel ipſe, vel per alios intulit, ad id, quanti injuriam actor æſtimaverit.

8. Extraordinaria *criminalis* datur iiſdem contra eoſdem ad pœnam arbitrariam infligendam.

9. Actio *ex lege Cornelia de injuriis* civilis non datur omnibus injuriam quamcunque paſſis, ſed cum quis pulſatus, verberatus, vel ejus domus vi introita eſt, adverſus pulſantem, verberantem, introeuntem, vel id fieri mandantem, ad id quanti actor injuriam æſtimaverit.

10. Criminalis ex eadem lege data videtur iiſdem adverſus eoſdem ad pœnam publicam reo infligendam.

11. Omnes hæ perſequutiones exſpirant *præſcriptione*; (Prætoria enim actio elapſo anno; actio ex lege Cornelia *civilis* poſt triginta; *criminalis* poſt viginti demum annos exſpirat;) *Remiſſione* ſive *expreſſa*, ſive *tacita*, quæ ex diſſimulatione iræ, & familiari cum reo conſuetudine colligitur;—*Morte* tum inferentis, tum injuriam paſſi.

Pulſatus, verberatus,] *Verberare* eſt cum dolore; *Pulſare* ſine dolore ignominiæ causâ cædere.

JUS ANGLICANUM. ad Tit. IV.

Generali injuriæ appellatione omnem juris tranſgreſſionem nos quoque contineri dicimus; ſed de illa *ſpeciali* hic loquimur, quæ *contumeliam* patienti inurit; ut cum quis pulſatus, verberatus, vulneratus, vel enormi illa læſione

TIT. V.

De Obligationibus, quæ quaſi ex Delicto Naſcuntur.

1. Hactenus de *veris Delictis*. Quæ his opponuntur QVASI DELICTA ſunt *facta illicita ſolâ culpâ ſine dolo admißa.*

2. Tale quaſi maleficium eſt. I. *Judicis litem ſuam facientis.* Litem autem ſuam facere dicitur, qui male judicavit. Quod ſi

læſione affectus, quam nos MAHEMIVM dicimus. Vel etiam ſine vi verbis convitioſis, exiſtimationemque ſuam minuentibus conſperſus, libellove famoſo conſpurcatus, incarceratione injuſta vexatus, vel alio ſimili modo male tractatus fuerit.

Hanc quoque injuriam committere videntur illi, qui dolo contexto in caput fortunaſque alicujus inſidiosè machinantur, quos noſtri CONSPIRATORES appellant.

Neque quidem injuriam per noſmetipſos tantum, ſed etiam per eos, qui in noſtrâ poteſtate ſunt, patimur; utpote per Uxores, per Liberos, per Servos.

Injuria quoque ex circumſtantiis levior, aut gravior fit. Circumſtantias autem numeramus fere ſeptem; nempe cauſam, perſonam, locum, tempus, qualitatem, quantitatem, & Eventum. Hæ enim pœnas vel exacerbare, vel diminuere ſolent.

Nos contumeliam, aut verba injurioſa alicui de majori nobilitate illata proprio nomine SCANDALVM MAGNATVM appellamus, quod cæteris quibuſcunque propter perſonæ læſæ ſplendorem & dignitatem graviorem pœnam meretur.

Datur hæc Actio, utpote & omnis alia, quæ ex tranſgreſſione eſt, contra eum qui culpâ & voluntate ſuâ injuriam intulit; & datur ad damni reſtitutionem, quod læſus tulit, per ſe quidem æſtimandi, ſed per *Juratores*, qui hac in re judices ſunt, taxandi.

Veritate criminis probata Injuria apud nos defenditur. Diſſimulatione denique patientis aboletur.

Litem autem ſuam facere dicitur, qui male judicavit.] Litem ſuam facere judex male judicando ideo dicitur, quia periculo litis ſe obſtringit, cauſamque ejus ſecundum quem pronuntiatum eſt ſuſcipere cogitur, & quaſi ſuam defendere.—Cic. de Orat. Lib. 1.—*Quid, ſi cum pro altero dicas, LITEM TVAM FACIAS, aut læſus efferare iracundia, cauſam relinquas, nihilne noceas?*

Romani quidem omnem dabant operam, ut Judices eſſent idonei. Hinc quidam lege impediebantur, ne eſſent judices; quidam natura, quidam moribus. *Natura*, ut ſurdi & muti, furioſi & impuberes: *Lege*, ut qui moti fuerant Senatu: *moribus*, ut fœminæ & Servi. Imo & juſtam exigebant ætatem annos ſcilicet ad minimum viginti quinque, & poſtea viginti,

is dolo fecit, *ex vero*; ſin ex imperitia & imprudentia, *ex quaſi delicto* obligatur. Et quidem priore caſu in veram litis æſtimationem cum famæ & muneris diſpendio; poſteriore in mulctam arbitrariam condemnatur, & poteſt conveniri *actione in factum*.

3. Deinde ex *quaſi delicto* tenentur II. Habitatores cœnaculorum, ſeu Domini, ſeu Inquilini ob DEIECTA vel EFFVSA a quocunque, quibus damnum datum prætereuntibus. A culpa enim alieni non videntur, qui homines ſocordes, & protervos recipiunt in familiam.

4. Quaſi delinquere etiam videtur III. qui aliquid ſupra eum locum, quo vulgo iter fit SVSPENSVM vel POSITVM habet, cujus caſu alicui noceri poſſit, vel nocitum ſit.

5. Quaſi ex delicto etiam competit Actio IV. adverſus NAVTAS, CAVPONES, STABVLARIOS ob damnum in rebus viatorum, vel hoſpitum datum.

ac demum octodecim, ſi magiſtratum gereret. Præterea judices omnes jubebant Romani jurare ſe ex animi ſententiâ, & ex lege judicaturos. Idque plerumque fiebat ad aram in Comitio, quæ *puteal Libonis* dicebatur. Erat vero *Puteal* ara ſuperſtructa *puteo*, in quo Nævii, illius celeberrimi Auguris, cotem & novaculam demerſam ferunt, quæ quum a Libone quodam fuiſſet reſtituta, PVTEAL LIBONIS dicebatur. Horat. Epiſt. I. 3.

——*Forum, putealque Libonis*
Mandabo ſiccis.——

Denique ut tanto minus eſſet periculi, ne imperitè judicarent: ſolebant aliquando iis unus, aut plures judicii ſocii Juriſperiti adjungi, quorum conſilio omnia agerent.

Nautas, Caupones, Stabularios] Vigebat inter Romanos & exteros *jus Hoſpitii*, adeoque viri honeſtiores non divertebant in cauponis, ſed hominum colluvies ibi delicias quærebat. Nec viri in dignitate conſtituti navibus publicis utebantur, ſed proprias ſibi conducebant. Unde tam inſignis erat, Nautarum, Cauponum, Stabulariorumque malitia, ut Horat. Sat. I. 5. v. 4. de iis canat:

——*Inde forum Appî*
Differtum NAVTIS, CAVPONIBVS atque malignis.

Et Sat. I. 1. v. 29.

Perfidus hic CAVPO.——

Intereſſe ergo videbatur Reipublicæ hos homines pravos non ſolum ex *quaſi contractu*, ſed & ex quaſi delicto teneri.

6. Sunt

6. Sunt & alia quaſi delicta, veluti. V. MISERICORDIA INTEMPESTIVA, qua alteri nocitum, & CONNIVENTIA, qua quis patitur delictum fieri, quod & poterat, & debebat prohibere.

TIT. VI.

De Actionibus.

1. Omne jus vel ad perſonas, vel ad res, vel ad Actiones pertinere ſupra monuimus. Explicatis ergo Juribus perſonarum & rerum, de ACTIONIBVS agendum erit.

2. Actio nihil aliud eſt, quam *jus perſequendi in judicio, quod ſibi debetur*; id eſt, poteſtas & facultas agendi, qua apud Judicem quis petit, quod ſibi dari aut reſtitui debet.

JUS ANGLICANUM. ad Tit. V.

Hodie pars quæ judicio ſe lædi ſentit, cauſam prætextu erroris commiſſi, ſi curia de Recordo ſit; alias per breve de falſo judicio ad aliud Tribunal potius removet, & ſententiæ prioris emendationem petit.

Obligationes tamen aliquæ ex quaſi delicto hic quoque uſu veniunt. Ex quaſi delicto enim videntur teneri centuriæ, quas HVNDREDA dicimus, pro compenſatione Latrociniorum, quæ in iis perpetrata ſunt, niſi latronem apprehenderint; & Villæ propinquæ loco alicui, in quo foſſa vel ſepes illicitè per homines ignotos dejicitur.

Similiter & Dominus communis hoſpitii, ſi ſerviens vel quis alius intra hoſpitium, ejus hoſpiti cuiquam pecunias intra hoſpitium ſubduxerit; & cuſtos Carceris, ſi domeſticus ejus incarceratum aliquem dimiſerit, ex quaſi delicto teneri videntur.

Actio nihil aliud eſt &c.] Quemadmodum jus aliud *privatum* eſt, aliud *publicum*; ita & judicia apud Romanos alia *privata*, alia *publica* erant. Utraque breviter, aſt accuratè hunc in modum diſtinguit Cic. pro A. Cœcina. ——*Omnia judicia aut diſtrahendarum controverſiarum, aut puniendorum maleficiorum causâ reperta ſunt. Privatis* ergo Judiciis quiſque, quod ſua intererat, perſequebatur; *publicis* vel ipſe populus ea, quæ reipublicæ detrimenti quidquam adferre potuiſſent; vel accuſator populi nomine crimina publico dedecori futura vindicabat. De *publicis* infra ad Tit. XVIII; de *privatis* hoc & ſequentibus titulis agemus.

Privata ergo Judicia ſunt controverſiarum de rebus privatis legitimæ diſcuſſiones, cognitiones, & Definitiones. —— Eorum porro ratio hæc erat.

Si domi inter amicos lis componi non potuiſſet, (quod tamen plerumque tentabatur) die poſtulationum petitor adverſarium *in jus vocabat*, hoc eſt, *rogabat*,

rogabat, ut ſe ad Prætorem ſequeretur. Si ſequi nollet, ex legibus XII. Tabularum obtorto collo eum in judicium rapere poterat, ſi antea præſentem aliquem *anteſtatus eſſet*, hoc eſt, *teſtem advocaſſet*, quod fiebat tacta ejus *auricula*, quia *ima auris* memoriæ ſedes habebatur. Hinc Horat. Serm. I. 9. v. 75.

——*Caſu venit obvius illi*
Adverſarius: &, quo Tu turpiſſime? magna
Adclamat voce; & LICET ANTESTARI? Ego vero
Oppono AVRICVLAM. rapit in jus: clamor utrinque,
Undique concurſus.——

Sed poſtea edicto Prætoris cautum fuit, ut ſi quis in jus vocatus non iret, ſatiſdaret fore, ut ſe in jure ſiſteret. Si reus *ſatis*, vel *cautum* non dediſſet, poſt anteſtationem in jus ducebatur ad Prætorem; alioquin in carcerem, ubi ſervaretur in ſequentem poſtulationis diem in jure ſiſtendi cauſa. Quod ſi quis domi ſuæ latitaret, extrahere quidem eum inde non licebat, quia ſua domus tutiſſimnm cuique refugium atque receptaculum eſt; verum edicto Prætoris, quod ad ædes rei cum teſtatione affigebatur, *citatus* fuit; & ſi tertiæ citationi, (fiebant vero citationes decem diebus inter ſingulas interpoſitis) reus non paruiſſet, Prætoris decreto bona ejus poſſideri, proſcribi, atque diſtrahi jubebantur. Si reus in judicium veniſſet, Actor *edebat Actionem*, hoc eſt, *declarabat, qua actione uti, & qua ex cauſa agere vellet*; nam ſæpe plures actiones in unam cauſam concurrebant. Tum Actor a Prætore *actionem*, ſive *judicium poſtulabat*, hoc eſt, *petebat ut ſibi in adverſarium liceret intendere*; reus vero *poſtulabat advocatum*. His impetratis Actor certa formula *vades petebat*, fore ut reus certo die, (qui plerumque *perendinus* erat) ſe judicio ſiſteret; iſque reum *vadari* dicebatur; reus contra dicebatur *vadimonium promittere*: & ſi non adeſſet, *Vadimonium deſerere*. Tertio inde die, niſi *tranſactum eſſet*, Prætor litigatores citari jubebat. Solebant tamen etiam reus & Actor nonnunquam *tranſigere* in via, & tunc quoque dimittebatur, qui in jus vocatus fuerat.——Et hinc lucem capiunt illa Salvatoris verba, Matth. V. 25.——Ἴσθι εὐνοῶν τῷ ἀντιδίκῳ σου ταχύ, ἕως ὅτου εἶ ἐν τῇ ὁδῷ μετ' αὐτοῦ· μήποτέ σε παραδῷ ὁ ἀντίδικος τῷ κριτῇ, καὶ ὁ κριτής σε παραδῷ τῷ ὑπηρέτῃ, καὶ εἰς φυλακὴν βληθήσῃ.——Confer Luc. XII. 58.——Litigator vero qui non aderat, (niſi *cauſa ſontica* fuiſſet impeditus,) cauſa cadebat. Hinc Horat. Sermon. I. 9. v. 35.

Ventum erat ad Veſtæ, quarta jam parte diei
Præteritâ, & caſu tunc reſpondere VADATVS
Debebat: quod ni feciſſet PERDERE LITEM.

Si uterque adeſſet, *Actionem* ſuam Actor *intendebat* certa *formulâ* conceptam; ſingulæ enim actionum intentiones propriis ſuis formulis erant incluſæ, a quibus nec latum unguem recedere licebat, nec vel uno nummo, exempli gratia plus petere, eaſque compoſuiſſe dicebatur *Cn. Flavius*, Scriba primum, mox Ædilis Curulis, ſed eas formulas prudenter ſuſtulit Imperator *Conſtantinus*. Concepta Actionis intentione Actor *Judicium*, ſive Judicem in eam a Prætore poſtulabat; ſi *Judicem*; aut eum qui propriè *Judex* dictus eſt, aut *Arbitrum*;

Arbitrum; — ſi *Judicium*; aut *Recuperatores*, aut Centumviros, *Judex*, qui ex albo Prætoris dabatur, cognovit omnis generis cauſas, ſed leviores; nec a formula judicii vel tantillum ei licebat diſcedere. — *Arbiter* cognoſcebat de iis cauſis, quæ *bonæ fidei*, & *arbitrariæ* dicuntur: & in arbitriis aliquando pecunia deponebatur, quæ dicebatur *compromiſſum*. *Recuperatores* dicti ſunt, qui de rebus privatis *recipiendis*, reddendiſque cognoſcebant, & in controverſiis de facto tantum dabantur, ut in injuriis &c. — Sic A. Cæcinæ Recuperatores dabantur, ut tota Ciceronis oratio docet.

De *Centumviris* paulo latius eſt dicendum. Hi fuerunt creati terni ex ſingulis tribubus, ita ut reverà centum & quinque numero eſſent, qui in cauſis gravioribus, & quæ non facti, ſed juris erant, (præcipuè in hæreditatis petitione, cauſa inofficioſi teſtamenti, & ſimilibus) judicia faciebant. Hæc autem Centumviralia judicia nec privatis, nec publicis judiciis erant ſimilia, ſed propriam quandam ſibi formam habebant: ac præterea Centumviri in tribunalibus ſedebant, cum alii judices ſubſelliis duntaxat uterentur; nec ab iis appellari poterat, quia totius Populi hic conſeſſus quodammodo conſilium erat. Videntur creati Centumviri circa A. V. C. 513. quando primum triginta quinque tribuum numerus expletus eſt. At poſt Auguſtum hæc judicia magis frequentari cœperunt, & centum ac Octoginta ordinario judices conſcripti ſunt, & in *quatuor Conſilia* ſive *Tribunalia* diviſi. Hinc Plinius Lib. 1. Epiſt. 18. — *Et eram acturus Adoleſcentulus adhuc; eram in QVADRVPLICI IVDICIO.* — Idem Lib. 4. Epiſt. 24. — *Proximè cum apud Centumviros in QVADRVPLICI IVDICIO dixiſſem, ſubiit recordatio egiſſe me juvenem æque in quadruplici.* — Et Lib. 6. Epiſt. 33. — *Nam fœmina ſplendidè nata nupta prætorio viro, exhæredata ab octogenario patre, intra undecim dies, quam ille novercam ei amore captus induxerat QVADRVPLICI IVDICIO bona paterna repetebat. Sedebant Judices centum & octoginta. Tot enim quatuor conſiliis conſcribuntur.* — Hi, Prætore denunciante, a *Decemviris litibus judicandis* cogebantur, qui inter minores magiſtratus, & in conſilio Prætoris erant, ac etiam Centumviris quodammodo præerant. Hinc *haſtæ* judicium idem eſt ac Centumvirale apud *Valer. Maxim.* VII. 8—4. quia *duabus defixis haſtis* exercebatur. Hinc *Lucanus.*

Seu trepidos ad jura DECEM citat HASTA VIRORVM
Et firmare jubet CENTENO IVDICE cauſas.

Et Martialis Epig. VII. 62.

Hunc miratur adhuc CENTVM gravis HASTA VIRORVM.

Jam ergo in proclivi eſt intelligere, cur *centumviralem haſtam cogere* dicantur Decemviri apud Suet. Aug. XXXVI. — *Ut centumviralem haſtam, quam quæſtura functi conſueverant cogere, Decemviri cogerent.* — Et cur Plin. Epiſt. ult. Lib. 5. ſcribat. — *Sedebant Judices; Decemviri venerant; obſervabantur Advocati; ſilentium longum; tandem a Prætore nuncius, dimittuntur Decemviri.* — Cauſas centumvirales recenſet Cic. de Orat. I. 38. eoque refert uſucapionem, tutelarum, gentilitatum, agnationum, alluvionum, circumluvionum, nexorum, mancipiorum, parietum, luminum, ſtillicidiorum, teſtamentorum ruptorum, aliaque hujus generis jura. Ipſum vero centumvirale judicium

cium in basilica Julia haberi consuevit, & quidem publicè, *ut densa circumstantium corona latissimum judicium multiplici circulo ambiret*, uti loquitur Plin. Epist. VI. 33.

Judex, ut Arbiter a reo probari debebat, ac tum *Judex convenire* dicebatur, & judicio quoque centumvirali uterque tam actor, quam reus subscribere debebat, ut ita in illud consensisse eos appareret. Judex porro ille dabatur, qui nec legibus, nec natura, nec moribus, quo minus judex esset, prohiberetur: & in ea verba dabatur, quibus postulatus erat. Tum interponebantur *Satisdationes judicatum solvi*, & *rem ratam haberi*. Prior præstabatur a procuratore rei, absente reo, vel ab ipso reo, si præsens esset, in judicio, vel extra judicium, procuratorem suum confirmante. Hujus Satisdationis tres erant clausulæ, nempe *de re judicata solvenda*; *de re defendenda*, hoc est, judicio sisti, & *de dolo malo*. Sed in propria persona conventus reus satisdatione non gravabatur; at de exitu litis exspectando, vel juratoriam cautionem, vel nudam promissionem; vel satisdationem pro qualitate personæ suæ dare compellebatur.——*Rem ratam haberi* satisdationem præstare debebat procurator Actoris, de cujus mandato aliqua ex parte dubitabatur; vel si mandatum exhibere non cogeretur, quales erant personæ conjunctæ actori. Hujusque rei ratio erat, ne judicia fierent elusoria, atque ita dominus de eâdem re iterum experiri cogeretur. Tum etiam Actor eum, unde petebatur sponsione provocabat, *ni ita esset:* & pecunia, quæ deponebatur, dicebatur *Sacramentum.*

Deinde fiebat *Litis Contestatio*, quæ nihil aliud est, quam *rei controversæ apud Judicem ex utraque parte testatè facta narratio:* & judicium demum a lite contestata incipere dicitur; unde *ante judicium conceptum*, & *ante litem contestatam* idem valent. Post litem contestatam uterque litigator denunciabat alteri in diem tertium, sive *perendinum*, unde *Comperendinatio* est dicta; quæ eadem *Condictio*. Eo die judicium fiebat, nisi Judex aut alter litigantium *morbo Sontico* impeditus abesset, tum enim dies diffindebatur. Si alter litigatorum non venisset, neque morbum excusâsset, Prætor in eum *Edictum peremptorium* dabat, ad quod non post tria, sed post duo edicta ventum est. Si uterque venisset, Judex primo jurabat, se ex lege judicaturum; & mox uterque litigatorum ejus jussu *jusjurandum calumniæ* præstabat, hoc est, *jurabat se non frustrandi, aut vexandi causa litem suscipere*; *Calumniari* enim proprie est, quod *Galli* hodie dicunt, *chicaner*. Actor etiam in quibusdam causis *in litem jurabat*, hoc est, *juratus litem æstimabat* scilicet in judiciis *bonæ fidei*, ubi res repetebatur, vel si contumacia, aut dolus rei interveniisset. Judex, si unus esset, unum vel alterum amicum jurisperitum in consilium sibi adsumebat. Tum *causa perorabatur*, quod vel breviter fiebat, & *Causæ Conjectio* dicebatur, vel pluribus & artificiosis verbis, quales sunt Orationes Ciceronis pro *Quinctio*, & pro *Roscio Comœdo*. Rabulæ autem, qui causas tantum morabantur, *Moratores* inde fuerunt dicti. Denique testes audiebantur, & tabulæ aliaque instrumenta producebantur.

Post

Poſt meridiem ante ſolis occaſum ad *ſententiam dicendam* ventum eſt, niſi Judex cauſam non intellexiſſet; tum enim jurabat ſibi *non liquere*, atque ita judicatu illo ſolvebatur; & hinc poſtea, ne temere judicarent, aliquando Imperatoris judicium eflagitabant. Vel etiam *ampliabat* Judex *cauſam*, hoc eſt *differebat* (ἀναβάλλειν dicunt Græci) quod tamen publicis judiciis magis uſitatum fuiſſe videtur. Pronunciabant autem plerumque Judices *videri* ſibi rem aliquam ita *eſſe*, vel *non eſſe*, etiamſi certiſſimè rem cognoviſſent, alioquin alterum litigatorum condemnabant, alterum abſolvebant.——*Arbitri* vero primum *arbitrium* pronunciabant, deinde ni reus arbitrio paruiſſet, eum condemnabant; & quidem ſi dolus rei interveniſſe probaretur, in quantum Actor jurejurando litem æſtimaſſet; licet etiam quandoque officio Judicis jusjurandum taxatione refrænaretur. Et in *arbitriis* quidem Judex liberior erat, quam in *judiciis*, quæ *ſtricti juris* erant; quia in arbitriis poterat rationem habere ejus, quod *bona fides* exigebat; licet tamen etiam Arbitri Prætoris auctoritate eſſent ſubjecti; iſque eorum, ut aliorum judicum ſententiam & pronunciaret & exſequeretur. Cum autem ſemel Judex ſive bene, ſive male ſententiam dixiſſet, Judex in ea cauſa eſſe deſinebat.

Peracto judicio reo aliquando ex juſtis cauſis dabatur *Reſtitutio in integrum*, quæ eſt *redintegrandæ rei*, vel *cauſæ actio*; & proprii erroris veniæ petitionem, vel adverſarii circumventionis allegationem continet, cum *appellatio* iniquitatis Sententiæ querelam prodat.

Reus, niſi intra triginta dies judicatum feciſſet, vel appellaſſet, a Prætore *nexus Creditori addicebatur*, ut eum in privatum carcerem conderet, donec pecunia, vel opera ſatisfeciſſet.——Judex denique, ſi ſciens dolo malo injuſtè judicaſſet, *litem ſuam faciebat*, hoc eſt, *veram litis æſtimationem præſtare cogebatur*; de quo crimine aliquando etiam lege repetundarum quæſitum fuit. Quod ſi pecuniam Judex a litigantibus accepiſſe convinceretur ex lege XII. Tabularum capitis damnabatur.

Privatis judiciis initio quidem Reges, poſt Conſules, denique Prætores præfuerunt. De Regibus Dionyſ. Halicarn. X. p. 627.——Τὸ μὲν ἀρχαῖον οἱ βασιλεῖς αὐτῶν ἐτάττοντο τοῖς δεομένοις τὰς δίκας, καὶ τὸ δικασθὲν ὑπ' ἐκείνων τοῦτο νόμος ἦν. ——Olim, quamdiu regnatum eſt in urbe, Regum arbitrio dirimebantur lites, & quod juſtum illi judicaſſent, id erat pro lege.——Idem Auctor Lib. II. ubi Regum jura muniaque deſcribit, id quoque iis datum eſſe negotii ait,——ut legum patriarumque conſuetudinem haberent cuſtodiam, omniſque juris, quod vel natura dictat, vel pacta & tabulæ ſanciunt, curam agerent.

Ejectis Regibus Juriſdictio hæc ad Conſules delata eſt, & penes alios Magiſtratus fuit, qui Conſulari poteſtate præerant Reipublicæ. Poſtremo juris dicundi poteſtas in urbe ad Prætorem delata eſt. Invaluit poſtea ubi duo Prætores creari cœperunt, ut prætorum alius civibus, alius peregrinis; *ille* ex jure Romano, *hic* ex jure gentium, uterque ex Edicto ſuo jus diceret. Attamen & quandam juriſdictionis partem ſibi vindicabant Ædiles. In provinciis Proconſules, Prætores, Præſides eadem juris dicundi poteſtate gaudebant.

3. Actionum

3. Actionum hoc titulo variæ traduntur Diviſiones, quæ eo ferè tendunt, ut intelligatur, cui Actio detur, adverſus quem, ad quid, &c. deſumptæ, vel a *cauſa materiali*, unde actiones aliæ in *rem*, aliæ in *perſonam*; — vel a *cauſa efficiente*, in *Civiles*, & *Prætorias*; —vel a *cauſa finali*, in perſecutorias *rei*, & *pœnæ*; — vel a quantitate rei petitæ, unde actiones quædam in *ſimplum*, quædam in *duplum* &c. conceptæ ſunt: —vel ab *intrinſecâ ipſarum Actionum qualitate*; hinc enim aliæ ſunt *bonæ fidei*, aliæ *ſtricti juris*; —vel denique ab *effectu*, ſive *quantitate exſecutionis*, quibus vel *ſolidum* perſequimur; vel modo *ſolidum*, modo *minus*.

I. Diviſio Actionum in *Rem*, & *Perſonam*.

4. Actio *in rem*, ſive *realis* eſt, *quâ cum eo agimus qui nullo jure nobis obligatus eſt*, neque *contractus* vel *quaſi*, neque *Delicti*, vel *quaſi*, petimuſque rem noſtram, quæ ab alio poſſidetur; dicta ideo *realis*, quia rem perpetuo ſequitur; item *Vindicatio*, a *Vindicando*, id eſt, aſſerendo ſibi dominium, vel jus, quod quis habet in re.

Item vindicatio,] Rei vindicatio inſtitui non poterat, niſi antea certum eſſet, cujus eſſe deberent VINDICIÆ, id eſt, quem poſſidere, quem petere oporteret. Hanc autem Poſſeſſionis controverſiam veteres VINDICIARVM *cauſam* appellabant, cujus deinde vocabuli ſignificatio propter ſimilitudinem, & affinitatem rerum inter ſe conjunctarum excurrit latius; nam & ipſam poſſeſſionem, & poſſeſſionis controverſiam, & rem de qua controverſia eſſet, ipſumque agrum, vel glebam imaginem agri *vindiciarum* vocabulo comprehenderunt. Ineuntes porro judicium apud Prætorem pugnæ ſpecimen quoddam præbebant veteres, qui nihil ſine aliquo ſolenni ſigno aggrediebantur; quod judiciarium bellum exprimebant, commiſſis inter ſe gladiorum loco feſtucis. inſtar militum inter ſe manus conſerentium.——Hinc Cic. de Orat. Lib. I. 41.——*Quod vero in extrema oratione, quaſi tuo jure ſumpſiſti, oratorem in omnis ſermonis diſputatione copioſiſſimè poſſe verſari, id, niſi hic in tuo regno eſſemus, non tuliſſem, multiſque præſto eſſem, qui aut interdicto tecum contenderent, aut te EX IVRE MANV CONSERTVM vocarent, quod in alienas poſſeſſiones tam temerè irruiſſes.*——Aul. Gell. Lib. XX. cap. 10. ——*EX IVRE MANVM CONSERTVM verba ſunt ex antiquis actionibus, quæ quum lege agitur, & VINDICTÆ contenduntur, dici nunc quoque apud Prætorem ſolent. Rogavi ergo Romæ Grammaticum celebri hominem famâ, & multo nomine, quid hæc verba eſſent? Tum ille me deſpiciens, Aut erras, inquit, Adoleſcens,*

Adoleſcens, aut ludis; rem enim doceo grammaticam, non Jus reſpondeo; ſiquid igitur ex Virgilio, Plauto, Ennio quærere habes, quæras licet. Ex Ennio ergo, inquam, eſt, magiſter, quod quæro. Ennius enim hiſce verbis uſus eſt, quumque ille demiratus aliena hæc eſſe a Poetis, & haud uſquam inveniri in carminibus Ennii diceret, tum ego hos verſus ex octavo Annali *abſentes dixi; nam fortè eos tanquam inſigniter præter alios factos memineram:*

Pellitur e medio ſapientia; vi geritur res.
Spernitur orator bonus, horridus miles amatur.
Haud doctis dictis certantes, ſed maledictis,
Miſcent inter ſeſe inimicitias agitantes
Non EX IVRE MANVM CONSERTVM, ſed mage ferro
Rem repetunt, regnumque petunt, vadunt ſolidâ vi.

Quum hos ergo verſus Ennianos dixiſſem; Credo, inquit Grammaticus, jam tibi, ſed tu velim credas mihi, Q. Ennium didiciſſe hoc non ex poeticæ literis, ſed ex juris aliquo perito.

Judiciarium hoc bellum *vim civilem, quotidianam* & *feſtucariam* appellabant, & tum *vim fieri moribus* dicebant.——Sæpe ad hanc vim fictam in dominio aſſerendo adludunt veteres Auctores.——Ovid. Amor. I. 4.

Et dicam MEA SVNT, INIICIAMQVE MANVM.

Et Lib. II.

INIICIAM dominas in mea jura MANVS.

Martial. Ep. I. 53.

Si de ſervitio gravi queruntur,
Aſſertor venias, ſatiſque præſtes;
Et cum ſe DOMINVM vocabit ille,
Dicas ESSE MEOS, manuque miſſos.

Servius ad illa Virgilii Æneid. X. v. 419.

INIECERE MANVM Parcæ, teliſque ſacrârunt
Evandri.———

Addit, Virgilium ſermone juris uſum. Nam *manus*, ait, *injectio dicitur, quoties nulla judicis auctoritate expectata rem nobis debitam vindicamus.*

Ad hunc ſolennem vindicationis morem credo etiam adluſiſſe Virgilium Eclog. 9. his verſibus.

O Lycida, vivi pervenimus, advena noſtri,
(Quod nunquam veriti ſumus,) ut poſſeſſor agelli
Diceret: HÆC MEA SVNT; veteres migrate coloni.

Hæc ſimulata concertatio umbra fortaſſe fuit veræ dimicationis, qua veteres Romani, utpote rudiores, ac prope immanes, more veterum *Longobardorum*, diremerunt lites; ut cum alter alterum ad ſingulare certamen provocaſſet, is haberetur in jure potior, cui ſors victoriam obtuliſſet. Quem cum illi morem exuiſſent, atque induiſſent humaniorem, verum prælium verſum fuit in ſimulatum, ac pugnam tantum retinuerunt imaginariam feſtucis expreſſam. Etenim initio litigantes de poſſeſſione fundi Prætorem adibant, ut eum deducerent in fundum, de quo controverſia eſſet, quo judicaret utrius poſſeſſio foret, idque dicebatur *venire in rem præſentem:* in-

5. Actio in *perſonam* ſive *Perſonalis* eſt, *quâ cum eo agimus, qui nobis obligatus eſt ex contractu, vel quaſi, ex maleficio vel quaſi ad aliquid dandum, vel faciendum.* Dicta autem *Perſonalis*, quia perſonam obligati perpetuo ſequitur. Dicitur etiam *Condictio*

deque cum Prætore redibant, ejuſque Judicium expectabant. Verum quia Prætor multitudine negotiorum impediebatur una cum litigantibus ire, ICti rationem excogitarunt, qua, profectionis moleſtiâ ſublata, veterum judiciorum figura & religio maneret. Itaque priſcam illam profectionem imaginibus, verbiſque ſimulârunt, inſtituentes, ut in fundi gleba, veluti ſuper toto fundo, cujus gleba illa ſimulacrum erat, judicium exerceretur. Quamobrem ſatis erat Prætorem adire, ut apud eum judicium intenderent; Prætor autem in urbe manebat, cum litigantes ipſi ex jure, ſive ex loco, ubi jus reddebatur, proficiſcerentur in fundum, unde glebam tollebant, eamque in judicium adducebant, ut per eam, quam & VINDICIAM vocabant, totus fundus, & profectio Prætoris in rem præſentem adumbraretur, ac rei loco imago illa ſubjiceretur. Si de poſſeſſione igitur quæreretur, Prætor, quoad in judicio proprietatis alteri rem addicendam conſtaret, poſſeſſorem tuebatur.——At ſecus erat in *cauſa Libertatis*, in qua non poſſeſſionis titulus potior erat, ſed libertatis, quia magis reipublicæ conducit liberis urbem impleri quam ſervis. Ideo in *liberalibus cauſis*, ubi alter in libertatem, alter in ſervitutem aſſereret reum, *vindicia*, ſive poſſeſſio durante cauſa ſtatus dabatur ſecundum libertatem ut maneret liber, donec planè ſervum eſſe conſtaret. Id cum lege ſua Decemviri conſtituiſſent, qui tamen inter eos auctoritate præſtabat *Appius Claudius* calumniosâ interpretatione telam retexere conabatur; quippe qui ſenſerat ſua ſibi lege præcluſum libidinoſi conſilii exitum. Notum eſt enim eum forma *Virginiæ* Virginis captum clientem ſuum M. Claudium, abſente Virginio Patre ſubjeciſſe, qui eam peteret in Servitutem, ſive ſuam ſervam eſſe contenderet. Cum autem Decemvirali lege durante judicio libera permanere deberet, Appius ejus potiundæ ſpe puellam M. Claudio tradere in ſervitutem cogitabat: verum quia ſua ipſius lege prohibebatur, negabat beneficio legis gaudere, qui ab alio, quam a Patre in libertatem aſſereretur. Itaque pronuntiavit, abſente Patre, vindicias dandas ſecundum ſervitutem, ſive tradendam Virginem intereà in ſervitutem ei, qui ſibi dominium aſſereret illius: cum non a patre, utpote abſente, ſed ab avunculo vindicaretur in libertatem. Quæ ferox libido, & atrox calumnia, quam ſeditionem excitaverit, quantaque de auctoritate atque imperio dejecerit Decemviros ſatis liquet ex Hiſtoriis Romanorum.—— Vide Liv. Lib. III. cap. 44.——Antequam tamen is, qui ſtatus controverſiam patiebatur, ad *quaſi poſſeſſionem* libertatis rediret, ſponſores dare oportebat, qui eum judicio ſtituros promitterent. Atque hæc ſane libertatis gratia ſunt conſtituta. Cæterum reliquarum rerum poſſeſſio, ſi nec *vi*, nec *dolo*, neque *clam* capta fuiſſet, judicii tempore apud ipſum permanebat poſſeſſorem.

hæc

hæc Actio. *Condicere* enim eſt denunciare priſcâ linguâ, id eſt, diem dicere alicui, quo quis acturus ſit. Sed abolito illo denunciandi more, retentum eſt vetus *Condictionis* nomen pro actione perſonali.

6. Actio in rem eſt duplex, alia *directa*, quam habet Dominus rei directus adverſus quemcunque poſſeſſorem:——alia *Utilis*, quæ datur Domino Utili, qui nimirum in re petita utile habet Dominium, quales ſunt Vaſallus, & Emphyteuta.

7. Si res aliqua incorporalis, ut Servitus petatur, hoc caſu duplex in rem prodita eſt Actio, *Confeſſoria*, & *Negatoria*. Confeſſoria eſt *Actio realis, qua quis vindicat ſeu aſſerit ſervitutem fundo ſuo*.——Negatoria eſt Actio realis, qua quis vindicat, ſeu aſſerit libertatem fundo ſuo, & negat alteri competere ſervitutem.

II. Diviſio Actionum in *Civiles* & *Prætorias*.

8. *Civiles* Actiones ſunt, quæ ex legitimis & civilibus cauſis deſcendunt, quæ legibus & jure civili conſtitutæ ſunt ad agendum; id eſt, de quibus jus conſtituit, ut ex his factis, tanquam juſtis cauſis, ſit Actio.

9. *Prætoriæ* Actiones ſunt eæ, quas Prætor ex ſua juriſdictione comparatas habet; id eſt, quas ex ſuis Edictis propoſuit, & invenit, adjuvandi, ſupplendi, & corrigendi Juris Civilis gratiâ. Et hæ iterum in rem ſunt, vel in perſonam. *In rem* ſunt, *Publiciana*, *Reſciſſoria*, *Pauliana*, *Serviana*, & *quaſi Serviana*.——*In perſonam*, *de Conſtitutâ pecunia*, *de Peculio*, & quæ oritur *ex Jurejurando*. Sunt & Actiones in perſonam *pœnales*, quas Prætor

Condicere enim] In judiciis *realibus* vis quædam imaginaria, vel manus injectio obſervabatur, unde illa dicebantur VINDICATIONES. Contra in *perſonalibus* nulla vis imaginaria, nulla manus conſertio, ſed tantum verbis inter ſe agebant, & ſponſionibus ſe provocabant litigantes. Unde Actionibus his CONDICTIONVM nomen datum; quia ſibi invicem *condicebant*, id eſt, promittebant per Sponſiones, e. g. Actor reum provocabat: *Spondeſne centum, ſi dare facere debebis?* Reſpondebat reus, *Spondeo*; ſimulque Actorem provocabat: *Tu vero ſponden' centum, ni dare facere debeo?* Reſpondebat Actor, *Spondeo*. Hoc vero & propriè erat *condicere*, id eſt, promittere.

multas ex ſua juriſdictione introduxit, item *Præjudiciales* actiones, quæ licet ex jure in perſonam naſcantur, tamen in rem eſſe videntur.

10. Ita permittit Prætor in rem agere, ut vel Actor dicat ſe quaſi uſucepiſſe, quod non uſuceperit;— vel ex diverſo Poſſeſſor dicat, adverſarium ſuum non uſucepiſſe, quod uſuceperit.

11. Nam ſi cui ex juſta cauſa res aliqua tradita fuerit, & necdum ejus rei dominus effectus eſt; ſi is ejus rei poſſeſſionem caſu amiſerit, nullam habet in rem directam actionem ad eam perſequendam: quippe ita proditæ ſunt jure civili Actiones, ut quis Dominium ſuum vindicet. Sed quia ſane durum erat eo caſu deficere actionem, inventa eſt a Prætore Actio, in qua dicit is, qui poſſeſſionem amiſit, eam rem ſe uſucepiſſe, quam uſu non cepit, & ita vindicat ſuam eſſe. Quæ actio *Publiciana* appellatur, quoniam primum a *Publicio* Prætore in Edicto propoſita eſt.

12. Rurſus ex diverſo, ſi quis cum reipublicæ cauſa abeſſet, vel in hoſtium poteſtate eſſet, rem ejus qui in civitate eſſet, uſuceperit; permittitur domino, ſi poſſeſſor reipublicæ cauſa abeſſe deſierit, tunc intra annum *reſciſsâ* uſucapione eam rem petere, id eſt, ita petere, ut dicat, poſſeſſorem uſu non cepiſſe, & ob id ſuam rem eſſe.

13. Item ſi quis in fraudem creditorum rem ſuam alicui tradiderit, bonis ejus a creditoribus poſſeſſis ex ſententiâ Præſidis, permittitur ipſis creditoribus reſciſsâ traditione eam rem petere,

Reſciſſa uſucapione] Unus idemque utriuſque actionis, & *Publicianæ* & *Reſciſſoriæ* auctor eſt, puta *Publicius*. *Publicium* Ciceroni fuiſſe σύγχρονον plerique colligunt ex ejus Orat. pro Cluent. cap. 45. ubi meminit Q. Publicii Prætoris.——Sed *actio reſciſsoria* antiquior videtur ob locum inſignem Terent. Phorm. Act. II. Scen. IV. v. 9.——ubi Cratinus Advocatus.

——*Quod TE ABSENTE hic filius*
Egit, reſtitui in integrum, æquum eſt & bonum,
Et id impetrabis.——

Verè enim loquitur de actione *reſciſſoria*, quamvis eam malè tanquam rabula adplicet.

id

id eſt dicere eam rem traditam non eſſe, & ob id in bonis debitoris manſiſſe. Hæc ſpecies Actionis *Pauliana* dicitur.

14. Item *Serviana*, & *Quaſi Serviana*, (quæ etiam *hypothecaria* vocatur) ex ipſius Prætoris juriſdictione ſubſtantiam capiunt. *Serviana* autem experitur quis de rebus coloni, quæ pignoris jure pro mercedibus fundi ei tenentur.—*Quaſi Serviana* autem eſt, qua Creditores pignora, hypothecaſve perſequuntur.

15. In perſonam quoque actiones ex ſua juriſdictione propoſitas habet Prætor, veluti *de pecunia conſtituta*: cui ſimilis videbatur *receptitia*. De conſtituta autem pecunia cum omnibus agitur, quicunque vel pro ſe, vel pro alio ſoluturos ſe *conſtituerint*, nulla ſcilicet Stipulatione interpoſitâ. Ideo Prætoria eſt Actio, quia jure civili ex nudo pacto non datur Actio.

16. Actiones *de Peculio* ideo adverſus patrem, Dominumve comparavit Prætor; quia licet ex contractu filiorum, ſervorumve ipſo jure non teneantur, æquum tamen eſt, peculio tenus, (quod veluti patrimonium eſt filiorum, filiarumque, item ſervorum) condemnari eos.

17. *Juris jurandi* voluntarii delati olim jure ſtricto, non major effectus erat, quam pacti nudi. Sed ei poſtea adſiſtebat Prætor, actionemque *in factum ex jurejurando* dabat ei, qui reo deferente

Serviana] Actio Serviana *Ser. Sulpitio* inſigni illi Jureconſulto deberi videtur, de cujus quippe prætura teſtatur Cic. pro Muræna. XX.

Cui ſimilis videbatur receptitia.] Actioni de pecunia conſtituta ſimilis fuit vetus *Actio receptitia*, ſic dicta a verbo RECIPERE, quod inter alia ſignificat in ſe aliquid ſuſcipere & polliceri. Nam paſſim apud Claſſicos Auctores invenies *recipere in ſe*, *ad ſe*, & ſimpliciter *recipere* dictum pro aliquid facturum promittere; & videtur majorem etiam vim hoc verbum habuiſſe, quam *promittere*. Cic. *Licinio Craſſo*. Fam. V. 8.——Velim exiſtimes, me ea, quæ tibi promitto ac RECIPIO, ſanctiſſimè eſſe obſervaturum.—Hæc autem receptitia Actio tantum ad trapezitas ſive menſarios aut argentarios pertinebat, apud quos, ut tum moris erat, pecuniæ & res civium Romanorum deponebantur. Itaque ſi menſarius citra ſtipulationem *recepiſſet* ſe certo die ſoluturum, quod hic vel ille apud ſe depoſuiſſet, hoc conventionis genus RECEPTVM dicebatur; & actio quæ ex ea re competebat, *receptitia*, ſive *pecuniæ receptæ*.

voluntarium

voluntarium jusjurandum præſtiterat ſibi deberi, adverſus deferentem ad ſolvendum id de quo Juratum fuerat.

18. *Pœnales* quoque Actiones Prætor pene multas ex ſua juriſdictione introduxit: veluti adverſus eum, qui quid ex albo ejus corrupiſſet: & in eum qui Patronum, vel Parentem in jus vocaſſet, cum id non impetraſſet: item adverſus eum, qui vi exemerit eum, qui in jus vocaretur, cujuſve dolo alius exemerit, & alias innumerabiles.

19. Actiones *Præjudiciales* ſunt, quibus de ſtatu hominum diſceptatur; veluti ſi quæritur ſervus aliquis ſit, an Liber? Quod Judicium CAVSA LIBERALIS dicitur; Libertuſne an ingenuus? Sitne partus agnoſcendus, necne? Actio de agnoſcendo partu datur uxori repudiatæ adverſus maritum, qui prægnantem repu-

Pene multas] Ita in Inſtitutionibus, ſed videtur legendum *bene* id eſt, valdè, nam *bene* particula veteribus ſæpe eſt αὐξητικὴ, ut bene doctus, bene magnus &c. Cic. Lib. 2. de Orat. cap. 88.——*Habetis ſermonem bene longum.* ——Idem in Rull. cap. 22.——*Adoleſcens non minus bene nummatus, quam capillatus.*

Qui quid ex albo ejus corrupiſſet] *Album* hoc loco ſignificat tabulam gypſatam, in qua Edictum perſcriptum proponebatur palam, ut unicuique legendi poteſtas eſſet.——Apud Athenienſes etiam non licebat temerè tabulam in qua inciſum erat Pſephiſma revellere, idque hac lege cautum eſt.

Μὴ καθελεῖν τὸ πινάκιον, ἐν ᾧ τὸ ψήφισμα γεγραμμένον ἐτύγχανεν.

Refert hanc legem Plutarchus in Pericle agens de Athenienſium Pſephiſmate adverſus Megarenſes.——Λέγουσι δὲ πρέσβεις Ἀθήνας περὶ τούτων ἐκ Λακεδαίμονος ἀφιγμένους, καὶ τὸν περικλέους νόμον παραβαλλομένου, κωλύοντα καθελεῖν τὸ πινάκιον, ἐν ᾧ τὸ ψήφισμα γεγραμμένον ἐτύγχανεν, εἰπεῖν Πολυάρκη τῶν πρέσβεων τινὰ, Σὺ δὲ μὴ καθελῇς, ἀλλὰ στρέψον εἴσω τὸ πινάκιον, ἐὰν γὰρ ὄχι νόμος, ὁ τοῦτο κωλύων.——*De his ferunt legatos veniſſe a Lacedæmoniis Athenas, & quum legem Pericles certam obtenderet, quæ tabulam interdiceret in quam Plebiſcitum eſſet relatum revellere, dixiſſe unum ex legatis Polyarcem, Tu vero ne revulſeris, ſed converte tabulam intro, cum non ſit hoc quæ impediat lex ulla.*

Quod Judicium CAVSA LIBERALIS dicitur;] Præjudiciales Actiones inſtituebantur inprimis *de libertate, de civitate,* & *de partu agnoſcendo,* quas eleganter complectitur Terent. Eunuc. IV. 7. v. 35.

CH. *Scibis, principio eam eſſe dico LIBERAM.*
THR. *Hem!* CH. *CIVEM Atticam.*
THR. *Hui!* CH. *Meam SOROREM.* THR. *Os Durum!*

Ubi prima actio eſt ex ſtatu *libertatis,* altera ex ſtatu *civitatis,* tertia de ſtatu *familiæ.* Qui aliquem e ſervitute in libertatem vindicabat, *liberali cauſa manu*

diavit, ad partum editum agnoſcendum alendumque. Similiter & agere poterit pater adverſus repudiatam, ut partus ſuus declaretur; vel ipſi filio contra parentes, ut agnoſcatur & alatur. Dicuntur vero Actiones *Præjudiciales*, quia per has *præjudicatur* aliis cauſis, ita ut cum de his pronunciatum eſt, eadem opera etiam de aliis quæ inde pendent, ſimul judicatum videatur, & ex primæ quæſtionis eventu dependeat aliarum controverſiarum Deciſio; exempli gratia,—Si Patronus a Mævio operas petat, quærendum primò an ſit ejus *libertus*: quo probato, præſtandæ ab eo erunt operæ. Alias rejici debet Actor, cum *ingenuus* operas debere nequeat.

manu adſerere dicebatur. Frequentiſſima hujus Actionis mentio apud Comicos. Terent. Adelph. II. 1.

——Neque vendundam cenſeo,
Quæ libera eſt,——
Nam ego ILLAM LIBERALI ADSERO CAVSA MANV.

Plaut. Pœnul. IV. ult.

Omnia memores, quo id facilius fiat; MANV EAS ADSERAT
SVVS POPVLARIS LIBERALI CAVSA.——

Idem Pœnul. V. 2.

——Et ſi frugi eſſe vis
EAS LIBERALI tum ADSERES CAVSA MANV.

Martial. Lib. I. 16.

Exſpectant curæque, catenatique labores,
Gaudia non remeant, ſed fugitiva volant.
Hæc utraque MANV, complexuque ADSERE toto
Sæpe fluent imo ſic quoque lapſa ſinu.

Juv. Sat. VII. v. 115.

——Surgis tu Pallidus Ajax
Dicturus DVBIA pro LIBERTATE Bubulco
Judice.——

Cic. de Orat. Lib. 1. *Quid, de LIBERTATE, quo judicium gravius eſſe nullum poteſt, nonne ex jure civili poteſt eſſe contentio, cum quæritur is, qui Domini voluntate cenſus ſit, continuone, an ubi Luſtrum conditum, liber ſit?*

Aſſerebant vero ſervos liberali cauſa manu apud Athenienſes ex hac lege, Ἐξεῖναι τῷ βουλομένῳ ἀφαιρεῖσθαι εἰς ἐλευθερίαν, ἢν κατεγγυῆσαι τὸν ἀγόμενον εἰς δουλείαν πρὸς τῷ πολεμάρχῳ.——

Meminit hujus Legis *Æſchines* ἐν τῷ κατὰ Τιμάρχου.——Ἄνθρωπον μισθὲν ἠδικηκότα ἦγεν εἰς δουλείαν, φάσκων αὐτὸν εἶναι δοῦλον· ἐν παντὶ δὲ κακῷ γεγόμενος ὁ Πιτθάλακος προσπίπτει πρὸς τὰ γόνατα ἀνδρὶ καὶ μάλα χρηστῷ, ὅτου αὐτὸν ἀφαιρεῖται εἰς ἐλευθερίαν.

III. Diviſio

III. Diviſio Actionum in perſequutorias *Rei*, *Pœnæ*, & *Mixtas*.

20. Actiones *rei perſequutoriæ* ſunt, quibus perſequimur id, quod è patrimonio noſtro abeſt: — *Pœnales*, quibus perſequimur pœnam legibus conſtitutam. — *Mixtæ*, quibus partim pœnam legibus conſtitutam; partim quod intereſt perſequimur.

21. *Rei perſequutoriæ* ſunt *reales* omnes, nec non Actiones ex conventionibus, excepto *Depoſito miſerabili*, ex quo actio contra inficiantem, & ex dolo in duplum datur.

22. *Pœnales* ſunt Actiones pleræque ex Delicto, veluti *Actio furti*, *de albo corrupto*, & ſimiles.

23. *Mixtæ* ſunt Actio *vi bonorum raptorum*; — Actio *ex lege Aquilia*; — Actio *de legatis*, *venerabilibus locis*, vel *Eccleſiæ* relictis, quæ contra hæredem inficiantem, vel legata præſtare differentem in duplum datur.

IV. Diviſio Actionum a quantitate rei Petitæ.

24. Omnes Actiones vel in *ſimplum*, vel in *duplum*, vel in *Triplum*, vel in *Quadruplum* conceptæ ſunt.

25. In *ſimplum* agunt, quicunque rem perſequuntur; adeoque omnes actiones *rei perſequutoriæ* in *ſimplum* dantur; nec non Actiones quædam pœnales, & mixtæ, poſtquam annus elapſus eſt, veluti Actio *vi bonorum raptorum*, &c.

26. In *duplum* quædam ab initio conceptæ ſunt, uti Actio *Furti nec manifeſti*; quædam ex poſt facto, vel inficiando creſcunt, veluti Actio *Depoſiti miſerabilis*.

27. In *triplum* Actio dabatur adverſus eum, qui majorem vera æſtimatione quantitatem libello conventionis inſeruerat, ut ex

Pœnales ſunt] Formula perſequendi pœnam videtur fuiſſe talis. — AIO CENTVM MIHI FVRTO TVO MANIFESTO ABESSE, TEQVE EO NOMINE QVADRINGENTOS AVREOS MIHI DARE OPORTERE. — Quo adludit *Martialis* Epig. VI. 19.

Sed lis eſt mihi de tribus capellis;
Vicini queror HAS ABESSE FVRTO.

hac

hac cauſa Viatores, id eſt, exſequutores litium eò ampliorem ſummam ſportularum nomine a reo exigerent.

28. In *quadruplum* ſimiliter quædam actiones pœnales ſtatim ab initio conceptæ ſunt, veluti Actio *furti manifeſti*; Actio *vi bonorum raptorum* &c.

V. Diviſio Actionum in *Bonæ Fidei*, *Stricti Juris*, & *Arbitrarias*.

29. Actiones quædam ſunt *bonæ fidei*, quædam *ſtricti juris*, quædam *arbitrariæ*; quam Diviſionem ut intelligamus rectius, ſciendum apud *Prætores*, & Magiſtratus *ordinariè* non niſi quæ *in jure fiunt*, & quæ litis conteſtationem antecedunt, eſſe peracta; reliqua delegata fuiſſe vel *judicibus* vel *arbitris*, qui de facto cognoſcerent, & ex formula a magiſtratu præſcripta ferrent ſententiam.

30. Quum ergo quædam negotia tam ſtricti juris eſſent, ut ultra, quam conventum, adjudicari nihil poſſet; quædam ſua natura æquitatem Judicis deſiderarent: in illis Judex dabatur cum formula: SI PARET TITIVM CENTVM EX STIPVLATV DEBERE, TV ILLVM IN CENTVM CONDEMNA. Hic ergo nec uſuras, nec quidquam aliud adjudicare poterat Judex pedaneus for-

Viatores,] *Viatores* olim dicti ſunt, qui a villâ in Curiam Senatores arceſſebant, ut *Cicero* teſtatur in Cat. Majore.——*A villa in Senatum arceſſebantur & Curius, & cæteri Senes, ex quo, qui eos arceſſebant, VIATORES nominati ſunt.* Hinc conſuetudine Sermonis tranſlatum ad eos eſt hoc verbum, qui magiſtratus juſſu reos in jus vocarent.——Poſtremo eo verbo cum Apparitores, tum Executores litium plerumque appellabantur.

Judicibus vel Arbitris] Cic. pro Q. Roſcio Comœdo.——*IVDICIVM eſt pecuniæ certæ, ARBITRIVM incertæ. Ad Judicium hoc modo venimus, ut totam litem, aut obtineamus, aut amittamus: ad arbitrium hoc animo adimus, ut neque nihil, neque tantum, quantum poſtulavimus, conſequamur. Ejus rei ipſa verba formulæ teſtimonio ſunt. Quid eſt in Judicio? Directum, aſperum, ſimplex. SI PATERET H—S. IↃↃↃ. DARI OPORTERE. hic, niſi planum facit H—S. IↃↃↃ. ad libellam ſibi deberi, cauſam perdit.——Quid eſt in Arbitrio? Mite, moderatum, QVANTVM ÆQVIVS ET MELIVS SIT DARI.*

mula Prætoris circumſcriptus. Et hæ Actiones, ex quibus cum hac formula dabatur Judex, STRICTI IVRIS vocabantur.

31. In negotiis contra, quæ magis ex æquo definienda videbantur, Prætor certam ſummam non exprimebat formula, ſed ex contractibus conſenſualibus ita Arbitrum dabat: SI PARET TITIVM MÆVIO EX LOCATO DEBERE, TVM QVANTVM TITIVM MÆVIO OB EAM REM DARE OPORTET EX FIDE BONA, TANTI DAMNETVR. In Actionibus ex fiduciæ contractu natis loco verborum EX FIDE BONA adhibebatur formula: VTI INTER BONOS BENE AGIER OPORTET: in Actione rei Uxoriæ, QVANTVM ÆQVIVS MELIVS. Hic ergo uſuræ ob moram, fructus, & ſi quid aliud æquum & bonum videbatur, adjudicari ab Arbitro poterant. Hæ vero actiones omnes dicebantur BONÆ FIDEI.

32. Nonnunquam & ita dabatur Arbiter, ut liceret ei, quantum reſtituendum ſit, æſtimare, & ſi non pareret reus, tunc vel jurijurando in litem locus, vel arbitro facultas eſſet reum in aliquid majus condemnandi. Et tunc dabatur Arbiter hac formula: SI PARET TITIVM MÆVIO METVS CAVSA QVID EXTORSISSE, TVM TV, QVANTVM TITIVS MÆVIO DARE OPORTEAT

Dicebantur BONÆ FIDEI.] Cic. de Officiis, Lib. 3.——*Sed nos veri juris, germanæque juſtitiæ ſolidam, & expreſſam effigiem nullam tenemus: umbra, & imaginibus utimur: eaſque ipſas utinam ſequeremur! Feruntur enim ex optimis naturæ principiis & veritatis exemplis. Nam quanti verba illa, VTI NE PROPTER TE, FIDEMVE TVAM, CAPTVS, FRAVDATVSVE SIEM? Quam illa aurea! VT INTER BONOS BENE AGIER OPORTET, ET SINE FRAVDATIONE. Sed qui ſint boni, & quid ſit bene agier magna quæſtio eſt. Quinctus quidem Scævola, Pont. Max. ſummam vim eſſe dicebat in omnibus iis arbitriis, in quibus adderetur EX FIDE BONA.*——Idem Epiſt. ad Familiar. Lib. VII. 12.——*Sed quonam modo jus civile defendes, cum omnia tuâ cauſa facias, non civium? Ubi porro illa erit formula fiduciæ, VT INTER BONOS BENE AGIER OPORTET?*——Et in Top. ad C. Trebatium.——*In omnibus igitur iis judiciis, in quibus EX FIDE BONA, eſt additum: ubi vero etiam VT INTER BONOS BENE AGIER: imprimiſque in arbitrio rei uxoriæ, in quo eſt, QVID ÆQVIVS MELIVS, parati eſſe debent. Illi enim dolum malum, illi fidem bonam, illi æquum, bonum, illi quid ſocium ſocio, quid eum qui negotia aliena curaſſet, ei, cujus ea negotia fuiſſent; quid eum qui mandaſſet, eumve cui mandatum eſſet alterum alteri præſtare oporteret; quid virum Uxori, quid Uxorem viro, tradiderunt.*

ÆSTIMA,

ÆSTIMA, ET SI ARBITRIO TVO NON RESTITVET, IN QVADRVPLVM ILLVM CONDEMNA.——Vel: SI PARET TITIVM MÆVII VESTEM HABERE, NEQVE IS ARBITRIO TVO EAM EXHIBVERIT: TVM QVANTVM IN LITEM MÆVIVS IVRARIT, TANTI TITIVM CONDEMNA. Et hæ Actiones dicebantur *arbitrariæ*. Dicuntur vero *arbitrariæ*, quia in his actionibus judex priuſquam negotium definiat, interloquendo arbitratur, quemadmodum actori ſatis fieri debeat; cujus is effectus eſt, ut qui Judicis arbitrio paruerit, & ſatisfecerit intra tempus ab eo dictum, evitet pœnam, & ſolam rem præſtet. Sin minus, tunc ſequitur condemnatio ſecundum rigorem juris, atque etiam illud, quod actoris intereſt, & in quantum ab eo juratum fuerit.

33. Quamvis vero in actionibus *bonæ fidei*, & *arbitrariis* permultum relictum ſit judicis arbitrio: opera tamen danda, ut & actione, ſi fieri poſſit, certa ſumma exprimatur, & judex certæ pecuniæ, vel rei ſententiam ferat, etiamſi de incerta actum ſit.

34. Non licet ergo PLVS petere, quamvis qui MINVS intentione ſua complexus eſt, quam ad eum pertinet, ſine periculo agat. Immo & is, qui per errorem aliud pro alio intendit, in eodem judicio libellum emendare poteſt ad ſententiam uſque.

35. Plus autem aliquis petit, vel RE, ſi majorem ſummam, vel partem petat, quam debetur: vel TEMPORE, ſi ante diem, vel conditionem petat; vel LOCO, ſi quod quis certo loco ſibi dari

Si ante diem vel conditionem petat.] Cic. de Orat. Lib. I. 168.—— *Quid his paucis diebus, nonne nobis in Tribunali Q. Pompeii, Prætoris urbani, familiaris noſtri, ſedentibus, homo ex numero Diſertorum poſtulabat, ut illi, unde peteretur, vetus atque uſitata exceptio daretur, CVIVS PECVNIÆ DIES FVISSET? Quod petitoris cauſa comparatum eſſe non intelligebat: ut ſi ille inficiator probaſſet judici, ante petitam eſſe pecuniam, quam eſset cæpta deberi, Petitor rurſus cum peteret, exceptione excluderetur, QVOD EA RES IN IVDICIVM ANTEA VENISSET.*

Hæc fuit cauſa.——Debebat quidam alteri certam pecuniæ ſummam ſolvendam, v. g. ineunte menſe Januario: alter, ſeu petitor non exſpectavit ad illud tempus, ſed petiit ut ſibi ſolveretur, v. g. menſe Decembri ineunte, & accuſavit Debitorem, quod pecuniam non ſolveret. Cauſidicus imperitus, qui debitorem defendebat, cum litem inferre petitori debuiſſet eo nomine,

ſtipulatus eſt, alio loco petat; vel CAVSA, qui quid *abſciſsè* petit, quod *alternativè* promiſſum; vel *ſpeciem* petit, quum *genus* promiſſum. Et olim quidem, qui plus petierat, cauſa cadebat, neque reſtituebatur in integrum, niſi vel minor eſſet, vel alia juſta cauſa Prætorem moveret.

mine, quod ante tempus peteret pecuniam, (id enim ſi feciſſet, cauſa cecidiſſet Petitor,) hoc poſtulavit tantum, ut ſibi liceret, ac debitori, quem defendebat uti beneficio legis, & exceptione, quæ vetabat ne pecunia peteretur ante illam diem, qua cœpta eſſet deberi. Quod cum poſtulabat, non intelligebat homo juris ignarus, comparatum hoc eſſe in utilitatem petitoris, & adverſario ſuo prodeſſe. Hinc enim factum, ut petitor poſtea litem de integro intulerit, tanquam ſi ea res nunquam in judicium antea veniſſet, quam litem inferre non potuiſſet, ſi inficiator, hoc eſt, debitor probaſſet Judici, ante petitam eſſe pecuniam, quam deberi cœpiſſet. Petitor enim, cum poſtea pecuniam ſuam peteret apud Judicem, excluſus fuiſſet lege, hoc eſt, impeditus ne ageret, ac moveret litem: Lex enim excipit, hoc eſt, prohibet, ne agatur iterum de ea re, quæ jam in judicium venit, ſeu quæ jam dijudicata eſt.—Unde Donatus ad Terent. Andr. III. 1. v. 7. explicaturus verba Comicis admodum familiaria, ACTVM EST, *Hæc res*, inquit, *ſecundum jus civile dicitur, in quo cavetur, ne quis rem actam apud Judices repetat.* Sic ipſe Terentius in Phorm. ACTVM, aiunt, NE AGAS.

Et olim quidem, qui plus petierat, cauſa cadebat,] Ut diſcerent omnes jus ſuum diligenter explorare, nec temerè aliis creare moleſtiam, placebat olim, eum, qui plus quam ſibi deberetur, petierat, graviter multari, remque totam amittere, uti paſſim ex Cicerone intelligi poteſt. Hinc illud apud Plautum in *Moſtellaria*, Act. III. Scen. I. v. 123.

Velim quidem hercle ut VNO NVMMO PLVS PETAS.

Eleganter *Seneca* Epiſt. XLIX. ad eos, qui ſophiſmatum argutiis abutuntur. *Quid enim aliud agitis, cum eum, quem interrogatis ſcientes in fraudem inducitis, quam ut FORMVLA CECIDISSE videatur. Sed quemadmodum illum Prætor; ſic hos Philoſophia in integrum reſtituit.*—Suet. in Claudio, cap. 14.—*Nam & iis, qui apud privatos judices PLVS PETENDO formula excidiſſent, reſtituit actiones, & in majore fraude convictos, legitimam pœnam ſupergreſſus, ad beſtias condemnavit.*—Sed præcipuè huc referri debet inſignis ille Ciceronis locus in Lib. 1. de Orat. §. 166, 167.—*Potes igitur, inquit, Craſſus, (ut alia omittam innumerabilia, & immenſa, & ad ipſum tuum jus civile veniam) oratores putare eos, quos multas horas exſpectavit, cum in campum properaret, & ridens & Stomachans Scævola, cum Hypſeus maxima voce, plurimis verbis a M. Craſſo Prætore contenderet, ut ei, quem defendebat, cauſa cadere liceret: Cn. autem Octavius, homo conſularis, non minus longa oratione recuſaret, ne adverſarius cauſa caderet, ac ne is, pro quo ipſe diceret, turpi tutelæ judicio, atque omni moleſtia, ſtultitia adverſarii liberaretur?*

Ego

VI. Diviſio Actionum a quantitate Exſecutionis, ſive ab Effectu.

36. Aliis actionibus *ſolidum*; aliis *minus quam ſolidum* conſequimur. *Solidum* ordinarie perſequimur: *minus quam ſolidum* 1. *Actione de peculio*, quippe quæ tantum competit in id, quod in peculio eſt. 2. Ob *Compenſationem*, quippe quæ ſummam debitam pro quantitate concurrente ipſo jure minuit. 3. Ob *Beneficium Competentiæ*, quod eſt *jus ſingulare, ob neceſſitudinem ſingularem, militiam, beneficium, vel calamitatem, perſonis quibuſdam conceſſum, ut non queant in plus conveniri, quam quantum facere poſſunt.*

Ego vero iſtos, inquit, (memini enim mihi narrare Mucium) non modo oratoris nomine, ſed ne foro quidem dignos putarim. Atqui non defuit illis patronis, inquit Craſſus, eloquentia, neque dicendi ratio, aut copia, ſed juris civilis prudentia; quod alter PLVS, lege agendo PETEBAT, quam quantum Lex in XII. Tabulis permiſerat, quod cum impetraſſet, cauſa caderet: alter iniquum putabat plus ſecum agi, quam quod erat in Actione; neque intelligebat, ſi ita eſſet actum, litem adverſarium perditurum.

Cauſam integram accipe.—— Ibat Scævola Pontifex in campum Martium ad Comitia; iter illi per forum fuit: in eo reperit oratores duos inter ſe litigantes, & graviter ignoratione juris civilis peccantes. Horum uni nomen *Hypſeus* erat, alteri *Cn. Octavius*, qui conſulatum geſſerat Anno V. C. DCXXVI. ante Chriſtum CXXVIII. Hypſeus accuſabat aliquem tutorem, quod Pupilli fortunas male adminiſtraſſet. Hoc IVDICIVM TVTELÆ appellatur. Octavius tutorem defendebat. Judex hujus controverſiæ M. Craſſus, qui tum Prætor urbanus erat, nempe Anno V. C. DCXLVIII. ante Chriſtum CVI. Qui judicio tutelæ damnabatur, cogebatur pupillo, cujus rebus male conſuluiſſet, pecuniam ſolvere, ac damnum reſarcire; deinde lege duodecim tabularum jubebatur aliquid ultra pendere mulctæ nomine. Quod ſi pupillus, aut ejus patronus plus a reo peteret, quam deberetur, cadebat cauſa. Hoc petebat *Hypſeus* & plus petebat, quam par eſſet, adeoque debebat cauſa cadere. Contendebat, inquit *L. Craſſus*, ut ei, quem defendebat, nempe ſuo pupillo cauſa cadere liceret; hoc eſt, petebat, ut edicto Prætoris tribueretur pupillo ſuo major pecuniæ ſumma, quam deberetur, quod erat velle cauſam amittere. Octavius tutoris accuſati defenſor imperitus, cum deberet hoc ipſo vehementer lætari, quod plus, quam fas erat, peteretur: id enim ſi objeciſſet poſtea, & probaſſet, cauſam obtinuiſſet, ac reum tutorem turpi judicio tutelæ male adminiſtratæ, atque omni moleſtia, & periculo liberaſſet: Octavius, inquam, longa oratione recuſabat, ne plus peteretur, hoc eſt, ne Hypſeus cauſa caderet, atque ipſe litem obtineret.

JUS ANGLICANUM. ad Tit. VI.

Actio & Breve communi Anglorum ſermone ſæpiſſimè confunduntur; breve enim quo reus in jus vocatur, ſummariam & ſuccinctam facti repetitionem continet, quod actionem peperit. Verum hoc illâ multo latius extendi, ii juris noſtri interpretes luculenter oſtendunt, qui brevium explicationem profeſſi ſunt. Multa enim mandata Principis extrajudicialia continent in negotiis, quæ vel ipſum principem, vel ſtatum Reipublicæ, vel etiam rem privatorum attingunt. Sed eorum maxima pars circa judicia verſatur, quorum aliqua Judices conſtituunt: aliqua jam antea conſtitutos juſtitiam petentibus impertire monent: aliqua nonnullos ob cauſam ſpecialem a judiciis ad tempus eximunt: aliqua tergiverſantes ad judicium ſuſtinendum ſatis dato compellunt: aliqua litigantes ſibi alios ad lites ſubſtituere permittunt: aliqua judices juriſdictionem ſuam nimis dilatantes cohibent: alia cauſas ab uno foro ad aliud avocant: aliqua denique proceſſum informant, & inſtituunt: aliqua proceſſum inſtitutum proſequuntur, & ad effectum ducunt. Brevia autem quæ judicium inchoant, *Originalia*, quæ inchoatum promovent, & ad exitum pellunt, *judicialia* noſtri appellant.

Actiones omnes vel a *jure communi*, (quod noſtri COMMVNEM LEGEM frequentius dicunt) vel a *Statutis* profluunt. Sive autem a jure communi, ſive ſtatuto originem trahant, omnes vel in *perſonam*, vel in *rem*, vel in *utramque* ſunt.

Reſſciſſoriæ etiam actionis nos ſimilem habemus. Nam ſi quis, dum incarceratur, terrarum poſſeſſione ſpoliatus fuerit, & terræ illæ ad hæredem ſpoliatoris deſcenderint; ſpoliatus libertatem ſuam aſſecutus, poſſeſſionem ſuo facto recuperare, ſeu, (ut noſtri loquuntur) in eaſdem terras *reintrare* poteſt. Et ſi judicium contra eum datum fuerit, illud poſtea per *breve de errore* irritum reddet; quia in cuſtodia fuit, nec contumaciter abſens; ideoque rationi diſſentaneum videtur, ut recordum tale præjudicii quippiam illi adferat.

Eſt etiam apud nos, quod actioni *Pauliana* aliquo modo reſpondet; omnem enim ſive terrarum, ſive bonorum alienationem irritam reddit, quæ a debitore in fraudem creditorum facta eſt, & prætereà pœnam omnibus infligit, qui ejuſdem conſcii ſunt, & ut legitimam defendunt.

Neque deeſt Actionis *Serviana* quaſi parallela. Nam bona in prædium invecta Locator proprio jure diſtringit, atque detinet, donec merces ei perſolvatur. Quia hæc & nos taciti pignoris loco ducimus.

Actiones præterea aliquas bonæ fidei, aliquas ſtricti juris eſſe non iniquè dixerimus. Licet enim talem diſtinctionem apud juris noſtri ſcriptores verbis expreſſam non habeamus, uſu tamen ſatis frequentem eam invenimus. Damnum ſiquidem, quod ex violatione contractus, aut tranſgreſſione ſentimus, juratorum æquitati perpendendum relinquitur, quale, quantumve ſit, & juxta eorum æſtimationem poſtea judicatur. Ubi contra in actionibus in rem principalibus, actor, niſi rem petitam deberi, aut ſuam eſſe probaverit, causâ cadit. Quia neque Juratores, neqne Judex aliam in iis poteſtatem habent,

TIT. VII.

Quod cum Eo, Qui in Aliena Poteſtate eſt, Negotium Geſtum eſſe dicitur.

1. Dictum eſt, poſſe nos ex noſtro contractu conveniri; poſſumus etiam alieno & agere & conveniri, nempe ex contractu eorum, qui in noſtrâ ſunt poteſtate, filiorum & ſervorum noſtrorum.

2. Ejuſmodi Actiones dantur ſex. 1. Quod juſſu. 2. Exercitoria. 3. Inſtitoria. 4. Tributoria, 5. De peculio. 6. De in rem verſo.

3. JVSSVM propriè eſt Parentum & Dominorum; *Juſſiſſe* ergo videntur, qui vel teſtatò, vel per Epiſtolam, vel verbis, aut per nuncium, aut generatim, vel ſpecialiter in uno contractu juſſerunt, mandarunt, geſtumve ratum habuerunt. Quo facto Prætor dat actionem QVOD IVSSV ei, quocum filius, vel ſervus patris vel domini juſſu contraxit contra patrem, Dominumve in ſolidum.

4. Deinde commerciorum cauſa repertæ Actiones EXERCITORIA & INSTITORIA. *Exercitor* vero eſt, ad quem quotidianæ navis, ſeu propriæ, ſeu conductæ, obventiones & reditus pertinent. Qui enim ita vel ab exercitore, vel a magiſtro navis navi præpoſitus eſt, ut ei totius navis cura incumbat, is MAGISTER NAVIS adpellatur. *Exercitoria* ergo Actio a Prætore datur ei, qui cum magiſtro navis, iis de rebus, quarum cauſa navi præ-

habent, quam reum in rem petitam condemnandi, vel eum prorſus abſolvendi. Unde contingit, ut una atque eadem cauſa duplicem ſæpe pariat Actionem, principalem nimirum in rem, quæ *ſtricti juris* eſt, & quaſi acceſſoriam ad damni dati recuperationem, quæ *bonæ fidei* eſt.

Quod ad *Actiones Arbitrarias* attinet, *Cancellarius Angliæ*, aut *Cuſtos magni Sigilli*, quorum eadem prorſus eſt Authoritas, ad cujus æquitatem ab aliis tribunalibus provocare licet, nullis legibus eſt aſtrictus, quo minus cauſam quamlibet hoc nomine ad eum delatam juxta boni viri arbitrium dirimat, & componat, eumque, qui decreto ſuo refragatur, in carcerem conjiciat, & illic detineat, donec ſcito ſuo ſe ſubmiſerit.

poſitus

positus est, contraxit, ejusve hæredi adversus exercitorem, ejusve hæredem vel plures exercitores in solidum, ad præstandum id, quod ex contractu debetur.

5. INSTITOR est, qui tabernæ ad emendum, vendendumque præponitur, cujuscunque sit conditionis vel ætatis. Actio *institoria* datur ei, qui cum institore iis de rebus, quarum causâ præpositus est, contraxit, ejusque hæredi adversus eum, qui præposuit, ejusve hæredem, vel plures præponentes in solidum ad consequendum id, quod ex contractu debetur.

Actio institoria] Ad hanc intelligendam ostendendum est, quænam olim Romæ fuerit mercatorum conditio. *Romulus* qui rempublicam suam non nisi ad militare studium comparatam esse volebat, etiam mercatura interdixerat civibus, eamque a servis tantum exerceri jusserat. Postea crescente civium numero, crescente luxu, ubi major esse cœperat rerum necessitas, paulo benignius cœperunt de hoc vitæ genere sentire, adeo ut Anno V. C. CCLIX. *Claudio, Servilioque* Coss. collegium mercatorum Romæ institueretur, quod ab æde *Mercurii*, in qua sacra facere solebant, *Mercuriale* dictum est. De eo Liv. II. 27.—— *Certamen consulibus inciderat, uter dedicaret Mercurii Ædem. Senatus a se rem ad populum rejecit. Utri eorum dedicatio jussu populi data esset, eum præesse annonæ, mercatorum Collegium instituere, solemnia pro Pontifice jussit suscipere.*——Sed & Ovidius Fast. V. v. 672. de Mercurio.

Te, quicunque suas profitentur vendere merces,
Thure dato, tribuas ut sibi lucra, rogant.

Horum vero alii *mercatores* κατ' ἐξοχὴν, alii *negotiatores* dicebantur; quorum *illi* Romæ, *hi* in provinciis negotiabantur; ut rem explicat Sigonius. Quamvis vero ab hisce temporibus Romani mercaturæ paulo majus, quam olim, statuerunt pretium: mansit tamen inter eosdem opinio, adhærere huic vitæ generi nescio quid illiberale, & viro honesto indignum.—— Cic. de Offic. I. 42.——*Sordidi etiam putandi, qui mercantur a mercatoribus, quod statim vendant. Nihil enim proficiunt, nisi admodum mentiantur. Nec vero quidquam est turpius vanitate.*——Eos vero qui *magnariam*, (ut *Apuleius* loquitur) exercent mercaturam, multaque undique adportant, multisque sine vanitate impertiuntur, non admodum vituperandos putat Cicero, sed tum demum laudandos, *si satiati quæstu, vel contenti potius, ut sæpe ex alto in portum, sic ex ipso portu se in agros, possessioneſque receperint.*

Quum ergo mercaturæ cuicunque inesse videretur aliquid illiberale: non facile solebant mercatores *magnarii* ipsi in tabernis versari, sed vel servos, vel libertos, vel liberos homines mercede conductos negotiationibus præficere, quos INSTITORES adpellabant, eo quod negotio gerendo *instarent*.——Horat. Car. Lib. 3. Od. 6.

Sed

6. Introduxit & aliam Actionem Prætor, quæ TRIBVTORIA vocatur. Nam ſi Servus in peculiari merce ſciente domino negotietur, & quid cum eo ejus rei cauſa contractum erit, ita Prætor jus dicit, ut quicquid in his mercibus erit, quodque inde receptum erit, id inter dominum, ſi quid ei debebitur, & cæteros creditores pro rata portione diſtribuatur. Et ideo *Tributoria* vocatur, quia ipſi domino diſtributionem Prætor permittit. Nam ſi quis ex creditoribus queratur, quaſi minus ei tributum ſit, quam oportuerit, hanc ei Actionem accommodat, quæ *Tributoria* appellatur.

7. Actio DE PECVLIO eſt Actio Prætoria, perſonalis, ex contractu eorum, qui alieno juri ſubjecti ſunt, proveniens, *peculio tenus* competens, ratione adminiſtrationis *peculiaris*.

8. Actio de IN REM VERSO eſt Actio etiam Prætoria, perſonalis, quæ ex contractu filiifamilias vel ſervi datur in patrem vel Dominum de eo, quod in patrimonium ejus redactum eſt: idque ideò, ne quis cum alterius jacturâ locupletetur. Intelligitur vero *in rem verſum eſſe*, quicquid neceſſario & utiliter in rem patris, vel Domini, filius, vel Servus bonâ fide impenderit: veluti ſi mutuatus pecuniam creditoribus domini ſolverit; aut ædificia ruentia fulſerit; aut frumentum emerit, & id ipſum in familiam Domini conſumpſerit; aut quid aliud fecerit, quod ipſe Dominus facturus fuiſſet.

9. Et hactenus quidem perinde eſt, ſive quis cum Servo contraxerit, ſive cum filiofamilias. Circa hunc vero ſingulare quid occurrit; prohibuit enim *Senatuſconſultum Macedonianum* mutuas

Sed juſſa coram non ſine conſcio
Surgit marito, ſeu vocat INSTITOR,
Seu NAVIS Hiſpanæ MAGISTER,
Dedecorum pretioſus emptor.——

Senatuſconſultum Macedonianum] Hoc Senatuſconſultum conditum fuit, ut coerceretur Adoleſcentium intemperantia, atque fœneratorum recide-rentur fraudes. Cui Senatuſconſulto auctoritatem tribuit *Lex Claudia* Claudii Imperatoris tempore lata, qua vetabatur pecuniam mutuam dari adoleſcentibus in mortem patris, ſive dilata ſolutione ad patris mortem. In

pecunias dari eis, qui in poteſtate parentis ſunt; & ei qui crediderit denegatur Actio tam adverſus ipſum filium filiamve, quam adverſus patrem. Quæ ideo Senatus proſpexit, quia ſæpe onerati ære alieno creditarum pecuniarum, quas in luxuriam conſumebant, vitæ Parentum inſidiabantur.

cujus legis ſententiam conditum fuit *Senatuſconſultum Macedonianum*, ſic appellatum, non a *Macedone Adoleſcente*, qui ſua omnia per luxuriem prodigebat, ſed a *Macedone, fœneratore quodam improbo*, qui ſuis vitiis, & pecunia, quam fœnerato dabat, inconſultos & præcipites ad libidinem Adoleſcentes corrumpebat, *incertis nominibus*, ſive ſuppreſſa cauſa mutui, celatoque titulo crediti, & tacito fœnore, atque ut eleganter *Cujacius* SVB TVNICA ET IN SINV, cui apud *Horatium* opponuntur CERTA NOMINA. Itaque ne filiifamilias gravitate fœnoris obruerentur, neve poſt mortem patris hæreditatem omnem creditoribus tradere cogerentur, Senatus præſtitit adverſus creditores exceptionem, qua mutuantis actio repelleretur. Sunt qui hoc S. C. cum Claudii lege tempore conjungant, ſicut & ſententia conjunguntur. Sed quia in eandem ſententiam Senatum decreviſſe ſub Veſpaſiano Suetonius tradit, malunt plerique S. C. ejus originem a Veſpaſiano repetere, niſi forte obſoletum poſtea ſub Veſpaſiano revixit.——Tacit. Annal. Lib. XI. cap. 13. ——*Et lege lata, ſævitiam creditorum coercuit, ne in mortem parentum pecunias filiisfamiliarum fœnori darent.*——Suet. Veſ. cap. XI.——*Auctor Senatui fuit decernendi, ne filiorumfamilias fœneratoribus exigendi crediti jus unquam eſſet, hoc eſt, ne poſt patris quidem mortem.*——Terent. in Phormione, Act. II. Sc. I.

GE. *Non ratio, verum argentum deerat.* DE. *Sumeret*
Alicunde. GE. *Alicunde! nihil eſt dictu facilius.*
DE. *Poſtremo ſi nullo alio pacto, fœnore.*
GE. *Hui! dixti pulchrè, ſiquidem quiſquam crederet*
TE VIVO.——

Si hanc legem neglectam revocavit *Veſpaſianus*, non multum profuit, aliter enim ſuo mox tempore uſitatum fuiſſe oſtendit Juvenalis Sat. III.

——*Funus promittere patris*
Nec volo, nec poſſum.——

Leges igitur bonas ſemper vicit fœneratorum improbitas, ut de *Fuſidio* illo ſuo Lib. I. Sat. II. tradit *Horatius*.

Fuſidius vappæ famam timet ac nebulonis,
Dives agris, dives poſitis in fœnore nummis.
Quinas hic capiti mercedes exſecat; atque
Quanto perditior quiſque eſt, tanto acrius urget;
Nomina ſectatur, modo ſumpta veſte virili
Sub patribus duris, tironum.——

TIT. VIII.

De Noxalibus Actionibus.

1. Actiones ſuperiore titulo explicatæ ad *contractus* cum ſervis vel filiisfamilias initos pertinent. Ex *delicto* vel *quaſi delicto* filii vel Servi, nec pater obligatur nec Dominus; poterat tamen olim uterque, & jure novo ſaltem Dominus ex ſervorum delictis *privatis* conveniri *noxaliter*. Ob *publica* enim ipſe ſervus plectitur, neque Dominus offerendo æſtimationem damni a ſervo dati publicæ diſciplinæ vigorem ſiſtere poteſt.

2. *Noxia* dicitur *damnum quocunque privato ſervi delicto vel quaſi delicto datum*. Ipſum corpus, quod nocuit, id eſt, Servus,

JUS ANGLICANUM. ad Tit. VII.

Illi Servientium noſtrorum contractus, quos noſtro juſſu ineunt, nos obligant. Si enim famulum fundo meo præficiam, & poteſtatem ei concedam recipiendi jumenta vel pecora ad paſtum pro certo pretio, malè contra eum ago de tranſgreſſione, vel conculcatione herbarum mearum, qui ex tali pacto jumenta vel pecora ſua in illum fundum adegerit.

Sed ſi famulus meus meo nomine pecuniam mutuam acceperit, ego inde non teneor, niſi pecunia meis uſibus, idque meo conſenſu applicata fuerit. Quod etiam in quocunque contractu verum eſt.

Sin famulum ad emporium aliquod miſſurus juſſero res certas pro me ut emat, nec deſignem aliquem a quo illas emptas eſſe velim, ego quidem illi teneor, a quo eas meo nomine emit. Sed ſi ſuo nomine, nullâ mei mentione facta emerit, ſecus ſe res habet, niſi res emptæ ad meos uſus pervenerint.

Si quoque famulum ad emporium miſero, ut rem meam quam novi eſſe vitioſam Titio vendat: ego ex tali venditione teneor. Sin ut vendat ſimpliciter, cui poterit, hinc actio in me non competit.

Si uxor in foro publico quid emat ab eo, qui de pretio ejus fidem ſequatur; maritus inde non tenetur, niſi quod emptum eſt ad illius uſus convertatur.

Sed jus quandoque præſumit Domini conſenſum, licet ſpecialiter non expreſſum, ſervientis contractui interveniſſe; utpote in iis, quos mercatores officinis vel tabernis ſuis quaſi Inſtitores præficiunt. Nam quotidiana Domini præſentia ſcientia atque patientia ejus conſenſum ſatis arguunt, ſive uxores, ſive liberi, ſive etiam alii domeſtici ſunt, qui merces ſuas diſtrahunt.

noxa vocatur. *Actio* vero *noxalis* eſt, qua vel damni æſtimatio, vel ſervi deditio a domino petitur. Actiones vero noxales dantur *furti*, *vi bonorum raptorum*, *ex lege Aquilia*, *injuriarum* &c.

3. Dantur ergo actiones noxales iis, qui delicto, vel quaſi delicto ſervi privato læſi ſunt adverſus dominum, vel quemcunque ſervi poſſeſſorem ad hoc, ut vel damnum reſarciat, vel *ſervum noxæ dedat*. Idem & circa maleficia filiorum familias olim obtinebat, qui & ipſi noxæ dari poterant a Patre. Sed id jure novo mutatum.

TIT. IX.

Si Quadrupes Pauperiem feciſſe Dicatur.

1. Uti liberi homines *Damnum*; ſervi & olim filiifamilias *Noxiam* inferre dicuntur; ita quadrupes facere dicitur PAVPERIEM. Pauperies itaque eſt *Damnum ſine injuria facientis datum*. Nulla enim eſt injuria, niſi a conſilio profecta.

Vel ſervum noxæ dedat.] Quamvis *noxam* & *noxiam* ita diſtinguit *Juſtinianus*, quod *noxa*, ipſum quod nocuit corpus; *noxia* delictum quod quis commiſit, denotet, tamen non raro neglectum iſtud diſcrimen animadvertimus. Planè cum dicunt *noxæ dedere*, noxa maleficium ſignificat; eſt enim imperfecta illa locutio; intelligitur enim *ergo*, vel *causâ*, vel *nomine*, more Græcorum ἐλλειπτικῶς. Græcis enim hæc locutio familiaris eſt—— *Luc.* 16. 8. ——ἐπῄνεσεν ὁ κύριος τὸν οἰκονομὸν τῆς ἀδικίας.——Cic. 5. in Verrem.—— *aliquid lucri vel acceſſionis dare*, id eſt, nomine, vice acceſſionis.——Virg. Æneid. I. v. 45.

Unius ob NOXAM, & furias Ajacis Oïlei.——

JUS ANGLICANUM. ad Tit. VIII.

Noxalis actio in Dominos ex maleficio ſervorum Anglis incognita eſt; nam ipſi ex propriis delictis conveniri poſſunt.

Ita quadrupes facere dicitur pauperiem.] Hujus juris exordia odorari licet in lege illa Solonis, de cane qui momorderat, quem quatuor cubitorum catenâ vinctum noxæ dandum conſtituerat.——Plut. in Solone, p. 91. Ἔγραψε δὲ καὶ βλάβης τετραπόδων νόμον, ἐν ᾧ κύνα δακόντα ἀποδίδοσθαι κελεύει κλοιῶ τετραπήχει δεδεμένον.

Cætera ad pauperiem pertinentia ex Attico jure in Romanum fluxiſſe credendum, ex eo præcipuè, quod jus noſtrum hac in re maximè cum *Platonis* lege conveniat, qui forſan eam ex Attico jure decerpſit.

2. Quia

2. Quia tamen & beſtias ſecundum naturam communem vivere, idque faciendo juri naturæ ſatisfacere exiſtimabant veteres, pauperiem tum demum factam aiebant Jureconſulti, ſi quadrupes non provocata, ſed proprio motu *contra naturam* damnum dederit. Ita enim, quaſi deliquiſſe cenſebant beſtiam, non autem, ſi ſecundum naturam damnum dederit, veluti gramina depaſcendo.

3. Si ergo quadrupes contra naturam generis damnum dedit, non inſtigata, nec provocata, datur Actio *noxalis de pauperie* ei cujus intereſt, ejuſque hæredi adverſus eum, qui tempore litis conteſtatæ quadrupedis dominus eſt, in id, ut vel factam pauperiem reſarciat, vel noxæ dedat animal.

4. Sin inſtigante alio animal fecerat pauperiem: contra inſtigantem dabatur Actio ex *Lege Aquilia*. Si ſecundum naturam agrum depaſcendo nocuerat, competebat Actio in factum *de paſtu pecorum*. Sin Dominus immiſerat beſtiam, actioni ex lege Aquilia locus erat, quia id quoque *injuria*, id eſt, damnum injuria datum.

5. Denique qui verrem, aprum, canem juxta viam, ubi iter fit habet, is ei, qui damnum æſtimabile inde ſenſit, in duplum; —vel, ſi liber homo occiſus, in ducentos ſolidos; — ſin eidem nocitum, in id, quod arbitratur Judex, tenetur ex Edicto Ædilitio.

Quia id quoque injuria] Juv. Sat. XIV. v. 145.

Quorum ſi pretio Dominus non vincitur ullo,
Nocte boves macri, laſſoque famelica collo
Armenta ad virides hujus mittuntur ariſtas;
Nec prius inde domum, quam tota novalia ſævos
In ventres abeant, ut credas falcibus actum.
Dicere vix poſſis, quam multi talia plorent.
Et quot venales INIVRIA fecerit agros.

JUS ANGLICANUM. ad Tit. IX.

De brutis animalibus, & rebus etiam inanimatis, quarum violenta motione homo quiſquam occiditur, quiddam noxalis actionis ſimile habemus. Si equus enim calcitroſus, vel Taurus ferocior, vel denique plauſtrum a jumentis tractum hominem occiderit: hoc quicquid eſt, (niſi ad Regem ſpectet) quaſi ſacrum fit, & neſcio an conſuetudine veteri comburi ſoleat, ſed

TIT. X.

De iis per quos Agere Possumus.

1. Præcedentes tituli nos docuerunt, quibus Actionibus quis alieno nomine conveniri possit. Non incommodè nunc subjicitur de personis, per quas agere cuique, litemque intendere, aut excipere liceat.

2. Admonendi vero sumus agere posse quemlibet hominem aut *suo* nomine, aut *alieno*. Alieno, veluti *procuratorio*, *Tutorio*, *Curatorio*; cum olim in usu fuisset alterius nomine agi non posse, nisi pro *populo*, pro *libertate*, pro *tutela*. Prætereà lege *Hostiliâ* permissum erat furti agere eorum nomine, qui apud hostes essent, aut Reipublicæ causa abessent. Sed quia hoc non minimam incommoditatem habebat, quod alieno nomine neque agere, neque excipere actionem licebat, cœperunt homines per Procuratores litigare. Nam & Morbus, & ætas, & necessaria peregri-

sed hodie Regi cedit, sive illi cui jura hujusmodi concessa sunt. Si Regi cedat, re distractâ, pretium ejus per Regis Eleemosynarium in pios usus erogatur. Qua de causa DEODANDVM appellatur.

Quasi regula juris est apud nos, ut quilibet ad damnum illud resarciendum teneatur, quod, vel se inscio, quadrupes suum vicino fruges, herbas, arbores, fruticesve ejus depascendo vel proterendo intulit.

Imo vero, qui tale damnum a quadrupede alterius sensit, illud in parcum publicum compactum detinere potest, donec dominus quadrupedis damnum datum compensaverit; ita ut si quadrupes interim inediâ pereat, domini periculo intereat, non compingentis.

Si tamen per viam publicam quadrupedem sive armentum, sive gregem quis egerit, quæ in agros vel campos propinquos subitò irrumpunt: ille ea subsequens, & abigens ne damnum dent, transgressionis non tenetur. Damnum tamen, si quod datum sit, resarcire tenetur.

Pro libertate,] Liv. Lib. 3. 45.——*In his enim, quæ asserantur in libertatem, quia QVIVIS LEGE AGERE possit, id juris esse.*

Cœperunt homines per Procuratores litigare.] A *Romulo* inventum fuit jus Patronatus, jussique erant Patricii lites pro clientibus plebeiis suscipere. Ubi jam istud institutum exoleverat, natum inde est aliud *Patronorum* genus, quod se totum forensibus controversiis consecrârit, operamque litigantibus aut commodârit, aut locârit. Cæterum huic forensi operæ dare se solebant adolescentes nobilissimi, quibus primum hoc erat industriæ specimen, primum honorum rudimentum. Nec temerario impetu ruebant in forum, sed plerumque

natio, itemque aliæ multæ cauſæ ſæpe hominibus impedimento ſunt, quominus rem ſuam ipſi exequi poſſint.

3. Eſt autem Procurator *in genere*, qui aliena negotia mandato Domini adminiſtrat. Hoc autem loco *ſpecialius* accipitur pro eo, qui negotia judicialia mandato Domini adminiſtrat.

4. Procurator autem differt a Syndico, Defenſore & Advocato. —*Syndicus* eſt, cui ab Univerſitate, univerſa negotia mandata ſunt.—*Defenſor* eſt, qui reum ſine mandato in judicio defendit.

plerumque a Conſulari quodam deducebantur ceu docet Plin. Epiſt. XIV. Lib. 2.——*At herculè ante memoriam meam, (majores natu ita ſolent dicere,) ne nobiliſſimis quidem Adoleſcentibus locus erat, niſi aliquo Conſulari producente: tanta veneratione pulcherrimum opus celebrabatur.* Sic legimus *Auguſtum* ampliſſimo præditum magiſtratu *Caium* & *Lucium* filios ſuo quemque tyrocinio deduxiſſe in forum; ſic *Tiberium* Romam reverſum filium ſuum *Druſum.*—— Hanc rem *Tacitus* de cauſis corruptæ eloquentiæ latius exequitur.—*Ergo*, inquit, *apud majores noſtros juvenis ille, qui & foro & eloquentiæ parabatur, imbutus jam domeſtica Diſciplina, refertus honeſtis ſtudiis, deducebatur a Patre, vel a propinquis ad eum Oratorem, qui principem locum in civitate tenebat: hunc ſectari, hunc proſequi, hujus omnibus dictionibus intereſſe, ſive in judiciis, ſive in concionibus aſſueſcebat; ita ut altercationes quoque excipere, & jurgiis intereſſe, utque ſic dixerim, pugnare in prælio diſceret.* Eſt hæc origo *Advocatorum* qui *ſupereſſe* dicebantur negotiis, quamvis tunc nondum fas eſſet litigantibus abeſſe e judicio.

Nam ne fieri quidem poterat ex antiqui juris Romani principiis, ut alterius nomine quiſquam ageret. Quum neceſſaria ergo eſſet litigantium præſentia, nec poſſet quiſquam alieno nomine vel intendere litem, vel excipere, niſi in actionibus pro *Populo*, pro *Libertate*, pro *Pupillo* &c. moleſtiſſimum hoc erat iis, qui ſubtilitates juris, forique ambages parum intelligebant. Inventi demum ſunt COGNITORES & PROCVRATORES, qui aliorum lites ſuſciperent. Quale inter eos diſcrimen fuerit, quibuſdam paulo videtur obſcurius. Aſt in eo diverſam illorum conditionem fuiſſe animadvertunt, quod *procurator* abſentis Litigatoris; *cognitor* præſentis ejuſdem cauſam egerit, vel potius cauſæ illis a dominis præſentibus fuerunt conceſſæ. Hor. Ser. l. 5. v. 34.

Jus anceps novi, cauſas defendere poſſum:
Eripiet quivis oculos citius mihi, quam te
Contemptum caſsâ nuce pauperet: hæc mea cura eſt,
Ne quid tu perdas, neu ſis jocus. Ire domum atque
Pelliculam curare jube; ſi COGNITOR ipſe.

Cic. pro A. Cæcina.——*Quam perſonam jam ex quotidiana cognoſcitis vita, Recuperatores! Mulierum aſſentatoris, COGNITORIS viduarum, defenſoris nimium litigioſi, conciti ad rixam, inepti, ac ſtulti inter viros, inter mulieres periti juris, & callidi: hanc perſonam imponite Æbutio.*

——*Advocatus*

—*Advocatus* eſt, qui deſiderium amici ſui in jure apud eum, qui juriſdictioni præeſt, exponit, vel alterius deſiderio contradicit.

TIT. XI.

De Satiſdationibus.

1. Intereſt litigantium, ne judicia fiant eluſoria, & hinc a ſe invicem *cautiones* exigunt.

2. *Cautio* eſt, qua parti adverſæ præſtatur ſecuritas, eaque vel *Fidejuſſoria* eſt, quæ & SATISDATIO dicitur; vel *pignoratitia*; vel *juratoria*; vel *nudè promiſſoria*.

3. Ordinariè cavetur *fidejußoribus*.—*Pignora* tunc admittuntur, ſi æſtimatio rei certa ſit.—*Juratò* promittunt, tum viri illuſtres; tum olim poſſeſſores rerum immobilium;—nec non alii probatæ vitæ, qui idoneos fidejuſſores, & pignora reperire haud poſſunt.

4. Et quidem jure novo *Reus* nec actione *perſonali*, nec *reali* conventus cautionem *de judicato ſolvendo* præſtat, ſed tantum *de Judicio ſiſti*, ſimulque, quod in judicio permanſurus ſit ad terminum litis.

5. *Actor* cavet, ſe ſub pœna dupli intra duos menſes a tempore exhibiti libelli litem conteſtaturum, eamque ad exitum perſequuturum; & ſi ſuccubuerit, decimam quantitatis libello comprehenſæ partem, impenſarum nomine, reſtituturum.

6. Procurator Rei *præſentis* ex ſua perſona non cavet: ſed reus, vel præſens in judicio pro eo *ſatis* promittit; vel extra judicium pro eo ſatiſdat, partim *de judicatum ſolvi*; partim, quod

JUS ANGLICANUM. ad Tit. X.

Hodie nihil fit uſitatius, quam unumquemque in qualibet cauſa ſive reali, ſive perſonali, per Procuratorem ſuum litem vel inferre vel ſuſcipere. Caſus tamen non paucos reperire licet, in quorum aliquibus procuratorem conſtituere prorſus prohibemur, in aliis ſine venia Juſticiariorum non permittimur.

tempore

tempore ſententiæ recitandæ venturus ſit in Judicium.—Rei *abſentis* Procurator, vel Defenſor potius cavere tenetur *de judicatum ſolvi.*

7. Procurator *Actoris* vero mandato inſtructus non cavet; mandato deſtitutus non admittitur, etiamſi ſatis offerat. Si mandatum vel quodammodo mancum videatur; vel perſona conjuncta pro altera, vel procurator omnium bonorum pro Domino, vel Tutor pro Pupillo, curator pro minore agat, ſatiſdabit *Dominum rem ratam habiturum.*

8. In cauſis bonæ fidei & arbitrariis aliquando deponebatur pecunia, quæ *Compromiſſum* adpellabatur. Quum enim periculum eſſet, ut alterutra pars Arbitri laudo ſtaret; plerumque hæc pecunia deponebatur, ut mulctæ loco eriperetur ei, qui hoc modo eluſiſſet Arbitrium.

Potius cavere tenetur de judicatum ſolvi.] Cic. pro P. Quinctio, 29.—*Iſte poſtulat, ut Procurator judicatum ſolvi ſatiſdaret. Negat Alphenus æquum eſſe procuratorem ſatiſdare, quod reus ſatiſdare non deberet, ſi ipſe adeſſet. Appellantur Tribuni, a quibus cum eſſet certum auxilium petitum, ita tamen diſceditur ut Idibus Septembribus P. Quinctium ſiſti Sext: Alphenus promitteret. Venit Romam Quinctius; Vadimonium ſiſtit.*

Iſte homo acerrimus bonorum poſſeſſor, expulſor, ereptor, annum & ſex menſes nihil petit; quieſcit; conditionibus hunc, quoad poteſt, producit; a Cn. Dolabella denique Prætore poſtulat, ut ſibi Quinctius judicatum ſolvi ſatiſdaret ex formula, Quod ab eo petat; quoniam ejus ex Edicto Prætoris bona dies XXX. poſſeſſa ſint. Non recuſabat Quinctius, quin ita ſatiſdare juberet, ſi bona poſſeſſa eſſent ex Edicto.

Quæ *Compromiſſum* adpellabatur.] Cic. pro Q. Roſcio Comœdo, 12.—*Quæ cum ita ſint, quæro abs te, quid ita de hac pecunia, de tuarum tabularum fide COMPROMISSVM feceris, arbitrum ſumpſeris, quantum æquius & melius ſit dari, repromittique, ſi peteres?*

JUS ANGLICANUM. ad Tit. XI.

Ex conceptis plerorumque brevium originalium formis apparet Actori de lite proſequenda cavendum eſſe, priuſquam reus diſtringi, capi, aut ad ſe ſiſtendi cautionem cogi poſſit. Verum verba illa brevibus citatoriis inſerta hodie formæ tantum videntur inſervire.

Quomodo reus de ſe ſiſtendo priſcis temporibus cavit vel ſatiſdedit, fusè prodiderunt aliqui, verum illud jus magna pro parte mutatum eſt. Ad

TIT. XII.

De Perpetuis & Temporalibus Actionibus, & quæ ad Hæredes, & in Hæredes Tranſeunt.

1. Hoc loco admonendi ſumus, eas quidem actiones, quæ ex Lege, Senatuſve conſulto, ſive ex ſacris conſtitutionibus proficiſcuntur perpetuò ſolere antiquitus competere, donec ſacræ Conſtitutiones tam in rem, quam in perſonam actionibus certos fines dederunt: eas vero, quæ ex propria Prætoris juriſdictione pendent, plerumque intra annum vivere, nam & ipſius Prætoris intra annum erat imperium.

2. Non autem omnes Actiones, quæ in aliquem aut ipſo jure competunt, aut a Prætore dantur, & *in hæredem* æquè competunt, aut dari ſolent. Eſt enim certiſſima juris regula, ex maleficiis pœnales actiones in hæredem rei non competere; veluti *furti*, vi *bonorum raptorum*, *injuriarum*, *damni injuriæ*. Sed *hæ-*

plenam vero hujus rei explicationem ſingularum Curiarum varietates eſſent percurrendæ.

In cauſis criminalibus, ſi capitales ſint, utpote in læsâ majeſtate, vel felonia, capi jubentur Rei primò, ſecundò, & tertiò; & ſi hoc fieri non poſſit, in Comitatu quinquies exiguntur, & non comparentes exleges pronunciantur & proclamantur. Si vero capiantur, carceri ſine omni ſpe relaxationis uſque ad judicium latum in quibuſdam cauſis mandantur. Sed ſi ob levem ſuſpicionem feloniæ, aut Laricinium parvum quis capiatur, Vicecomes cautionem fidejuſſoriam pro ejus comparitione accipere poteſt, & nolens compellitur. Alii vero ſunt particulares in rebus criminalibus procedendi modi certis cauſis ſpecialiter deſtinati, quos e ſtatutis regni, quæ eos jubent, delibare neceſſe eſt.

Perpetuò ſolere antiquitus competere,] Quemadmodum leges perpetuæ ſunt obligationis; ita & Actiones, quæ ex legibus naſcebantur, erant *perpetuæ*, ita ut iis nullo unquam tempore præſcriberetur. Poſtea, quum intereſſe videretur Reipublicæ lites aliquando finiri, conſtitutionibus Principum cautum eſt, ut ejuſmodi actionibus, quæ ex lege deſcendunt, triginta, aut quadraginta annorum ſpatio præſcriberetur. Remanſit tamen antiqui vocabuli uſus, adeoque & ejuſmodi actiones, quæ non niſi circumactis triginta vel quadraginta annis exſpirant PERPETVÆ vocatæ ſunt. Spatium enim xxx. annorum veteribus erat ἀγήρατος, & id ſatis longum ſpatium videbatur ratione hominis, jus ſuum perſequuturi.

redibus

redibus hujuſmodi Actiones competunt, nec denegantur, exceptâ injuriarum actione, quia vindictæ magis, quam pecuniæ perſecutionem habet, & ſi qua alia ſimilis inveniatur. Aliquando tamen etiam *ex contractu* actio contra hæredem non competit, veluti cum teſtator dolosè verſatus ſit, & ad hæredem ejus nihil ex eo dolo pervenit. Pœnales autem actiones, ſi ab ipſis principalibus perſonis fuerint conteſtatæ, & hæredibus dantur, & contra hæredes tranſeunt.

3. Supereſt, ut admoneamus, quod ſi ante rem judicatam is, cum quo actum eſt, ſatisfaciat actori, officio judicis convenit eum abſolvere, licet in ea cauſa fuiſſet judicii accipiendi tempore, ut damnari deberet.

JUS ANGLICANUM. ad Tit. XII.

Actiones aliquæ ſunt perpetuæ, aliquæ tempore præfiniuntur. *Perpetuas* illas dico, quæ ſola vetuſtate tacitè exſpirant, quæque certum tempus durationi ſuæ expreſsè præſtitutum non habent. *Secundi generis* ſunt plures, quæ tam e jure communi, quam ex ſtatutis oriuntur. Hæ enim niſi intra dies fatales inſtituantur in ævum ſcpultæ jacent.——Exempli cauſa, contra eum, qui in vivario alterius venatur, dominus vivarii uſque ad annum & diem actionem ſuam habet, ſed illo tempore decurſo, Rex ſolus hanc tranſgreſſionem perſequitur.

Sunt autem aliquæ ſic perpetuæ ut nulla diuturnitate extinguantur: utpote illæ quæ de jure gentium pertinent ad Coronam propter privilegium Regis: in multis enim caſibus nullum tempus currit contra Regem, ſi petat, cum probare non habet neceſſe, & ſine probatione obtinebit, ſi implacitatus warantum non habuerit, id eſt ſpecialem libertatem a Rege conceſſam. Quia ſe ex longo tempore non defendit.

Aliquæ quoque ſunt ita temporales, ut cum perſonâ moriantur, nec hæredibus vel executoribus aut in hæredem, vel executorem competunt, ut pœnales. *Pœna* enim non debet ad alios extendi, quam ad authores, nec ulterius progredi, quam ſe extendit Delictum.

Imo vero neque ex conventione ſcriptis conceptâ hæredes, executoreſve vel agunt, vel impetuntur, niſi quatenus conventionis inſtrumento eorum mentio facta fuerit.

TIT. XIII.

De Exceptionibus.

1. Sequitur ut de Exceptionibus diſpiciamus. Comparatæ autem ſunt Exceptiones defendendorum eorum gratia, cum quibus agitur. Sæpè enim accidit, ut licet ipſa perſecutio, qua Actor experitur, *juſta* ſit; tamen *iniqua* ſit adverſus eum, cum quo agitur.

2. Verbi gratia, ſi *metu coactus*, aut *dolo inductus*, aut *errore lapſus* ſtipulanti Titio promiſiſti, quod non debueras promittere, palam eſt, jure civili te obligatum eſſe, & Actio, qua intenditur dare te oportere, efficax eſt; ſed iniquum eſt, te condemnari. Ideoque datur tibi *exceptio*, quod *metûs cauſa*, aut *doli mali*, aut *in factum*, compoſita ad impugnandam actionem.

3. Idem juris eſt, ſi quis quaſi credendi cauſa pecuniam a te ſtipulatus fuerit, neque numeraverit. Nam eam pecuniam a te petere poſſe eum certum eſt; dare enim te oportet, quum ex ſtipulatione tenearis. Sed quia iniquum eſt eo nomine te condemnari, placet *exceptione pecuniæ non numeratæ* te defendi debere.

4. Præterea debitor ſi pactus fuerit cum creditore ne a ſe pecunia peteretur, nihilominus obligatus manet, quia pacto con-

Comparatæ autem ſunt Exceptiones] Reus Actionem vel negando excepit, vel excipiendo elidere conabatur. Sæpius nihil addebat ad inficiationem, & tunc PVRA ea dicebatur Defenſio. Sin addebat exceptionem CONIVNCTA vocabatur.——Cic. de Invent. II. 20.——*Agit is, cui manus præciſa eſt, injuriarum: poſtulat is, quocum agitur, a Prætore Exceptionem.——Is qui agit IVDICIVM PVRVM poſtulat; ille quocum agitur exceptionem ait addi oportere.*

Ea exceptio a Prætore erat poſtulanda, æquè ac Actio, & quidem non niſi propoſitâ Actione. Unde tanquam ridiculum errorem veteris Poetæ exagitat Terentius Procem. Eunuch. v. 10. quod in Comœdia induxerit reum cauſam prius dicentem, quam Actor Theſaurum vindicans dixiſſet, unde is ſibi Theſaurus ſit, aut unde in patrium monumentum pervenerit;

Atque in THESAVRO ſcripſit, cauſam dicere
Prius, unde petitur aurum, quare ſit ſuum,
Quam ille qui petit, unde is ſit theſaurus ſibi:
Aut unde in patrium monumentum pervenerit.

vento

vento obligationes non omnino diſſolvuntur ; qua de cauſa efficax eſt adverſus eum Actio, quam actor intendit, SI PARET, EVM DARE OPORTERE : ſed quia iniquum eſt, contra pactionem eum condemnari, defenditur *per exceptionem Pacti conventi.*

5. Æquè ſi debitor creditore deferente juraverit, nihil ſe dare oportere, adhuc obligatus permanet : ſed quia iniquum eſt de perjurio quæri, defenditur per *exceptionem Jurisjurandi.*

6. Item ſi judicio tecum actum fuerit, ſive in *rem*, ſive in *perſonam*, nihilominus obligatio durat : & ideo *ipſo jure* de eadem re poſtea adverſus te agi poteſt ; ſed debes per *exceptionem rei judicatæ* adjuvari.

Per exceptionem rei judicatæ] Hæc quoque fuit Athenienſium Lex.

ΟΣΩΝ ΔΙΚΗ ΠΡΟΤΕΡΟΝ ΕΓΕΝΕΤΟ Η ΕΥΘΥΝΑ Η ΔΙΑΔΙΚΑΣΙΑ ΠΕΡΙ ΤΟΥ ΕΝ ΔΙΚΑΣΤΗΡΙΩ, Η ΙΔΙΑ Η ΔΗΜΟΣΙΑ, Η ΤΟ ΔΗΜΟΣΙΟΝ ΑΠΕΔΟΤΟ, ΜΗ ΕΙΣΑΓΕΙΝ ΠΕΡΙ ΤΟΥΤΩΝ ΕΙΣ ΤΟ ΔΙΚΑΣΤΗΡΙΟΝ, ΜΗΔ ΕΠΙΨΗΦΙΖΕΙΝ ΤΩΝ ΑΡΧΟΝΤΩΝ ΜΗΔΕΝΑ, ΜΗΔΕ ΚΑΤΗΓΟΡΕΙΝ ΕΩΝΤΩΝ, Α ΟΥΚ ΕΩΣΙΝ ΟΙ ΝΟΜΟΙ.

Hujus legis meminit Demoſthenes——ὁ μὲν γὰρ ἐκ τῶν ὧν ἅπαξ γνῶ τὸ δικαστήριον πάλιν χρηματίζειν.

Idem etiam Orator in exceptione pro Phormione——Ακούετε τοῦ νόμου λέγοντος, ὦ ἄνδρες Αθηναῖοι, τὰ τὲ ἄλλα ὧν μὴ εἶναι δίκας, καὶ ὅσα τις ἀφῆκεν, ἢ ἀπήλλαξεν· εἰκότως. εἰ γὰρ ὅτι δίκαιον ὧν ἄν ἅπαξ γνῶται δίκη, μηκέτ' ἐξεῖναι δικάζεσθαι, πολὺ τῶν ἀφειθέντων δικαιότερον μὴ εἶναι δίκας. ὁ μὲν γὰρ ἐν ὑμῖν ἡττηθεὶς τάχα ἄν εἴποι ὡς ἐξηπατήθητε ὑμεῖς. ὁ δὲ αὐτὸ φανερῶς καταγνὺς, καὶ ἀφεὶς, τὶν' ἄν ἑαυτὸν αἰτίαν αἰτιασάμενος τῶν αὐτῶν πάλιν εἰκότως δικάζοιτο; ὐδεμίαν δήπου.——*Audite, quæſo, Athenienſes, dicentem legem, quæ ſint de quibus judicium reddi non oporteat ; inter ea vero eſſe quæ remiſſa, quæque tranſacta ſunt. Merito ſane ; nam ſi de quibus rebus judicatum eſt, de iis non datur nova Actio, multo juſtius non dari actionem de rebus tranſactis ; nam qui in judicio ſuccubuit, poteſt dicere vos eſſe deceptos. At qui ſemel damnavit, qui remiſit, qui tranſegit, quo crimine ſemet accuſans rem denuò ad judicem perducit ? Nullo certe.*——Idem contra Leptinen : Οἱ νόμοι ἐκ ἐῶσι δὶς περὶ τοῦ αὐτοῦ ὑπὲρ τῶν αὐτῶν ἔτι δίκας, ἔτε συκοφαντίας, ἔτε ἀφαιρέσεως, ἔτ' ἄλλο τοιοῦτο ὐδὲν εἶναι.

Terent. in Phorm. Act. II. Scen. 3.

At Tu, qui ſapiens es, Magiſtratus adi,
Judicium DE EADEM CAVSA ITERVM ut reddant tibi :
Quandoquidem ſolus regnas, & ſoli licet
Hic DE EADEM CAVSA BIS Judicium adipiſcier.

7. Hæc

7. Hæc exempli cauſa retuliſſe ſufficiat. Exceptiones vero quædam ex legibus, vel iis, quæ legis vim obtinent; vel ex ipſius Prætoris juriſdictione ſubſtantiam capiunt.

8. Appellantur autem Exceptiones aliæ perpetuæ & Peremptoriæ; aliæ Temporales & Dilatoriæ.— *Perpetuæ* & *Peremptoriæ* ſunt, quæ ſemper agentibus obſtant, & ſemper rem de qua agitur perimunt, qualis eſt Exceptio doli mali, & quod metus cauſa factum eſt, & pacti conventi, cum ita convenerit, ne *omnino* pecunia peteretur.— *Temporales* atque *Dilatoriæ* ſunt, quæ ad tempus nocent, & temporis dilationem tribuunt; qualis eſt pacti conventi, cum ita convenerit, ne *intra certum tempus* ageretur, veluti intra quinquennium; nam finito eo tempore non impeditur Actor rem exequi. Ideo enim *dilatoriæ* iſtæ Exceptiones appellantur.

9. Præterea etiam *ex perſona* ſunt dilatoriæ Exceptiones, quales ſunt *Procuratoriæ*, veluti, ſi per militem, aut mulierem agere quis velit. Nam militibus nec pro patre, vel matre, vel uxore, nec ex ſacro Reſcripto procuratorio nomine experiri conceditur. Suis vero negotiis ſupereſſe ſine offenſa militaris diſciplinæ poſſunt.

TIT. XIV.

De Replicationibus.

1. Uti *Reus* exceptione ſua intentionem Actoris; ita *Actor* nova allegatione exceptionem rei elidit, eaque vocari ſolet REPLICATIO.

2. Quum vero contingere poſſit, ut replicatio, quæ prima facie juſta eſt, novâ allegatione excludatur a reo: ea tunc vocatur DVPLICATIO.

3. In quibuſdam foris & actori TRIPLICATIO, & Reo QVADRVPLICATIO conceditur, immo & ulteriores allegationes admittuntur.

Ex ipſius Prætoris] Cic. de Invent. Lib. II.— *Nam & PRÆTORIIS EXCEPTIONIBVS multæ excludumtur Actiones, & ita jus civile habemus conſtitutum, ut cauſa cadat is, qui non, quemadmodum oportet, egerit.*

mittuntur. Verum in judiciis bene conſtitutis id non temerè permittitur, ſed partes coguntur in *replicatione* & *duplicatione* ad ſententiam *concludere*; & ni id faciant, Judex cauſam ex officio pro *concluſa* habet. Cæterum reo ultimam allegationem competere, & ratio juris, & uſus fori probat.

TIT. XV.

De Interdictis.

1. Sequitur, ut diſpiciamus de *Interdictis*, ſeu Actionibus, quæ pro his exercentur. Erant autem INTERDICTA formæ atque conceptiones verborum, quibus Prætor aut jubebat aliquid fieri, aut fieri prohibebat, quod tunc maximè fiebat, cum de poſſeſſione, aut *quaſi poſſeſſione* inter aliquos contendebatur. Res enim incorporales, puta uſusfructus & Servitutes *quaſi poſſideri* dicebantur.

2. Summa autem diviſio Interdictorum hæc eſt, quod aut Prohibitoria ſunt, aut Reſtitutoria, aut Exhibitoria.—*Prohibitoria* ſunt quibus Prætor vetat aliquid fieri; veluti vim ſine vitio poſſidenti, vel mortuum inferenti, quo ei jus erat inferendi; vel in ſacro loco ædificari, vel in flumine publico, ripave ejus aliquid fieri, quo pejus navigetur. — *Reſtitutoria* ſunt, quibus reſtitui aliquid jubet: veluti bonorum poſſeſſori poſſeſſionem eorum, quæ quis pro hærede, aut pro poſſeſſore poſſidet ex ea hæreditate, aut cum jubet ei, qui vi de poſſeſſione dejectus ſit, reſtitui poſſeſſionem.— *Exhibitoria* ſunt, per quæ jubet exhiberi; veluti eum, cujus de libertate agitur, aut libertum, cui Patronus operas indicere velit; aut Parenti liberos, qui in poteſtate ejus ſunt; aut tabulas teſtamenti.

3. Quum vero omnis de poſſeſſione rei privatæ contentio eo ſpectat, ut aut poſſeſſionem adipiſcamur, aut adeptam retineamus, aut amiſſam recuperemus, quædam Interdicta adipiſcendæ

Quædam Interdicta adipiſcendæ] Auſ. Id. II.
Interdictorum trinum genus: VNDE repulſus
VI fuero, aut VTRVBI fuerit, QVORVMVE BONORVM.
poſſeſſionis

poſſeſſionis cauſa comparata ſunt, quædam retinendæ, quædam recuperandæ. *Adipiſcendæ* poſſeſſionis cauſa comparatum eſt Interdictum QVORVM BONORVM; *retinendæ*, VTI POSSIDETIS ET VTRVBI; *recuperandæ* VNDE VI.

4. Interdictum QVORVM BONORVM datur bonorum Poſſeſſori, vel hæredi Prætorio adverſus eum qui pro hærede, vel pro Poſſeſſore poſſidet ad conſequendam rerum hæreditariarum poſſeſſionem. *Pro hærede* vero *poſſidere* dicitur, qui ſe hæredem eſſe ait; *Pro poſſeſſore*, qui hæreditatem ſciens nullo ad ſe jure pertinere, poſſidet, quia poſſidet.

5. Interdictum VTI POSSIDETIS competit ei, qui rem *immobilem* tempore litis conteſtatæ nec *vi*, nec *clam*, nec *precario* poſſidet, contra turbantem, ad id, ut a turbatione deſiſtat, deque eo caveat, & præſtet ſimul, quod intereſt.

6. Interdictum contra VTRVBI datur ei, qui rem *mobilem* tempore litis conteſtatæ nec *vi*, nec *clam*, nec *precario* poſſidet, adverſus turbantem, ut a turbatione deſiſtat, cautionem de non amplius turbando, idque quod intereſt, præſtet.

7. Interdictum VNDE VI competit ei, qui per vim a poſſeſſione

Interdictum QVORVM BONORVM] Interdicti *quorum bonorum* verba erant hujuſmodi.——QVORVM BONORVM EX EDICTO MEO ILLI POSSESSIO DATA EST: QVOD DE HIS BONIS PRO HÆREDE, AVT PRO POSSESSORE POSSIDES, POSSIDERESVE SI NIHIL VSVMCAPTVM ESSET; QVOD QVIDEM DOLO MALO FECISTI, VTI DESINERES POSSIDERE, ID ILLI RESTITVAS.——Appellabatur vero Interdictum *quorum bonorum* a primis verbis Interdicti ut pleraque alia.

Nec vi, nec clam, nec precario] Ad hæc Terentianus Chærea lepidè alludit. Eun. Act. II. Scen. 3.

Hanc tu mihi vel VI, vel CLAM, vel PRECARIO
Fac tradas: mea nihil refert, dum potiar modo.

Ubi Donatus, Secundum jus locutus eſt. Nam his tribus malâ fide aliquid poſſidetur VI, CLAM, PRECARIO.

Interdictum VNDE VI] Vide *Ciceronis* Orationem pro *A. Cæcina*, ubi quæritur an Interdicto de vi teneatur etiam is, qui non dejecit de fundo, ſed ab ejus ingreſſu prohibuit.——Ad hujuſce Interdicti formulam alludit Cicero in Epiſt. ad Famil. Lib. XV. Epiſt. 16.——*Si enim ſtomachabere & moleſte feres, plura dicemus, poſtulabimuſque, ex qua hæreſi VI HOMINIBVS ARMATIS*

rei immobilis dejectus eſt, ejuſque hæredi adverſus dejicientem ad reſtituendam poſſeſſionem cum fructibus ac omni utilitate, damnumque dejiciendo datum reſarciendum, & ſi poſſidere deſierit ad id intereſt.

8. Interdicta aut ſimplicia ſunt, aut duplicia.—*Simplicia* ſunt, veluti in quibus alter Actor, alter reus eſt; qualia ſunt omnia *reſtitutoria*, aut *exhibitoria*.—*Duplicia* ſunt, veluti *uti poſſidetis* interdictum & *Utrubi*. Ideo autem duplicia vocantur, quia par utriuſque litigatoris in his conditio eſt, nec quiſquam præcipuè reus vel Actor intelligitur; ſed unuſquiſque tam rei, quam Actoris partes ſuſtinet.

TIT. XVI.

De Pœna Temere Litigantium.

1. Intereſt Reipublicæ ne temere ad litigandum procedant homines. Hinc & Romani temeritatem litigantium partim juriſjurandi religione, partim pecuniaria pœna, partim infamiæ metu coercuerunt.

MATIS dejectus ſis, in eam reſtituare. In hoc Interdicto non ſolet addi, IN HOC ANNO. Quare ſi jam biennium, aut triennium eſt, cum virtuti nuntium remiſiſti, delinitus illecebris voluptatis, in integro res nobis erit.

JUS ANGLICANUM. ad Tit. XV.

Interdictorum uſus jure civili jam olim expiravit: ita ut hodie Actiones & Interdicta nihil apud ejus Alumnos differant. Illis Prætores Romani ad tumultuariam, & repentinam violentiam, præcipuè circa poſſeſſiones, reprimendam ut plurimum uſi ſunt: at in his cauſis majores noſtri judices ad audiendum & terminandum; aut etiam ad Aſſiſas capiendas delegabant; eoſque non ſtatis temporibus ad controverſias univerſas dirimendas ut nunc, ſed ad quodlibet particulare diſſidium, quam primum pullularet, componendum, ſedandumque emiſerunt. Uti nunc res ſunt, hujuſmodi negotia vel per Actiones, vel decreta, quæ brevia judicialia dicimus, aut ſaltem Vicecomitis & Juſticiariorum ad pacem in quolibet comitatu Præfectorum ope expediuntur.

2. Jusjurandum CALVMNIÆ præſtant Reus, Actor & Advocatus.—*Reus* quidem jurat, ſibi juſtam videri cauſam ſuam, ſe non temerè negaturum, nec litem prolaturum.—*Actor*, ſe non calumniandi, vexandique animo, ſed quia ſe juſtam cauſam habere exiſtimet, actionem inſtituiſſe, nec falſis probationibus uſurum eſſe.—*Advocatus* denique ſibi hactenus cauſam clientis juſtam videri, nec ſe ei patrocinium commodaturum, ſi aliud deprehendat.

3. Alter modus coercendi litigantium temeritatem eſt *Pœna pecuniaria*. Nam jure Romano Lis in quibuſdam cauſis inficiando creſcit, nam ſi reus neget ſe debere; & rem in judicium deduci patiatur, condemnatio fit in duplum, cum fatendo poſſet ſimpli ſolutione defungi.—Victus etiam victori, niſi probabilis ei cauſa fuerit litigandi, in impenſas litis condemnatur.—Et ſi quis in jus vocaverat, quem non debebat, mulctabatur olim L ſolidis.

4. Denique & *infamia* notantur temerè litigantes. Infamia vero eſt duplex, alia Juris, alia Facti. *Juris* eſt, cum expreſſum jus turpe factum notat, quomodo *Jus Civile* improbos fœneratores, in adulterio deprehenſos, judices improbos, plurimoſque alios; *Jus Prætorium*, Furti, vi bonorum raptorum, injuriarum, & de dolo ſuo nomine damnatos, ignominiæ cauſa ab exercitu miſſos alioſque infamia notat.—Facti infamia eſt, quam Jus

Jusjurandum Calumniæ præſtant] Si quis jurisjurandi immemor calumniosè alterum vel in jus vocaſſe, vel accuſaſſe diceretur, pœnas is dabat haud leves. Exſtabat hanc in rem *Lex Remmia*, (quæ incertis vero nominibus producitur) qua cavebatur, ut calumniatoribus pœna conſtituto judicio imponeretur. Ea pœna in quo conſtiterit, nondum conſtat. Huc forſan referri poteſt locus Ciceronis pro S. Roſcio Amerino.—*Sin autem ſic agetis, ut arguatis aliquem patrem occidiſſe, neque dicere poſſitis, aut quare aut quomodo, ac tantummodo ſine ſuſpicione latrabitis; crura quidem vobis nemo ſuffringet; ſed ſi ego hos bene novi, LITERAM ILLAM, cui vos uſque eo inimici eſtis, ut etiam alias omnes oderitis, ita vehementer ad caput affigent, ut poſtea neminem alium, niſi fortunas veſtras accuſare poſſitis.*—Ex hoc Ciceronis loco palam eſt, omnino Literam calumniatorum frontibus inuri conſueviſſe; forſan Literam K. Non enim CALVMNIA, ſed KALVMNIA ſcribebant veteres. Poſtea & aliæ Calumniæ pœnæ invaluerunt.

quidem

quidem expreſsè non irrogat, ſed eam æſtimat ex virorum bonorum & gravium judicio exiſtimationem alicujus ob factum indignum onerantium.

5. Omnium autem actionum inſtituendarum principium ab ea parte Edicti proficiſcitur, qua Prætor indicit de in jus vocando.

In jus vocando.] Lex Decemviralis de vocatione in jus ex Athenienſium jure tranſlata eſt. Nullum enim apud Athenienſes judicium reddebatur ſine in jus vocatione. Hæc vero non fiebat ſine Magiſtratus auctoritate.——— Demoſthenes ἐν τῷ περὶ Στεφάνου.—Οὐκ ἐνῆν ἄνευ τοῦ προσκαλέσασθαι δίκην τοῖς Λοκροῖς δίκην κατὰ τῆς πόλεως συντελέσασθαι. Τίς ἂν ἐκάλεσεν ὑμᾶς; ἀπὸ ποίας ἀρχῆς; εἰπὲ τὸν εἰδότα, δεῖξον· ἀλλ' οὐκ ἂν ἔχοις, ἀλλὰ κενῇ προφάσει ταύτῃ κατεχρῶ τῇ ψεύδει. ——— *Locrenſibus ſane non licebat a civitate mulctam exigere, niſi prius ad judicium provocatâ. At Quis vos in judicium vocavit? Cujus imperii auctoritate id fecit? Dic, Æſchine, oſtende hominem, qui hoc nôrit. Verum non potes: ſed inanem & futilem iſtam confingis excuſationem.*

Primum igitur Actor adverſarii ſui nomen deferebat apud Magiſtratum, cujus erat dicam illam εἰσάγειν. Hujus Magiſtratus permiſſu Actor adverſarium in jus vocabat aliquando per Apparitores, quos κλήτορας ἢ κλητῆρας vocant. ——Ariſtophanes in *Avibus*.

Μὰ Δία, ἀλλὰ κλητὴρ εἰμι νησιωτικὸς.

Aliquando in jus vocatio fiebat ab ipſo Actore cum Apparitoribus, aut advocatis teſtibus, quos etiam κλητῆρας dixerunt.——Ariſtophanes *Veſpis* illuſtri exemplo repræſentat, quomodo, quibuſve verbis in jus vocatio fieret.

———Προσκαλοῦμαί σ', ὅς τις εἶ,
Πρὸς τοὺς Ἀγορανόμους, βλάβης τῶν φορτίων,
Κλητῆρ' ἔχουσα Χαιρεφῶντα τουτονί.

Quando fœmina in jus vocabatur, non tantum illa vocabatur, ſed & ejus maritus, Η ΔΕΙΝΑ ΚΑΙ Ο ΚΥΡΙΟΣ.

Fiebat etiam aliquando in jus vocatio manus injectione. Sic Lucianus. ———Ἕπου, μιαρὲ, πρὸς τὸ δικαστήριον. ΑΛ. Μὴ ἄγχε με.——Ita apud Terentium in palliata Apollodori fabula Phormione, Act. 5. Scen. 6.

DE. *In jus eamus.* PH. *In jus! Huc, ſi quid lubet.*
DE. *Adſequere ac retine, dum ego huc ſervos evoco.*
CH. *Etenim ſolos nequeo: accurre huc.* PH. *Una injuria eſt Tecum.* CH. *Lege agito ergo.* PH. *Altera eſt tecum, Chreme.*
DE. *Rape hunc.*———

Et paulo poſt.

DE. *Niſi ſequitur, pugnos in ventrem ingere.*
PH. *Vel oculum exclude.*———

Porro qui in jus vocabatur non ſemper ſtatim ſequi debuit; nam etiam in jus aliquando vocabatur, ut aliquot poſt diebus judicio ſe ſiſteret. Exemplum habes apud Ariſtophanem in *Avibus*.

Καλοῦμαι παιδίτιεσθαι ὕβρεως
Εἰς τὸν Μουνιχιῶνα μῆνα.

Sic apud Romanos Actor reum conveniens vocabat in jus ad eum, qui Juriſdictioni præfuit, ad Prætorem cupiens cum eo diſceptare, ac jus experiri ſuum. Cujus vocationis hæ ſolennes erant formulæ. IN IVS EAMVS—— vel IN IVS VENI, vel SEQVERE AD TRIBVNAL; vel IN IVS AMBVLA.—— Vocationi reus ex legibus XII. Tabb. confeſtim parere jubebatur, ac ſi declinare vellet judicium, & ſeſe Actori ſubducere ſatageret, licebat repugnantem obtorto collo rapere ad Prætorem ſine injuria, dummodo Actor, antequam reo manus injiceret, adſtantes feciſſet ejus negotii teſtes; quo pateret reum ab actore nolentem in judicium trahi, non contumeliæ, ſed ſui juris experiundi cauſa. Teſtes autem cum faceret eos ita interrogabat. LICET ANTESTARI? Ac ſi per eos liceret, admotis digitis imam eis vellicabat auriculam adjecto verbo MEMENTO, vel MEMOR ESTO, Aures enim veteres Phyſici memoriæ dicârunt, ut alias partes corporis aliis facultatibus, veluti Dextram Fidei, Genua Miſericordiæ &c.——Hinc Virg. in Bucol.

——*Cynthius AVREM*
VELLIT, & admonuit.——

Hinc feſtivus ille, & vulgatus Horatii locus ad Romanos mores pertinens, ſupra citatus, Sat. Lib. I. 9. & Plauti in Curcul. v. 2.

PH. *AMBVLA IN IVS.* M. *Non eo.*
PH. *LICET ANTESTARI?* M. *Non licet.*
PH. *Jupiter te malè perdat; Inteſtatus vivito.*

Anteſtatio vero ipſa non erat teſtimonii dictio, ſed qui anteſtabatur aliquem, cum ſibi teſtem deſtinabat, & niſi reſponderet ille qui teſtis deſtinabatur LICET; invitum non licebat teſtem facere. Qui vero teſtimonium non dicebat, poſtquam ſe teſtem fieri, ſive anteſtari paſſus eſſet, TESTIMONIVM DEFVGERE dicebatur. Non enim teſtimonium defugit, qui non vult teſtis fieri, nec ſe ſinit anteſtari; ſed qui teſtimonium in judicio dicere recuſat, poſtquam ſe teſtem fieri, permiſit. Sic enim Deſertor eſt Teſtimonii, quod Græci Λειπομάρτυριον vocabant.

Ita DEFVGERE AVCTORITATEM dicebatur, non is qui primò noluiſſet Auctor fieri, ſed qui Auctor factus poſtea mutabat Sententiam, & nolebat amplius Auctor eſſe, ut apud Terent. Eun. II. 3.

——*Jubeo, cogo, atque impero,*
Nunquam DEFVGIAM AVCTORITATEM.——

Sic Plaut.

Suſpende, vinci, verbera; auctor ſum, ſino.
M. *Si AVCTORITATEM poſtea DEFVGERIS,*
Ubi Diſſolutus tu ſies, ego pendeam.

Et Cic. pro *Sylla*:——*Itaque attende jam, Torquate, quam ego non DEFVGIAM AVCTORITATEM conſulatus mei.*

TIT. XVII.

De Officio Judicis.

1. In primis illud obſervare debet Judex, ne aliter judicet, quam legibus, aut conſtitutionibus, aut moribus proditum eſt.

JUS ANGLICANUM. ad Tit. XVI.

Apud vetuſtiores juris noſtri ſcriptores multa veſtigia apparent ejus ſeveritatis, quâ majores noſtri animadvertunt in eos, quos eventus litis actionem temerè & ſine juſta cauſa inſtituiſſe prodidit. Atque hæc licet hodie maximâ pro parte remiſſa videatur; neque tamen adhuc impunitas vitiligatoribus iſtis proponitur. Si enim aliqui litibus alium malitiosè vexare deprehenſi ſint, curiæ opprobium adferri judicantur, & in delicti ſui pœnam carceri aliquando committuntur.

Sed hic fere uſus hodiernus eſt, ut Actor victus reo in expenſis litis condemnetur; Reus vero actori rem petitam, & damna, & præterea litis expenſas luat.

Ne aliter judicet, quam legibus, aut conſtitutionibus, aut moribus proditum eſt.] Poſtquam Judices apud Athenienſes ſortitus erat Magiſtratus, Judices dati ex lege jurabant ſe de eâ re, de quâ Actio erat, judicium reddituros.

ΔΙΚΑΣΩ ΠΕΡΙ ΩΝ ΑΝ Η ΔΙΩΞΙΣ ΚΑΙ ΠΕΡΙ ΜΕΝ ΩΝ ΝΟΜΟΙ ΕΙΣΙ ΚΑΤΑ ΤΟΥΣ ΝΟΜΟΥΣ ΨΗΦΙΟΥΜΑΙ, ΠΕΡΙ ΔΕ ΩΝ ΜΗ ΕΙΣΙ, ΓΝΩΜΗ ΤΗ ΔΙΚΑΙΟΤΑΤΗ.

Habes apud Demoſthenem in Orat. *Timocratea* Jurisjurandi formulam αὐτολεξεὶ repræſentatam.

ΟΡΚΟΣ ΗΛΙΑΣΤΩΝ.

Ψηφιοῦμαι κατὰ τοὺς νόμους, καὶ τὰ ψηφίσματα τοῦ δήμου τῶν Ἀθηναίων, καὶ τῆ βουλῆς τῶν πεντακοσίων, καὶ πύραννον ἢ ψηφιοῦμαι εἶναι, οὐδὲ ὀλιγαρχίαν. οὐδὲ ἐάν τις καταλύῃ τὸν δῆμον τῶν Ἀθηναίων. ἢ λέγῃ, ἢ ὅπῃ ψηφίζῃ ἐπὶ ταῦτα, οὐ πείσομαι· οὐδὲ τῶν χρέων τῶν ἰδίων ἀποκοπὰς, οὐδὲ γῆς ἀναδασμὸν τῶν Ἀθηναίων, οὐδ' οἰκιῶν, οὐδὲ τοὺς φεύγοντας καταξω, οὐδὲ ὧν θανάτου κατέγνωσαν, οὐδὲ τοὺς μύοντας ἐξελῶ παρὰ τοὺς νόμους τοὺς κειμένους, καὶ τὰ ψηφίσματα τοῦ δήμου τῶν Ἀθηναίων, καὶ τῆ βουλῆς· Οὔτ' αὐτὸς ἐγὼ, οὔτ' ἄλλον ἐάσω. οὐδ' ἀρχὴν καταλύσω ὡς γε ἄρχειν ὑπεύθυνον ὄντα ἑτέρας ἀρχῆς, καὶ τῶν ἑννέα ἀρχόντων, καὶ τοῦ ἱερομνήμονος, καὶ ὅσοι μετὰ τῶν ἑννέα ἀρχόντων καθεύδουσι ταύτῃ τῇ ἡμέρᾳ, καὶ κήρυκος, καὶ πρεσβείας, καὶ συνέδρων. οὐδὲ δὶς τὴν αὐτὴν ἀρχὴν τὸν αὐτὸν ἄνδρα, οὐδὲ δύο ἀρχὰς ἄρξαι τὸν αὐτὸν ἐν τῷ αὐτῷ ἐνιαυτῷ. οὐδὲ δῶρα δέξομαι τῆ Ηλιάστεως ἕνεκα, οὔτε αὐτὸς ἐγὼ, οὔτε ἄλλος ἐμοὶ, οὔτ' ἄλλοι εἰδότος ἐμοῦ, οὔτε τέχνῃ, οὔτε μηχανῇ μηδεμιᾷ· καὶ γέγονα ἐκ ἐλαττον, ἢ τριακοντα ἔτη· καὶ ἀκροάσομαι τοῦ τε κατηγόρου, καὶ τοῦ ἀπολογουμένου ἐμοίως ἀμφοῖν, καὶ ἀψηφιοῦμαι περὶ αὐτοῦ ὃ ἂν ἢ ἡ δίκαιος. Ἐπόμνυμι Δία, Ποσειδῶνα, Δήμητρα, καὶ ἐπάρωμαι ἐξώλειαν ἐμαυτῷ καὶ οἰκίᾳ τῇ ἐμαυτοῦ, εἰ π τούτων ἐξαβαίνοιμι. εὐορκοῦντι δὲ, καλὰ πολλὰ κἀγαθὰ εἶναι.

IVSIVRANDVM

2. Eſt etiam illorum qui juri dicundo præficiuntur quibuſvis facilem acceſſum præbere, plebem ab oppreſſionibus potentiorum protegere; jus æquè pauperi & humili, quam potenti & gratioſo dicere; lites ultra neceſſitatem non extrahere; a corruptelis abſtinere; in cognoſcendis cauſis diligentiam adhibere; omneſque affectus ſinceritatem judicii corrumpentes ſeponere, recte denique faciendo neminem timere.

IVSIVRANDVM HELIASTARVM.

Pronunciabo ſecundùm leges & decreta populi Athenienſis, & ſenatûs quingentorum. Tyrannidem verò, aut paucorum dominatum, meâ ſententiâ non comprobabo. Nequè ſi quis populi Athenienſis libertatem oppreſſerit, aut quicquam contra hæc dixerit, aut decreverit, concedam. Nequè novas tabulas privatìm, nequè agrorum Athenienſium diviſionem, nec ædium, nequè exules revocabo, nequè capitis damnatos: nequè eos qui manent, expellam contra leges receptas, & decreta populi Athenienſis & ſenatûs, nequè egomet ipſe, nequè alium ſinam: nequè magiſtratum creabo, ut is imperet, antequam de alio geſto magiſtratu rationes retulerit, ſive ſit novemvir, ſive pontifex, ſive quicunque cum novemviris eodem die creantur, ſive præco ſive legatus, ſive aſſeſſor: nequè bis eundem magiſtratum eundem virum, nequè binos magiſtratus eundem gerere ſinam eodem anno: nec accipiam munera propter Heliæam, vel ipſe ego, vel quiſquam alius mihi, vel alii me conſcio, non fraude, non machinatione ullâ: & natus ſum annos non pauciores triginta: & audiam tum accuſatorem, tum reum, æquo animo ambos: & ſententiam de eo feram quod eſt in controverſiâ poſitum. Adjuro Jovem, Neptunum, Cererem, & ipſe mihi exitium imprecor, & familiæ meæ, ſiquid horum neglexero & violâro. Sin bonâ fide præſtitero: præclara mihi & bona multa eveniant.

Jurabat etiam Judex apud Romanos ex lege ſe judicaturum, cujus juriſjurandi ſolennis formula EX ANIMI SENTENTIA.——Cic. Acad. Quæſt. IV. 47.——*Quam rationem majorum etiam comprobat diligentia, qui primum jurare EX SVI ANIMI SENTENTIA quemque voluerunt: deinde ita teneri, SI SCIENS FALLERET.*——Jurabat vero aram tenens, id eſt, *Puteal Libonis*, de quo jam ſupra quædam monuimus.——Unde Cic. pro Flacco. ——*Ergo is, cui ſi ARAM TENENS IVRARET crederet nemo, per Epiſtolam, quod volet, injuratus probabit.*——Idem de Officiis, Lib. III. 10.——*At neque contra Rempublicam, neque contra jusjurandum ac fidem, amici ſui cauſa vir bonus faciet; ne ſi judex quidem erit de ipſo amico. Ponit enim perſonam amici, cum induit Judicis. Tantum dabit amicitiæ, ut veram amici cauſam eſſe malit, ut perorandæ litis tempus, quoad per leges liceat, accommodet. Cum vero IVRATO dicenda ſententia ſit, meminerit Deum ſe adhibere teſtem, id eſt, ut ego Arbitror, mentem ſuam, qua nihil homini dedit ipſe Deus divinius. Itaque præclarum a majoribus accepimus morem rogandi Judicis, ſi eum teneremus, QVÆ SALVA FIDE FACERE POSSIT.*

3. Quæ

3. Quæ in variis Actionibus, ac judiciis obſervanda ſint a Judice, exemplis in hoc Titulo docet Imperator.

TIT. XVIII.

De Publicis Judiciis.

1. Abſoluta pro modo inſtituti operis ea parte juris, cujus ſolius tractatio ſuſcepta eſt, ſcilicet tractatione juris privati, attexit Imperator, auctarii vice, particulam aliquam decerptam ex jure publico; ea videlicet illius Juris parte, quæ leges continet publicorum judiciorum. Voluit nimirum aliquid acceſſionis nobis dare, quanquam parcè dedit, indicatis tantum fontibus, unde plura haurire liceat.

2. Crimina vero *publica* differunt a *privatis*. Nam ea non privati perſequuntur, quorum intereſt, ſed reſpublica: & hinc unicuique accuſandi jus eſt, niſi quis ſpeciatim prohibeatur; dummodo accuſator ſubſcribat in crimen, id eſt, libello ſe obſtringat ad pœnam talionis, ſi calumniæ convictus fuerit.

JUS ANGLICANUM. ad Tit. XVII.

Sacramentum *Juſticiariorum Regiorum*, & *Baronum de Scaccario* eſt hujuſmodi; quod ſcilicet bene & fideliter Regi ejuſque populo inſervient, neque conſenſum ſuum rei cuiquam præbebunt, quæ ad damnum aut exhæredationem ſuam verti poterit: quod neque feudum, neque liberaturam ab aliquo præter Regem merebuntur: quod munus aliquod ab aliquo qui cauſam coram eis pendentem habet, præter eſculenta & poculenta mediocris valoris, non accipient, neque poſtea pro cauſa quicquam. Quod conſilium nemini in re aliqua, quæ Regem tangere poteſt, præbebunt ſub pœna eſſendi ad Regis voluntatem, tam quoad corpora, quam bona; quod Regiis Literis non deterrebuntur, quo minus, quod juſtum eſt, cuique faciant.

Crimina vero *publica* differunt a *privatis*.] Ordo Judicii publici hic erat. Qui aliquem accuſare volebat, eum in jus vocabat eodem modo ac in privatis judiciis; & hoc ſæpe juvenes nobiliſſimi faciebant, qui ex virorum illuſtrium accuſatione gloriam ſibi aucupabantur, vel ut loquitur *Cicero* pro *Cœlio*, *adoleſcentiam ſuam commendare volebant*. Inde Accuſator a Prætore poſtulabat ut ſibi ejus NOMEN DEFERRE liceret.——Cic. in Divinat.——*Lucius Piſo DELATIONEM NOMINIS in Pub. Gabinium POSTVLAVIT.* Accuſator ergo Rei nomen *deferebat*, Judex vero quæſtionis *recipiebat*.——

Cœlius

Cœlius ad Cic. Lib. 8. Epiſt. Famil.—*Nec Laterenſis Prætor, poſtulante Pauſania, quo ea pecunia perveniſſet, NOMEN RECIPERE voluit.*—Inde Die conſtituta coram Prætore *Delatio nominis* certa etiam formulâ fiebat, exempli gratia, AIO TE SPOLIASSE SICVLOS &c. ATQVE EO NOMINE SESTERTIVM MILLIES EX LEGE REPETO.—Erat & verbum DICO in accuſationibus inſtituendis receptum.—Cic. Lib. 2. in Verrem.—*Hæc prima actionis erit accuſatio, DICIMVS. C. Verrem cum multa libidinosè, multa crudeliter in cives atque ſocios, multa in Deos, hominesque nefariè fecerit, tum præterea quadringenta Seſtertium ex Sicilia contra leges abſtuliſſe.*—Præterea *libellos* ab accuſatoribus datos fuiſſe conſtat.—Tacit. Lib. 3.—*Increpabantque Tiberium, quod in tanto rerum motu LIBELLIS ACCVSATORVM inſumeret operam.* Hujuſmodi etiam libellorum formulam perſtringet Juven. Sat. 6. his verſibus,

Componunt ipſæ per ſe, formantque LIBELLOS
Principium atque locos Celſo dictare paratæ.

Poſt delatum vero Rei nomen, Prætor, aut qui lege quærebat, jubebat, edicebatve, ut *Reus certo die adeſſet.* Cum dies dictus adveniſſet, Accuſatores, Reus & Patroni ejus per Præconem citabantur e Tribunali.—Cic. Lib. 7. in Verrem.—*Quem is, ubi Panormum venit, ad ſe vocari, & DE TRIBVNALI CITARI IVSSIT.*—Martial. Epig. Lib. 5.

Qui nec Leno potes, nec Comiſſator haberi,
Nec pavidos triſti voce CITARE REOS.

Si accuſator ad diem non adfuiſſet, aut non reſpondiſſet, ex reis eximebatur is, cujus nomen delatum erat. Porro rei, poſtulati ea lege, qua judicium conſtituebatur INTERROGATI dicebantur—Salluſt. in bello Catilin.—*P. Autronius & P. Sylla deſignati Conſules legibus ambitus INTERROGATI pœnas dederant*—Cum juraſſent Judices ſe ex lege judicaturos, peragebatur cauſa ACCVSATIONE & DEFENSIONE. Accuſatio maximè nitebatur Teſtimoniis, quæ ſunt Probationes artis expertes, ſuntque triplices; Primo *Quæſtiones*, ſive Teſtimonia a Servis tormentis expreſſa. Secundo, *Teſtes*, qui debebant eſſe homines liberi, & non infames. Tertio etiam ex tabulis Accuſatio inſtituebatur, quarum nomine omne genus Scripturarum venit, quo cauſa firmari poteſt, ut Tabulæ dati & expenſi, Tabulæ auctionariæ, Tabulæ Argentariorum &c. His productis Accuſator dicebat oratione ad inferenda & augenda crimina artificiosè compoſita, cui Patroni Rei defenſionem ad miſericordiam movendam factam opponebant. Præter Patronos Reus etiam plerumque LAVDATORES exhibebat Viros ampliſſimos; præſertim ſi quis *reus repetundarum* eſſet, qui Provinciales quoſdam teſtes ſibi adducere ſolebat; præterea etiam perſonæ miſerabiles, liberi fortè Rei impuberes, Uxor, ſimileſque producebantur.

Inde Judices ſententiam ferebant hoc modo. Prætor Judicibus tabellas dabat, eoſque ut ſententiam ferrent IN CONSILIVM MITTEBAT. Tabellæ autem erant triplices. Una ABSOLVTIONIS, in qua erat Litera A. Altera CONDEMNATIONIS, in qua Litera C. Tertia AMPLIATIONIS, in qua Literæ N. L. ſignificantes NON LIQVET. Poſtquam Prætor ſententiam ex tabellis

ex

3. Pœna vel *Capitalis* eſt, vel *non Capitalis*. *Illa* vel vitam naturalem vel caput civile tollit. *Hæc* nec vitam nec caput civile, libertatem puta, aut civitatem aufert.

4. Pœnæ *Capitales* apud Romanos receptæ erant Damnatio ad Furcam, Vivicomburium, Capitis amputatio, damnatio in metalla, Deportatio in inſulam.—*Non Capitales* Fuſtium admonitio, Flagellatio, Damnatio ad operas publicas, Relegatio, Infamia, Dignitatis privatio.

5. Quum vero illæ pœnæ vel certis legibus de publicis Judiciis definitæ ſint, vel ejuſmodi leges de iis non exſtent: judicia illa κατ' ἐξοχὴν PVBLICA; hæc EXTRAORDINARIA dicebantur.

6. Leges autem quæ de publicis judiciis exſtant, ſunt 1. Lex Julia *Majeſtatis*. 2. Lex Julia *de Adulteriis*. 3. Lex Cornelia *de Sicariis*. 4. Lex Pompeia *de Parricidiis*. 5. Lex Cornelia *de Falſis*. 6. Leges Juliæ *de vi Publica, & Privata*. 7. Lex Julia

ex urna eductis cognoviſſet, pronunciabat certâ formulâ conceptam, ſcilicet VIDERI ALIQVEM ALIQVID FECISSE, vel VIDERI IVRE FECISSE vel contra. Atque in ipſa formula Condemnationis Pœna plerumque etiam exprimebatur hoc modo. VIDETVR VIM FECISSE EOQVE NOMINE AQVA ET IGNI EI INTERDICO, quod Græcis eſt πύρ& κ) ὕδατ& ἔργω.

Reo vero abſoluto duo judicia adverſus Accuſatorem relinquebantur; alterum *Calumniæ*, ſi falſum crimen dolo malo intuliſſe conſtaret; alterum *Prævaricationis*, ſi accuſatorem cum reo colluſiſſe, vel vera crimina reticuiſſe probaretur.

Cauſas quaſdam non Magiſtratus cognoſcebat, ſed POPVLVS, & tunc ejuſmodi judicia vocabantur *Populi*. Hinc eleganter Plaut. in Menæch. IV. 2. v. 18.

Aut AD POPVLVM, aut IN IVRE, aut AD IVDICEM res eſt.

Hinc unicuique accuſandi jus eſt] Hujuſmodi fuit Athenis LENTITVDINIS Lex.

Ο ἀργὸς ὑπεύθυν& ἔχω παντὶ τῳ βελομένῳ γράφεσθαι.

Lege etiam permiſit Solon cuivis dicam ei impingere, qui alterum injuria affeciſſet.

Παντὶ λαβεῖν δίκην ὑπὲρ τῦ κακῶς πεπονθότ& ἐξεῖναι.

Quemvis admitti accuſatorem voluit, quod in uno cive, quaſi omnium contemneretur Libertas.

de Peculatu & Reſiduis. 8. Lex Fabia *de Plagiariis.* 9. Leges Juliæ *Ambitus, Repetundarum, & de Annona.*

7. Lex Julia *Majeſtatis* lata a *Julio Cæſare* in eos animadverti jubet, qui contra reipublicæ, vel Principis ſummam poteſtatem aliquid moliti ſunt, & tum *Perduellionem*, tum *Crimen Majeſtatis* ſpeciatim ita dictum, vindicat.

Lex Julia *Majeſtatis*] Maximum crimen quod a cive Romano admitti poterat erat MAIESTATIS, quo nomine veniebat, quidquid adverſus populum Romanum, aut ſecuritatem ejus commiſſum fuerat.—— Cic. de Orat. II. 39.——*Majeſtas eſt amplitudo ac dignitas Civitatis.* Leges vero de crimine *Perduellionis*, ſive *Majeſtatis* ab ipſis primordiis urbis initium duxerunt. Etenim nunquam ſatis civitas conſtituta cenſetur, niſi latis hujuſcemodi legibus, quibus veluti jactis fundamentis, publicæ tranquillitatis, reipublicæ ſtatus & quies innititur. Quamobrem harum legum præſidio, hiſque judiciis poteſtatem Reges munivere ſuam: earum Auctoritatem *Junius Brutus* vel ipſo filiorum ſanguine ſancivit: ut quæ regium imperium defenderant, majori auctoritate rempublicam cuſtodirent. Primum vero Romanorum Regem *Romulum* de proditione legem tuliſſe *Dionyſius* refert, quod unum eſt e præcipuis capitibus legum de Majeſtate, quas Decemviri a Regibus acceptas in XII. conjecere tabulas; quibus capite punitur, quiſquis aut hoſtem in patriam concitaſſet, aut civem hoſtibus tradidiſſet. Quæ Lex ſequentibus temporibus variè aucta fuit. Etenim *Lege Gabinia* clandeſtinarum coitionum participes capite multabantur. Acceſſit *Lex Apuleia*, a *Lucio Apuleio Saturnino* lata, Trib. Pleb. anno DCLI. & *Lex Varia* a *Q. Vario* anno DCLXII. quibus legibus vis & Seditio in urbe coorta vindicabatur. *Lucius* vero *Cornelius Sylla* pluribus capitibus majeſtatis crimina comprehendit, legemque tulit antiquioribus multò ſeveriorem. Quo plures enim hujuſcemodi trucibus judiciis irretiret, pœnam remiſit iis, qui per calumniam alios accuſârunt, locumque in hiſce cauſis mulierum teſtimoniis aperuit. Quod etſi perturbatis illis temporibus conveniſſet, ſe præſertim homine, ſolertiſſimo verarum, & falſarum criminationum vindice; ſequentibus tamen temporibus in maximam hominum perniciem erupit: data enim licentia in criminibus graviſſimis calumniarum, innocentium ſupplicio fraus exultat, atque bacchatur, adeo ut deterior omnibus criminibus ſit criminum accuſandorum impunitas. Nec ſolum fautores hoſtium, publicæque pacis perturbatores huic judicio ſubjecit, ſed & eos, qui magiſtratibus muneris exercitium impedîſſent, aut ducibus hoſtium, vel prædonum captis ignoviſſent, & (quod *Verri Tullius* objicit,) eos accepta pecunia liberaſſent; eum præterea, qui poteſtatem ſuam abjeciſſet, eamque defendere neglexiſſet, cum publico munere fungeretur.

8. *Perduellionis* crimine ſe obſtringit, qui HOSTILI animo adverſus Rempublicam vel Principem animatus eſt. — Criminis

Sequuta eſt Lex *Julia* majeſtatis *prior* lata a C. Julio Cæſare, quâ ut majeſtatis damnatis aqua & igni interdiceretur cautum fuerat, teſte Cicerone *Philipp.* I. —— *Non igitur provoeatio iſta lege datur, ſed duæ maximè ſalutares leges, quæſtioneſque tolluntur. Quid eſt igitur aliud, quam adhortari adoleſcentes, ut turbulenti, ut ſeditioſi, ut pernicioſi cives velint eſſe? Quam autem ad peſtem furor Tribunitius impelli non poterit, his duabus quæſtionibus de vi, & DE MAIESTATE ſublatis? Quid, quod obrogatur his legibus Cæſaris, quæ jubent ei, qui de vi; itemque ei, qui MAIESTATIS damnatus ſit, AQVA ET IGNI INTERDICI.*

Ad extremum ſucceſſit Lex *Julia poſterior*, quam *Auguſtus* tulerat. Eam legem, licet ſatis ſeveram poſtea tamen *Tiberius* aſperiorem reddidit, & ad ipſa dicta, quæ impunia antea erant, protulit. —— Tacit. *Annal.* I. 72. —— *Legem MAIESTATIS reduxerat, cui nomen apud veteres idem, ſed alia in judicium veniebant: ſi quis proditione exercitum, aut plebem ſeditionibus, denique malè geſta republica majeſtatem Populi Romani minuiſſet. Facta arguebantur, DICTA IMPVNE erant. Primus Auguſtus cognitionem de famoſis libellis ſpecie legis ejus tractavit, commotus Caſſii Severi libidine, qua viros fœminaſque illuſtres procacibus ſcriptis diffamaverat. Mox Tiberius conſultante Pompeio Macro Prætore, an judicia MAIESTATIS redderentur, exercendas leges eſſe reſpondit. Hunc quoque aſperavere carmina incertis auctoribus vulgata, in ſævitiam, ſuperbiamque ejus, & diſcordem cum matre animum.*

Immò ſub eodem hoc genus calumniæ eo proceſſerat, ut capitale eſſet circa Auguſti Simulachrum ſervum cecidiſſe, veſtem mutaſſe, nummo vel annulo impreſſam Principis effigiem Latrinæ, aut Lupanari intuliſſe, dicto ullo, factove ejus exiſtimationem læſiſſe.

Poſtremo *Arcadius* & *Honorius* incredibili *Rufini* & *Eutropii* moti tyrannide, quam in ipſos Principes adfectaverant, Majeſtatis legem non ſolum ad factiones, ipſumque conatum protulerunt, ſed & pœnam quam maximè exacerbârunt. Præterquam enim quod Majeſtatis reos gladio feriri juſſerunt, etiam bona adjudicarunt fiſco, & filios a materna, avita, omniumque proximorum hæreditate excluſerunt, neque quidquam eos ex teſtamento extraneorum capere paſſi ſunt; ut eos perpetuò egentes & pauperes infamia paterna ſemper comitaretur, eſſentque tales, ut iis & mors ſolatum, & vita eſſet ſupplicium. Id etiam obſervandum, perduelles æque ac hoſtes lugeri more majorum non debuiſſe.

Perduellionis crimine] Quadruplicem inter Majeſtatis & perduellionis crimina differentiam notat *Hotomannus*. —— *Prima* eſt, quod *majeſtatis* crimine tenentur ii, qui *vel partem* aliquam Reipublicæ læſerunt; veluti ſi quis duces hoſtium accepta pecunia liberavit; aut privatus duces hoſtium domi ſuæ occultavit; aut ſi quis Magiſtratui pro officio ſuo aliquid agenti officiat; *Perduellionis* autem crimen in eos cadit, qui *ſummam* Reipublicæ labefactare

majeſtatis in ſpecie reus fit, qui jura majeſtatis invadit, aut aliquid verbis, vel factis, *ſine animo hoſtili* in contumeliam principis committit.

9. Pœna criminis *Perduellionis* eſt ſupremum Supplicium ;—— Memoriæ poſt mortem damnatio ;——publicatio bonorum ;—— Filiorum a materna avita, omniumque propinquorum ſucceſſione, immo & teſtamentis extraneorum delata hæreditate, nec non ab omni dignitate excluſio, filiarum hæreditate materna ad legitimam tantum portionem reſtricta.

10. Rei criminis *Majeſtatis* ſpeciatim dicti pro ejus qualitate capitis damnantur, vel deportantur, vel relegantur, nec ea pœna ad liberos extenditur.

11. Lex *Julia de Adulteriis* non ſolum adulteria, verum etiam nefandam & monſtroſam Venerem, Inceſtum, Stuprum, & Lenocinia coercet. Meretricum enim improbitas, apud Romanos ſatis pœnæ tantæ turpitudinis profeſſioni ineſſe exiſtimantes, extra pœnam civilem fuit.

factare conati ſunt.——Altera differentia eſt, quod *majeſtatis* crimen in foro apud ſuum Prætorem pro Tribunali judicio certa lege conſtituto agebatur ; *Perduellio* vero primis quidem temporibus a *Duumviris* datâ opera creatis : poſt autem a Populo Romano Comitiis centuriatis in campo Martio cognoſcebatur, ut ex oratione *Ciceronis* pro *C. Rabirio* Perduellionis reo conſtat. Et *Livius*, Lib. 6. de *Manlio Capitolino* regnum affectante refert Duumviros, qui de Perduellione inquirerent, creatos.——*Tertia*, quod *Majeſtatis* crimen non morte, ſed exilio multatur ; Perduellionis vero damnatus in crucem in campo fixam tollebatur.——*Quarta*, quod *Majeſtatis imminuta* crimen rei morte obliteratur ; Perduellionis autem memoria etiam poſt mortem damnatur.——Hodie vero hoc diſcrimen appellationis non ita ſtrictè obſervatur ; ſed omnes, qui adverſus principem, aut ſtatum Reipublicæ quibuſcunque modis aliquid moliuntur promiſcuè *rei majeſtatis* dicuntur, & omnium eadem eſt pœna, nimirum capitis.

Lex *Julia de Adulteriis*] Crimen Adulterii primus vindicandum publicis judiciis exiſtimavit *Auguſtus*, qui quum diffluentem luxu civitatem Romanam, & ad omnem ſtuprorum, adulteriorumque licentiam projectam cerneret, coercendi hujus mali cauſa ſeveriſſimam de Adulteriis & Stupris legem tulit. Unde Hor. Car. IV. 5. hanc *Auguſti* providentiam ita celebrat.

Nullis polluitur caſta domus ſtupris :
Mos & LEX maculoſum edomuit nefas.

Laudantur

Laudantur ſimili prole Puerperæ;
Culpam pœna premit comes.

Juv. Sat. II. v. 36.

Non tulit ex illis torvum Laronia quemdam
Clamantem toties, ubi nunc LEX IVLIA? Dormis?
Ad quem ita ſubridens: felicia tempora, quæ te
Moribus opponunt: habeat jam Roma pudorem.

Et Sat. VI. 38.

Sed placet Urſidio LEX IVLIA: tollere dulcem
Cogitat hæredem, cariturus turture magno.
Mullorumque jubis, & captatore macello.

Legem Juliam retulit *Domitianus*; quo pertinent illa *Martialis*, Epigram. Lib. VI. 4.

Cenſor maxime, Principumque Princeps,
Cum tot jam tibi debeat triumphos,
Tot naſcentia templa, tot renata,
Tot Spectacula, tot Deos, tot Urbes:
Plus tibi debet Roma, quod PVDICA eſt.

Idem Epig. 8.

IVLIA Lex populis, ex quo, Fauſtine, renata eſt,
Atque intrare domos juſſa pudicitia eſt,
Aut minus, aut certè non plus triceſima lux eſt,
Et nubit decimo jam Theleſina viro.

Et Juvenalis, Sat. II.

Qualis erat nuper tragico pollutus Adulter
Concubitu, qui tunc LEGES REVOCARAT amaras,
Omnibus, atque ipſi Marti, Venerique timendas.

Alia etiam ſeveritatis exempla in Adulteros ſtatuerunt ſequentes Imperatores.

Meretricum enim improbitas,] De Viſtilia Tacitus, Annal. II. 85.—— *Viſtilia, prætoria familia genita, licentiam ſtupri apud Ædiles vulgaverat, more inter veteres recepto, qui ſatis pœnarum adverſus impudicas in ipſa profeſſione flagitii credebant.* Infames tamen habebantur mulieres impudicæ, & plerumque *mutare nomina*, ipſoque matronali habitu abſtinere cogebantur.

Plaut. Pœnul. V. 3. v. 19.

Quum huc adveniſti in ipſo tempore,
Namque hodie earum MVTARENTVR NOMINA,
Facerentque indignum genere quæſtum corpore.

Hinc Suet. *Tiber.* xxxv. ait, *eas jure ac dignitate matronali exſolutas.* Veſtis vero illa meretricia erat toga & vitta, quam poſita inſtita ſumebant non modo meretrices, verum etiam adulterii damnatæ. Hinc Juvcnal. Sat. II. v. 69.

——*Carfinia talem*
Non ſumet damnata TOGAM.

Horat.

12. *Adulterium* eſt *mulieris alii nuptæ, vel deſponſæ vitiatio.* Adeoque ex *principiis juris Romani* non ſolum maritus, ſed & cœlebs, qui alienam ſubagitavit uxorem, vel ſponſam, adulterium commiſit; non maritus, qui cum innupta rem habuit, quippe *ſtupri* tantum reus. Aſt ex *principiis Juris Canonici* omnis violatio fidei conjugalis adulterium habetur.

13. Crimen Adulterii & *publica* ſeveritate ex hac lege coercetur, & *privatim* quibuſdam caſibus jure vindicatur. Pœna publica erat relegatio in Inſulam, & publicatio dimidiæ partis bonorum, tum Adulteri, tum Adulteræ, & hujus ſimul dimidiæ dotis. Poſtea *Conſtantinus* capitale eſſe juſſit adulterium. *Juſti-*

Horat. Sat. I. 2. v. 36.

——*Quid inter-*
Eſt in matrona, ancilla, peccesne TOGATA?

Martial. Epig. II. 39.

Coccina famoſæ donas, & ianthina machæ;
Vis dare quæ meruit munera? Mitte TOGAM.

Gliſcente vero malo, & fœminis etiam illuſtribus quæſtus illius fœditatem profeſſis, ſenatuſconſulto cavit *Tiberius, ne quæſtum corpore faceret cujus pater, aut maritus eques Romanus fuiſſet.* Tacit. Annal. II. 85. Quin & fœminas famoſas quæ ad evitandas legum Juliarum pœnas nomina apud Ædiles fuerant profeſſæ, exilio adfecit idem Imperator.——Suet. Tib. xxxv. ——Quare *Papiniani* etiam tempore mulier, quæ evitandæ pœnæ adulterii cauſa lenocinium fecerat, adulterii accuſari, damnarique poterat.

Relegatio in Inſulam,] Sic in Inſulam ab ipſo Auguſto relegatæ Juliæ. Suet. Oct. LXV.——Tacit. Annal. III. 24. Eandem pœnam ſub *Tiberio* tulit *Viſtilia.*——Tacit. Annal. II. 85.——*Atque illo prætendente ſexaginta dies ad conſultandum datos necdum præteriſſe, ſatis viſum de Viſtilia ſtatuere: eaque in inſulam Seriphon abdita eſt.*——Aliud exemplum eſt apud *Plinium* Epiſt. VI. 31.

Et hujus ſimul dimidiæ dotis.] De dotis parte Adulteris erepta Horat. Serm. I. 2. v. 129.

——*Vel pallida lecto*
Deſiliat mulier, miſeram ſe conſcia clamet.
Cruribus hæc metuat, DOTI DEPRENSA.——

Vide Valer. Maxim. Lib. 8. cap. 2. ubi inſigne *C. Marii* judicium in *C. Titinnium* Minturnenſem; qui cum *Fanniam* uxorem in adulterio deprehenſam repudiaſſet, ac dote ſpoliare conaretur; Marius Fanniam impudicitiæ ream *ſeſtertio nummo*, Titinnium autem *ſumma totius dotis* damnavit; præfatus ſe hanc judicandi rationem ſecutum, quod ſibi liqueret Titinnium impudicam eo animo duxiſſe, ut ejus doti inſidias ſtrueret.

nianus

nianus adulteram verberatam in monaſterium mitti, & niſi eam intra biennium reciperet maritus, habitu monaſtico eam amiciri, & per omnem vitam in monaſterio manere præcepit.

14. *Privatim* vindicta permittitur & marito & Patri adulteræ. Sed *illi* occidere licet tantum adulterum, non uxorem; imo, nec illum, niſi domi ſuæ, vel alibi, poſt trinam denunciationem, teſtibus tribus munitam, deprehenſum: *huic* & filiamfamilias domi ſuæ, generive in adulterio deprehenſam una cum adultero occidere licet.

15. *Monſtroſæ & nefandæ Veneris* pœna ſimiliter capitalis eſt.

16. *Inceſtus* eſt *Coitus illicitus inter eas perſonas, quæ ob conſanguinitatem vel adfinitatem conjungi non poſſunt.* Illud crimen inter adſcendentes, & deſcendentes commiſſum, deportatione; in reliquis gradibus, arbitrariè punitur. Hodie fere obtinet pœna capitalis, ſi perſonæ, quas jus divinum conjungi non patitur, coierint.

17. *Stuprum* eſt *quod Virgini, vel Viduæ honeſtè viventi ſine vi infertur.* Ejus pœna jure Romano in perſonis honeſtis eſt publicatio dimidiæ partis bonorum; in humilibus, corporis coercitio cum relegatione. Stuprum vi illatum capitis ſupplicio luitur.

Ejus pœna] Lex *Attica* Stupratorem ita multabat, ut vel duceret puellam vel dotaret.

Τὸν βιασαμένον κόρην αὐτὴν γαμεῖν.

Plaut. Aulul.

Si quid Ego erga te imprudens peccavi, aut Gnatam tuam,
Ut mihi ignoſcas, eamque uxorem mihi des, ut LEGES IVBENT.

Terent. Adelp. Act. IV. Scen. VII.

DE. *Puer natus eſt.* MI. *Di bene vortant.* DE. *Virgo nihil habet.*
MI. *Audivi.* DE. *Et ducenda indotata eſt?* MI. *Scilicet.*

Exorandus quoque a raptore erat Pater, qui nuptiis auctor eſſet, Quare *Micio* ex hoc more apud Terentium, ne *Æſchinum* metu amittendæ puellæ excruciet diutius, non appellatus ab eo de nuptiis ultro exoratum ſe oſtendit.

In

18. *Lenocinium* eſt, *quando quis fœminas aliis quæſtus cauſa proſtituit.* Pœna capitalis eſt, ſi quis filiam vel uxorem proſtituat, alias arbitraria.

19. Lex *Cornelia de Sicariis* coercet *Homicidia*, & *Veneficia*. *Homicida* vero eſt, qui dolo malo hominem occidit; qui dolus etiam præſumitur, ſi quis hominis occidendi cauſa cum telo ambulat. Homicidium tale *doloſum* capite, *culpa* commiſſum extra ordinem punitur; *caſu* commiſſum a pœna immune eſt, eoque & moderamen inculpatæ tutelæ pertinet.

In quâ civitate tandem te arbitrare vivere?
Virginem vitiaſti, quam te jus non fuerat tangere.
——At poſtquam id evenit, cedo,
Bono animo es, Duces uxorem hanc.

Verum ſi pretium accepiſſet ſive virgo, ſive mater illius ab adoleſcente, qui compreſſerat, leges non cogebant eam in uxorem ducere; quod colligitur ex *Soſtratæ Terentianæ* verbis in Adelp. III. 2.

Pejore res loco non poteſt eſſe, quam in quo nunc ſita eſt.
Primum indotata eſt: tum præterea, quæ ſecunda ei dos erat,
Periit: pro virgine dari nuptum non poteſt. hoc reliquum eſt;
Sin inficias ibit, teſtis mecum eſt annulus, quem amiſerat.
Poſtremo quando ego conſcia mihi ſum, a me culpam eſſe hanc procul:
Neque PRETIVM, neque rem ullam interceſſiſſe illâ aut me indignam,
Experiar, Geta.——

Lex *Cornelia de Sicariis*] Cum *lege Cornelia* de injuriis *Sylla* texiſſet famam civium, alia texit vitam ab inſidiis ſceleratorum hominum, quæ appellatur *Lex Cornelia de Sicariis & Veneficiis*, & quamvis aliis armorum generibus vitæ hominum appetantur; tamen quia *ſicæ* uſus commodior erat & uſitatior, ab ea legem placuit appellare. Eſt enim *ſica* parvus enſis, ac retortus, qui ſub veſtibus facilius latet inſtar Perſici Acinacis.——Tacit. Annal. Lib. XIII. 45.——*Commoveratque quoſdam magnitudine exempli: donec ancilla ex vulnere refecta verum aperuit; poſtulatuſque apud conſules a patre interfectæ, poſtquam tribunatu abierat, ſententia patrum, & LEGE DE SICARIIS condemnatur.*

Si quis hominis occidendi cauſa] Exiſtimare licet *Cornelium Syllam* hanc legem tuliſſe poſt ſæviſſimam civium proſcriptionem; atque ut tandem finem imponeret cædibus, quæ tum paſſim impunitæ, gravitate pœnæ etiam *a conatu* homines deterrere voluiſſe.——Cic. pro Milone.——*Etſi perſapienter, & quodammodo tacitè dat IPSA LEX poteſtatem defendendi, quæ non hominem*

20. *Veneficium* adpellatur vel crimen, quo quis venena mala necandi hominis cauſa fecit, vendidit, dedit; vel quo quis ſuſurris & incantationibus magicis homines occidit, vel occidere conatus eſt. Horum quoque pœna capitalis eſt.

minem occidi, ſed eſſe CVM TELO HOMINIS OCCIDENDI CAVSA vetat. —Huc reſpicit Plautus Aulul. III. 2. v. 2.

EV. *Quia ad Treſviros jam ego deferam tuum nomen.* CON. *Quamobrem?*
EV. *Quia CVLTRVM habes.* CON. *Coquum decet.*

Veneficium] Romani antequam primævam gentis ſimplicitatem peregrinis vitiis, & aliarum nationum commercio polluiſſent, ignari diu non modo pœnarum, ſed & criminum etiam talium fuere. Unde cum crimine carerent, diu etiam abſtinuere remedio, neque venenorum quæſtionem inſtituerunt ante Annum ab V. C. CDXXII. *C. Valerio Flacco, & M. Claudio Marcello* Coss. quo tempore patuit pernicioſa fraus mulierum, quæ occultè per totam ſerpebat urbem. Ad quam inveſtigandam ancillæ indicio magiſtratus excitati, matronas ipſas participes nefarii ſceleris invenerunt. Quarum cum aliquot negarent, eaque venena non ad perniciem, ſed ad morborum quorundam curationem parata reſponderent, idque impudentius aſſeverarent, bibere coactæ fraudem propria morte prodiderunt. Cujus ſceleris centum & ſeptuaginta damnatæ fuerunt mulieres. —Liv. Lib. VIII. 18. —Juv. Sat. I. v. 69.

Occurrit matrona potens, quæ molle Calenum
Porrectura viro miſcet ſitiente rubetam,
Inſtituitque rudes melior Locuſta propinquas
Per famam & populum nigros efferre maritos.

Et v. 158.

Qui dedit ergo tribus patruis aconita, vehetur
Penſilibus plumis, atque illinc deſpiciet nos?

Idem Sat. VI. v. 609.

Hic magicos affert cantus, Hic Theſſala vendit
Philtra, quibus valeant mentem vexare mariti,
Et ſolea pulſare nates. Quod deſipis, inde eſt:
Inde animi caligo, & magna oblivio rerum,
Quas modo geſſiſti. Tamen hoc tolerabile, ſi non
Et furere incipias, ut avunculus ille Neronis,
Cui totam tremuli frontem Cæſonia pulli
Infudit. Quæ non faciet, quod Principis uxor?
Ardebant cuncta & fracta compage ruebant,
Non aliter, quam ſi feciſſet Juno maritum
Inſanum. Minus ergo nocens erit Agrippinæ
Boletus: ſiquidem unius præcordia preſſit
Ille ſenis, tremulumque caput deſcendere juſſit

21. Lex *Pompeia de Parricidiis* vindicat homicidium inter proximos agnatos commiſſum: & quidem, ſi quis patrem, matrem, avum, aviam, fratrem, ſororem, patruelem, matruelem, patruum, avunculum, amitam, conſobrinum, conſobrinam, uxorem, virum, generum, ſocrum, vitricum, privignum, privignam, patronum, patronam, occiderit.

22. Pœna in eo conſiſtit, quod Parricida virgis ſanguineis cæſus, culleo inſuitur, & cum cane, Gallo gallinaceo, vipera, & ſimia, inter ferales iſtas anguſtias comprehenſus in vicinum mare, vel amnem projicitur. Si mare vel flumen ſit remotius, Parricida vel vivus comburitur, vel objicitur beſtiis.

In cœlum, & longa manantia labra ſaliva.
Hæc poſcit ferrum atque ignes, hæc potio torquet:
Hæc lacerat miſtos equitum cum ſanguine Patres.
Tanti partus equa, tanti una venefica conſtat.
Oderunt natos de pellice; nemo repugnet,
Nemo vetet. Jamjam privignum occidere fas eſt.
Vos ego, Pupilli, moneo, quibus amplior eſt res,
Cuſtodite animas, & nulli credite menſæ.
Livida materno fervent adipata veneno.

Horat. Sat. Lib. I. 8.

Cum mihi non tantum fureſque feræque ſuetæ
Hunc vexare locum, curæ ſunt atque labori,
Quantum carminibus, quæ verſant atque venenis
Humanos animos.———

Incantationibus magicis] Ad has referenda ſunt illa legis duodecim tabularum.——*Qui malum carmen incantaſſit.*——*Qui fruges excantaſſit.*——*Neve alienam ſegetem pellexeris.*——Item illud Virg. Eclog. 8. v. 99.

Atque ſatas alio vidi traducere meſſes.

Et id genus alia, quæ ſuperſtitio mortalium vi magici carminis effici poſſe credidit.

De Parricidiis] *Parricida* propriè dicitur, qui Patrem occidit, quaſi *Patricida*, aut per Syncopen, quaſi *Parenticida*. Sæpe tamen idem verbum pro quavis ἀνδροφονία uſurpant Romani. Sic *Quæſtores Parricidii* appellati Quæſtores rerum capitalium; & Clauſula *Parricida eſto* in omni re capitali ponebatur.——Cic. de Legibus II. 9.——*Sacrum, ſacrove commendatum qui clepſerit, rapſitve, Parricida eſto*, id eſt, Capital eſto.

Pœna in eo conſiſtit,] *Romulus* facinus Parricidii propriè ſic dicti, ne opinione quidem, aut conjecturâ præſumens, nulla illud lege coercuit, etſi pœnas de hominum cæde conſtituerit. Neque in veteres Romanorum ſanctiſſimos mores tam deteſtabile ſcelus irrupit ante Annum ab V.C. ſexcenteſſimum,

23. Lex *Cornelia de falsis* coercet crimen, *quod in veritatis imitatione ac suppressione in alterius fraudem dolosè facta consistit.* Cu-

simum, quo tempore *L. Hostius* parentem occidit, cui accessit cædes alia, quam habemus ex Epitome Liviana. Fertur enim *Publius Malleolus* matrem sustuliſſe de vita, ideoque veteri lege de parricidis insutum culleo simul cum cane, vipera, simia, & gallo gallinaceo mersum in mare fuisse. Quod parricidarum supplicium ex vetustâ lege descendens Sylla confirmavit, ut docemur ex oratione Ciceronis Roscіana.——*Prudentissima civitas Athenienſium, dum ea rerum potita est, fuisse traditur: ejus porro civitatis sapientissimum Solonem dicunt fuisse eum, qui leges, quibus hodie quoque utuntur, scripserit. Is, cum interrogaretur, cur nullum supplicium constituisset in eum, qui Parentem necasset, respondit, se id neminem facturum putasse. Sapienter feciſſe dicitur, cum de eo nihil sanxerit, quod antea commissum non erat: ne non tam prohibere, quam admonere videretur. Quanto majores nostri sapientius, qui cum intelligerent nihil esse tam sanctum, quod non aliquando violaret audacia, supplicium in Parricidas singulare excogitaverunt: ut, quos natura ipsa retinere in officio non potuisset, ii magnitudine pœnæ, maleficio summoverentur: insui voluerunt in culeum vivos, atque ita in flumen dejici. O singularem sapientiam, Judices! Nonne videntur hunc hominem ex rerum natura sustuliſſe, & eripuisse, cui repente cœlum, solem, aquam, terramque ademerunt? Ut, qui eum necasset, unde ipse natus esset, careret iis rebus omnibus, ex quibus omnia nata esse dicuntur. Noluerunt feris corpus objicere, ne bestiis quoque, quæ tantum scelus attigissent, immanioribus uteremur; non sic nudos in flumen dejicere, ne, cum delati essent in mare, ipsum polluerent, quo cætera quæ violata sunt, expiari putantur. Denique nihil tam vile, neque tam vulgare est, cujus partem ullam reliquerint. Etenim quid tam est commune, quam spiritus vivis? Terra mortuis? Mare fluctuantibus? Littus ejectis? Ita vivunt, dum possunt, ut ducere animam de cœlo non queant: ita moriuntur, ut eorum ossa terra non tangat: ita jactantur fluctibus, ut nunquam abluantur: ita postremo ejiciuntur, ut ne ad saxa quidem mortui conquiescant.*——Juv. Sat. 8. v. 211.

Libera si dentur populo suffragia, Quis tam
Perditus, ut dubitet Senecam præferre Neroni?
Cujus Supplicio non debuit una parari
SIMIA, nec SERPENS unus, nec CVLEVS unus.

Idem Sat. 13. v. 154.

Confer & Artifices, mercatoremque veneni,
Et deducendum corio bovis in mare, cum quo
Clauditur adversis innoxia SIMIA fatis.

Huc etiam pertinet illud Ovidii Metam. Lib. 8. v. 97.

Dii te summoveant, O nostri infamia sæcli!
Orbe suo; telluſque tibi, Pontusque negentur.

Lex *Cornelia de falsis*] Vel antiquissimis temporibus *de falso* exstitisse leges nemo dubitaverit. Sed earum jam pridem periit memoria. Celeberrima est Lex Cornelia de falsis, quam TESTAMENTARIAM & NVMARIAM vocat Cic. Verr. I. 42. qui & addit, *ea non jus aliquod novum constitutum esse populo,*

jus criminis rei ſunt, qui in teſtamento, vel aliis inſtrumentis, in alio nomine adſumendo, in teſtimonio perhibendo, in ſupponendo partu, in menſuris, ac denique in nummis adulterandis falſum committunt.

24. Ob falſa hæc omnia ſervi ſupremo ſupplicio, liberi deportatione, & publicatione bonorum adficiuntur.

25. Lex Julia etiam vim *publicam* & *privatam* coercet.— *Publica* eſt vis atrocior, maximè armata, per quam ſecuritas publica violatur. Huc & raptus Virginum, & viduarum, nec non vis a perſonâ publicâ, vel perſonæ publicæ illata, refertur.—*Privata* eſt vis minus atrox, & ſine armis commiſſa.

ſed ſancitum, ut quod ſemper malum facinus fuerit, ejus quæſtio ad Prætorem pertineret ex certo tempore.—Crimen *falſi* Romæ erat frequentiſſimum. In ſignatores teſtamentorum falſorum graviter invehitur *Juvenal.* Sat. I. 67.

Signator FALSO, qui ſe lautum atque beatum
Exiguis tabulis, & gemmâ fecerat udâ.

Suet. in Aug. 33.—*Et cum de falſo teſtamento ageretur, omneſque ſignatores LEGE CORNELIA tenerentur; non tantum duas tabellas, damnatoriam, & abſolutoriam, ſimul cognoſcentibus dedit, ſed tertiam quoque, qua ignoſceretur iis, quos fraude ad ſignandum, vel errore inductos conſtitiſſet.*—Tacit. Annal. Lib. XIV. 40.— *Domitius Balbus erat Prætorius, ſimul longa ſenecta, ſimul orbitate & pecunia inſidiis obnoxius. Ei propinquus Valerius Fabianus capeſſendis honoribus deſtinatus ſubdidit teſtamentum, aſcitis Vicio Rufino, & Terentio Lentino equitibus Romanis. Illi Antonium Primum, & Aſinium Marcellum ſociaverant. Antonius audacia promptus, Marcellus Aſinio Pollione proavo clarus, neque morum ſpernendus habebatur, niſi quod paupertatem præcipuum malorum credebat. Igitur Fabianus tabulas, iis, quos memoravi, & aliis minus illuſtribus obſignat; quod apud Patres convictum, & Fabianus Antoniuſque cum Rufino & Terentio LEGE CORNELIA damnantur.*

Lex Julia etiam vim *publicam*] Olim de vi non ſingularibus legibus actum eſt, ſed ea res legibus de Majeſtate & Sicariis comprehenſa videtur. Primus hoc crimen a Majeſtate & Homicidio diſtinxit, ac lata ſingulari lege vindicavit *P. Plautius* Tribunus Plebis Anno V.C. ıɔcLxxv. *Catulo* & *Lepido* Coss. quæ lex etiam Catulo nonnunquam tribuitur, ideo, quod is Conſul Plautium in ea ferenda adjuverat. Pœna hic erat *Aquæ & ignis Interdictio.* Ex hac lege quæſtio habita eſt de *Catilina*, ejuſque conjurationis Sociis, de *P. Clodio*, *P. Sextio* & aliis.

Poſtea & Pompeius tertio Conſulatu legem *de Vi* tulit, quæ tamen non in univerſum valuit, ſed tantum de cæde in *Appia via* factâ, & incendio Curiæ, & domo *M. Lepidi* Interregis oppugnata quæri, & Quæſitorem ob hanc rem novum extra ordinem creari juſſit.

Succeſſit

26. *Lex Julia de Peculatu & Sacrilegiis* coercet *eos, qui pecuniam publicam, aut rem ſacram vel religioſam furantur.*——Peculatus pœna eſt Deportatio; aliquando quadrupli. Sacrilegium extra ordinem, & aliquando capitali pœna coercetur.

27. Lex *Fabia de Plagiariis* eos, qui liberos homines, vel alienos ſervos dolo malo celant, vel ſurripiunt, mulctâ pecuniaria

Succeſſit *Lex Julia* a Cæſare lata jam Dictatore, cujus meminit Cic. Philipp. I. 9. ſed obſcurè, ut quid ea ſancitum ſit, vix conſtet. Tantò celebrior vero eſt *Lex Julia Auguſti de Vi publica & privata.* Præcipua hujus legis capita ſervarunt Juriſconſulti, & ex iis collegit Sigonius *de Judiciis.* Pœna vis publicæ erat aquæ & ignis Interdictio, poſtea Deportatio, qualem pœnam ſubiit *Vibius Serenus.*——Tacit. Annal. IV. 13.——*Vibius Serenus Proconſul ulterioris Hiſpaniæ de VI PVBLICA damnatus, ob atrocitatem morum in Inſulam Amorgum deportatur.*

Lex Julia de Peculatu] Ante *Servium Tullium*, qui, *Plinio* teſte, primus æs effigie ovium, boumque ſignavit, & ut aliqui volunt, etiam argentum, Romani pretium rerum in pecudibus conſtituebant, aut bobus, ut iis pro crimine multarentur, & vectigalia penderent. Unde furtum pecuniæ publicæ PECVLATVS dicitur, tum quia *pecuniæ* nomen a *pecude* venit; tum quia criminis initium a raptis pecudibus extitit; tum denique quia mulctam in pecudibus antea perſolvebant. Eſt igitur crimen hoc furtum pecuniæ publicæ, & rerum ſive Populi Romani, ſive Cæſaris; nam res civitatum furti actione repetebantur, cum haberentur pro rebus privatorum; conſtitutionibus tamen Principum, ſi quid civitatibus ſurripiebatur, ad peculatum redigitur. Initio crimen hoc nulla certa & perpetua ſcriptaque lege, ſed ubi uſus veniret, rogationibus ad Populum latis, cognitioneque Prætoribus, vel Conſulibus mandata vindicabatur. Ut proditum & de *Lucio Scipione* Africani fratre atque aliis, qui ſecum eadem ſuſpicione criminis involvebantur. Judicium enim datum fuit in eum, quod diceretur pecuniam pacis cauſa a Populo Romano impetrandæ ab *Antiocho* accepiſſe, illamque minimè in publicum retuliſſe. Deinde Syllæ fortaſſe temporibus criminis hujus perpetua quæſtio in Prætore certo fuit inſtituta. Legem poſtea tulit *C. Julius Cæſar*, quæ plura criminum capita comprehendit, nempe de *peculatu*, de *Sacrilegio*, de *Reſiduis*. *Peculatus* igitur crimen incurrit, quiſquis aut rapit ipſe, vel intercipit, avertit, aufert, inque rem ſuam vertit pecuniam publicam, ſacram, religioſam, & in aurum, argentum, æs publicum deterioris aliquid materiæ confundit, aut alteri, qui hoc meditetur, operam ſuam præſtat. De quorum omnium in republica impunitate ac licentia ſuis temporibus his verbis conqueritur M. Cato ſane vehementiſſimis.——*Fures privatorum furtorum in nervo, atque compedibus ætatem agunt; Fures publici in auro, atque in purpura.*

coercuit.

coercuit. Poſtea pœna arbitraria, & aliquando capitalis eſſe cœpit.

28. Lege *Julia de Ambitu* tenentur, qui honores, officiaque publica dolis, precibus, vel pretio ambiunt & impetrant. Pœna in municipiis erat 100. aureorum. Romæ prohibebatur reus intra quinquennium honores repetere. Propter vim publicam deportabatur. Tenetur etiam hac lege, qui novum vectigal inſtituit; item qui cum reus, vel Accuſator eſt, domum judicis ingreſſus fuerit.

Lege *Julia de Ambitu*] Ubi ſinguli regunt, Ambitûs nullus fere eſt uſus, ſed frequens, ubi uniuerſi, ut *Romæ* olim ante conſtitutionem Principis frequentiſſimum fuiſſe conſtat. Hinc illæ leges, *Petilia, Pinnaria, Fabia, Calpurnia, Tullia, Julia,* & ſimiles *de Ambitu,* id eſt affectatis largitione honoribus, latæ. Sed hæ leges ceſſaverunt in urbe, ex quo magiſtratuum creatio ad curam Principis pertinere cœpit, ſublato populi Suffragio. AMBIRE Romanis erat petere magiſtratus, verum ſtudioſius, atque obnixius, quam mores legeſque civitatis ferebant. Mira hic erant Romanorum artificia, quibus ſibi & amicorum, & populi favorem conciliarent.—— Cic. de Petit. Conſul. V.——*Petitio diviſa eſt in duarum rationum diligentiam, quarum altera in amicorum ſtudiis, altera in populari voluntate ponenda eſt.*——Amici erant Propinqui, Neceſſarii, & qui aliquid oſtendebant voluntatis.—— *Propinquos* vocabant, qui ant cognatione, aut adfinitate conjuncti erant;—— *Neceſſarios,* quos conſuetudo vitæ conjunxerat, ut familiares, Tribules, vicinos, clientes, municipes, & qui in eadem ſocietate, collegio, ſodalitate, & ordine erant. *Aliquid voluntatis oſtendere* videbantur Salutatores, Deductores, Sectatores, Suffragatores &c. Hi omnes ergo pro Candidatis prenſabant, eoſque laudabant, commendabant, & rerum eorum ſatagebant. Popularem vero auram, qua præcipuè erat opus, captabant *Nomenclatione, Blanditia, Aſſiduitate & Benignitate. Nomenclatio* eam habebat vim, ut Petitor ſingulos cives ſuo quemquè nomine adpellaret ac ſalutaret. Quumque id fieri vix poſſet in tanta civium multitudine, alebant ſervos qui candidatis civium ſingulorum ſuggererent nomina, unde eos NOMENCLATORES vel MONITORES adpellabant. Quo pertinent illa Horatii, Epiſt. I. 6. v. 49.

Si fortunatum ſpecies, & gratia præſtat,
Mercemur ſervum, qui DICTET NOMINA, *lævum*
Qui fodicet latus, & cogat trans pondera dextram
Porrigere: Hic multum in Fabia valet; ille Velina:
Cui libet is faſces dabit; eripietque curule
Cui volet importunus ebur.——

Blanditiæ varia continebat adſentandi artificia. Alios Candidati Patres, alios fratres, alios Patronos adpellabant. Hor. C. c. v. 54.

——*Frater,*

29. *Lege Julia Repetundarum* tenetur, qui cum aliquam poteſtatem haberet, pecuniam ob judicandum, decernendumve acceperit; vel quo magis, vel minus quid ex officio ſuo faceret. Pœna hujus Legis extraordinaria eſt; nunc relegatio, vel ordinis amotio; nunc exilium, vel etiam mors, pro modo ſcilicet, & qualitate ſceleris. Interdum etiam quadrupli pœna reo imponitur.

——*Frater, Pater, adde;*
Ut cuique eſt ætas, ita quemque facetus adopta.

Nec pudebat eos *& frontem & vultum, & ſermonem ad eorum, quoſcunque convenerant, ſenſum & voluntatem commutare.* —— Cic. de pet. Conſul. X.——— Opus porro erat *Adſiduitate*, nec parum prodeſſe videbatur candidatis adſiduè eſſe Romæ atque in foro, ſæpe eoſdem adpellare, ambire, prenſare, rogare. Circuibant ergo forum ſupplices populo, circuibant omnia Italiæ conciliabula, prehendebant ſingulorum dextras, beneficia ſua in ſingulos commemorabant, cicatrices pectore nudato oſtendebant, & quæ erant hujus generis alia. Sed maximum momentum habebat *Benignitas*, ſi populo dediſſent congiaria, Prandia, munera. In eo vero haud ſubſtitit Candidatorum Induſtria. Sæpe eò prolapſi ſunt Impudentiæ, ut præſente pecunia emerent ſuffragia, eaque de cauſa ſecum producerent *Interpretes*, per quos Pactio induceretur *Sequeſtros*, apud quos deponeretur Pecunia, & *Diviſores*, qui ſingulis nummos diſtribuerent; Immo ſæpe adhibita Vis eſt, turba vel factione conducta, quæ terrorem incuteret populo, eaque SODALITIORVM nomine venit.

Quum ergo tam turpe vitium tam altas egiſſet radices, nihil reliqui fecerunt Romani, ut illud legibus quam plurimis coercerent, & ſane non temerè ullum eſt Delictum publicum, de quo tot exſtent leges, quot *de Ambitu* latæ ſunt.

Jure Canonico Ambitus dicitur SIMONIA, a *Simone Mago*, cui Petrus maledixit, quod ab Apoſtolis Spiritus Sancti gratiam pecunia emere voluit. Eſt enim *Simonia*, cum aliquid pro Spiritualibus exigitur vel promittitur.

Lege *Julia Repetundarum*] Subintellige, *Pecuniarum.* Græci dicunt *κρίνειν τινὰ κακώσεως ἐπαρχίας judicare aliquem repetundarum*; & *εὐθύνας ὄφλειν damnari repetundarum. Repetundarum* judicium eſt, quo ſocii provinciales pecunias ſibi a magiſtratibus Provincialibus contra legem ereptas *repetunt*; unde *Socialis* hæc lex a *Cicerone* in *Verrinis* vocatur, & hoc judicio ex *lege Julia* etiam poterat agi adverſus eos, ad quos ea pecunia pervenerit. Licet videatur etiam exilii pœna fuiſſe Conſtituta repetundarum damnatis.—— Juv. Sat. I. v. 48.

——*Et hic damnatus inani*
Judicio (quid enim ſalvis infamia nummis?)
EXVL ab octava Marius bibit, & fruitur Diis
Iratis, at tu Victrix provincia ploras.

Plin.

30. Lege *Julia de Annona*, (qua appellatione veniunt omnia, quæ ad victum humanum pertinent,) pœna viginti aureorum ſtatuitur adverſus eum, qui Annonam publicam fraudaverit, vel vexaverit, aut cujus dolo malo factum eſt, ut Annona carior fieret.

31. Lege *Julia de Reſiduis* tenentur, qui pecuniam publicam ad uſum publicum datam & attributam retinent, vel ad ſuos uſus convertunt, ſive in ſolidum, ſive ex parte. Et quod in rationibus, pecuniiſve privatis eſt RELIQVA, id in publicis propriè

Plin. Epiſt. Lib. II. 9.——*Marius Priſcus, accuſantibus Afris, quibus Proconſul præfuit, omiſſa defenſione judices petiit. Ego & Cornelius Tacitus adeſſe Provincialibus juſſi, exiſtimavimus fidei noſtræ convenire, notum Senatui facere, exceſſiſſe Priſcum immanitate & ſævitia crimina quibus dari judices poſſent, quum ob innocentes condemnandos, interficiendos etiam pecunias accepiſſet. Reſpondit Fronto Catius, deprecatuſque eſt, ne quid ultra REPETVNDARVM legem quæreretur, omniaque actionis ſuæ vela vir movendarum lacrymarum peritiſſimus quodam velut vento miſerationis implevit.*

Tacit. Hiſt. Lib. IV. 45.———*Iiſdem diebus Antonius Flamma Cyrenenſibus damnatur lege repetundarum & exilio ob ſævitiam.*

Senatu & curiis ſubmotos eſſe repetundarum reos patet ex Suet. Cæſ. XLIII.——*Repetundarum convictos etiam ordine Senatorio movit.*——Idem in Othon. II.——*Ac tantum potentia valuit, ut damnatum repetundis conſularem virum, ingens præmium pactus, priuſquam planè reſtitutionem ei impetraſſet, non dubitaret in Senatum ad agendas gratias introducere.*

Lege *Julia de Annona,*] Publicæ utilitati proſpexit *C. Julius Cæſar* lege in eos lata, quorum dolo annona, nempe frumentum, Vinum, oleum, panis, caro, Sal, & ſimilia victus elementa cariora reddantur; quique ob eam rem ſocietatem coierint, & conſpiraverint, quo vel Iter vectoribus ab urbe averteretur, vel naves, nautæque detinerentur; quique annonam quoquo modo vexant, ſive ſubtrahendo, ſive ſupprimendo inopiamque rei cibariæ inducendo, ut publica ex egeſtate privatim ditentur: iique a Dardano quodam, forte hujus teterrimæ artis Principe, DARDANARII nuncupantur. Eadem lege plectuntur & ii, qui fraudulenter in annonæ adminiſtratione verſantur, ſive præfectus ipſius Annonæ, ſive præfectus Urbi. Et quoniam per hoc judicium publicæ neceſſitati, communique ſaluti conſulitur, delationes mulierum, & ſervorum recipiuntur. Convicti autem 20. aureis damnantur; aut ſi negotiatores ſint, negotiatione interdum interdicuntur: aliquando relegantur, & ſi humiliores fuerint ad opus publicum dantur; pœnaque pro gravitate delicti variatur.———Apud Athenienſes pœna capitis ſtatuta erat in eos, qui frumentum alio comportabant, annonamve ſupprimebant. Vide Lyſiæ contra Dardanarios orationem 22.

eſt

eſt RESIDVA, quod apud eum, cui adminiſtranda data eſt, pecunia publica *reſideat*. Hac autem lege damnatus amplius tertia parte, quam debet, punitur. Hodie pœna hujus criminis, ut & præcedentium, ferè arbitraria eſt.

32. Hæc *de publicis judiciis* in elementis expoſuiſſe ſufficere putavit Imperator; uberior vero eorum ſcientia ex latioribus Digeſtorum, ſeu Pandectarum libris adventura eſt.

JUS ANGLICANUM. ad Tit. XVIII.

Omnia Delicta ſunt vel CAPITALIA, vel NON CAPITALIA.

CAPITALIA ſunt tria.——PRODITIO MAGNA,——PRODITIO PARVA,—— & FELONIA.

Proditio magna eſt illa, quam Romani *læſam Majeſtatem* appellant. Hæc variis modis committitur, præcipuè, 1. Internecionem Regis, Reginæ, aut Filii & Hæredis eorum apparentis perpetrando, vel etiam machinando. 2. Regis Uxori, aut filiæ natu maximæ adhuc cœlibi, aut uxori filii ſui primogeniti ſtuprum violenter inferendo. 3. Arma contra Regem intra Regnum concitando. 4. Hoſtibus Regis adhæreſcendo, aut ſuppetias ferendo. 5. Sigillum Regis magnum aut parvum, aut numiſma fingendo. 6. Nummos adulterinos in regnum ad regii Numiſmatis ſimilitudinem procuſos ſcienter invehendo, eoſque exponendo. 7. Cancellarium Regis, Theſaurarium, Alterutrius Banci Juſtitiarium Itinerantem, aut ad Aſſiſas capiendas, aut ad audiendum & terminandum delegatum, pro Tribunali ſedentem, aut munus ſuum obeuntem occidendo &c.

Qui conſcius eſt tantum, Proditoribus nullo modo aſſiſtens, is non *læſæ* Majeſtatis reus eſt, ſed MISPRISIONI læſæ Majeſtatis eſt obnoxius, quia proditores celavit.

PRODITIO PARVA eſt, quando quis Subditum aliquem, ſed eum cujus eſt in poteſtate, malitioſè interficit; utpote Uxor maritum, Servus Herum, Religioſus Prælatum.

Reliqua Delicta capitalia FELONIÆ nomine comprehenduntur. Feloniæ vero ſunt vel *publicæ*, quæ adverſus univerſam Rempublicam; vel *privatæ*, quæ adverſus privatum aliquem admittuntur. *Prioris generis* ſunt, quæ ad nummos pertinent, ad Regis Conſiliarios, ad Milites & Nautas, ad Regis Armaturam, ad Jeſuitas, Tumultus, Carcerum effractiones.——Feloniæ, quæ *privatos* attingunt, vel vitam adimunt,—vel corpus lædunt,—vel bona comminuunt, vel quoad domum injuria afficiunt.

Vita adimitur 1. Murdro. 2. Homicidio Simplici. 3. Homicidio caſuali. 4. Neceſſitate. *Murdrum* dicitur, quod ex præcedenti malitia vel ferro, vel veneno, vel modo quocunque perpetratur. Sed eſt & Murdrum, cum aliquis ſibi ipſi mortem conſciſcit. Talis enim FELO DE SE dicitur; quo in caſu Chriſtianæ ſepulturæ interdicitur, ac omnia bona & Catalla Regi per Eleemoſynarium ſuum in pios uſus diſtribuenda forisfacit.

Quod ex ſubito animi fervore & repentina Iracundia committitur *ſimplex homicidium* dici poteſt.

Caſuale Homicidium duplex eſt; *unum* quod a mero infortunio provenit; *alterum* quod culpam occidentis admiſtam habet.

Felonias, quæ *corpus lædunt*, perpetrant 1. Sodomitæ. 2. Qui fœminæ cujuſcunque pudicitiam violenter expugnat. 3. Qui mulierem, ſive Viduam, ſive Uxorem, ſive Virginem terras, tenementa, bona vel catalla habentem, vel anteceſſoris ſui hæredem apparentem, contra voluntatem ſuam abductam matrimonio ſibi copulat, vel ſtupro polluit. 4. Qui priori uxore adhuc ſuperſtite ſecundam ducit. 5. Qui aliquem enormi illa læſione afficit, quam MAHEMIVM dicimus.

Felonia *contra bona* alicujus admiſſa eſt LATROCINIVM; quod eſt fraudulenta bonorum mobilium vel perſonalium abſente & invito domino ſubductio.

Latrocinium eſt vel *magnum*, vel *parvum*. *Magnum* eſt, cum bona ſublata valorem duodecim denariorum excedunt. — *Parvum*, cum ejus ſummæ quantitatem non attingunt.

Latrocinium etiam dicitur eſſe *mixtum*, cujus generis eſt ROBBERIA, quæ eſt bonorum alicujus ab ipſius perſona, vel ipſo ſaltem præſente & invito ſublatio. Hæc autem aliquando violenta eſt, & terrorem incutit, ut cum quis per Graſſatores in itinere non ſine metu mortis ſpoliatur; aliquando ſecreta & clandeſtina, ut cum Crumena 12. denarios in ſe continens cuiquam hoc neſciente abſcindatur vel furto ſubducatur.

Felonia *contra ædes* alicujus ſunt BVRGLARIA, & ÆDIFICIORVM COMBVSTIO.

Burglaria eſt violenta in domum vel privatam, vel ſacram, ut Eccleſiam, nocturna irruptio cum intentione interficiendi, furandi, vel aliam aliquam feloniam ibidem perpetrandi.

Ædificiorum combuſtio non ſolum ad Horrea, quæ fruges habent in ſe reconditas, ſed etiam ad congeries granorum extenditur, ſi ædibus propinquæ ſint, & malitioſè incendantur.

Delicta NON CAPITALIA varii generis ſunt, quæ pœnam, corporis coertionem, exilium, Dignitatis & ordinis depoſitionem, & damnum cum infamia inducunt.

FINIS LIBRI QUARTI.

INDEX TITULORUM.

LIBER I.

Tit.		Pag.
I.	De Juſtitia & Jure.	5
II.	De jure Naturali, Gentium, & Civili.	8
III.	De jure Perſonarum.	25
IV.	De Ingenuis.	26
V.	De Libertinis.	27
VI.	Quibus ex quibus cauſis manumittere non licet.	29
VII.	De Lege Fuſia Caninia tollenda.	31
VIII.	De his qui ſui, vel alieni juris ſunt.	31
IX.	De Patria Poteſtate.	33
X.	De Nuptiis.	34
XI.	De Adoptionibus.	42
XII.	Quibus modis jus patriæ poteſtate ſolvitur.	45
XIII.	De Tutelis.	48
XIV.	Qui teſtamento Tutores dari poſſunt.	49
XV.	De legitima Agnatorum tutela.	50
XVI.	De capitis diminutione.	52
XVII.	De legitima Patronorum tutela.	56
XVIII.	De legitima Parentum tutela.	56
XIX.	De Fiduciaria tutela.	56
XX.	De Attiliano Tutore, & eo qui ex lege Julia, & Titia dabatur.	57
XXI.	De Auctoritate Tutorum.	59
XXII.	Quibus modis Tutela finitur.	61
XXIII.	De Curatoribus.	61
XXIV.	De Satiſdatione Tutorum vel Curatorum.	64
XXV.	De excuſationibus Tutorum vel Curatorum.	65
XXVI.	De ſuſpectis Tutoribus vel Curatoribus.	70

LIBER II.

I. De rerum diviſione; & acquirendo ipſarum Dominio. 72
II. De rebus Corporalibus & Incorporalibus. 88
III. De Servitutibus. 90
IV. De Uſufructu. 93
V. De Uſu & Habitatione. 94
VI. De Uſucapione. 95
VII. De Donationibus. 98
VIII. Quibus alienare licet, vel non. 102
IX. Per quas Perſonas cuique acquiritur. 104
X. De Teſtamentis ordinandis. 107
XI. De Militari Teſtamento. 112
XII. Quibus non eſt permiſſum facere teſtamentum. 113
XIII. De Liberis exhæredandis. 115
XIV. De Hæredibus inſtituendis. 118
XV. De Vulgari Subſtitutione. 122
XVI. De Pupillari Subſtitutione. 124
XVII. Quibus modis Teſtamenta infirmentur. 125
XVIII. De Inofficioſo Teſtamento. 128
XIX. De Hæredum Qualitate & Differentia. 131
XX. De Legatis. 136
XXI. De Ademptione Legatorum & Tranſlatione. 242
XXII. De Lege Falcidia. 143
XXIII. De Fideicommiſſariis Hæreditatibus. 145
XXIV. De ſingulis rebus per Fideicommiſſum relictis. 147
XXV. De Codicillis. 147

LIBER III.

I. De Hæreditatibus, quæ ab Inteſtato deferuntur. 150
II. De Legitima Adgnatorum Succeſſione. 154
III. De Senatuſconſulto Tertulliano. 154
IV. De Senatuſconſulto Orphitiano. 154

V. De

V. De Succeſſione Cognatorum. 154
VI. De Gradibus Cognationum. 155
VII. De Servili Cognatione. 156
VIII. De Succeſſione Libertorum. 156
IX. De Adſignatione Libertorum. 156
X. De Bonorum Poſſeſſionibus. 157
XI. De Acquiſitione per Adrogationem. 159
XII. De eo, cui Libertatis conſervandæ cauſa Bona addicuntur. 159
XIII. De Succeſſionibus ſublatis, quæ fiebant per Bonorum venditiones, & ex Senatuſconſulto Claudiano. 160
XIV. De Obligationibus. 166
XV. Quibus modis re contrahitur Obligatio. 170
XVI. De Verborum Obligationibus. 178
XVII. De duobus Reis Stipulandi & Promittendi. 181
XVIII. De Stipulationibus Servorum. 182
XIX. De Diviſione Stipulationum. 182
XX. De inutilibus Stipulationibus. 184
XXI. De Fidejuſſoribus. 185
XXII. De Literarum Obligationibus. 187
XXIII. De Obligationibus ex Conſenſu. 190
XXIV. De Emptione & Venditione. 190
XXV. De Locatione & Conductione. 195
XXVI. De Societate. 200
XXVII. De Mandato. 203
XXVIII. De Obligationibus, quæ quaſi ex Contractu naſcuntur. 206
XXIX. Per quas perſonas Obligatio acquiritur. 210
XXX. Quibus modis tollitur Obligatio. 210

LIBER IV.

I. De Obligationibus; quæ ex Delicto naſcuntur. 218
II. De vi bonorum raptorum. 225

III. De Lege Aquilia. 227
IV. De Injuriis. 229
V. De Obligationibus, quæ quaſi ex Delicto naſcuntur. 233
VI. De Actionibus. 235
VII. Quod cum eo, qui in aliena poteſtate eſt, negotium geſtum eſſe dicitur. 255
VIII. De noxalibus Actionibus. 259
IX. Si Quadrupes pauperiem feciſſe dicatur. 260
X. De iis, per quos agere poſſumus. 262
XI. De Satiſdationibus. 264
XII. De perpetuis & temporalibus Actionibus, & quæ ad hæredes, & in hæredes tranſeunt. 266
XIII. De Exceptionibus. 268
XIV. De Replicationibus. 270
XV. De Interdictis. 271
XVI. De pœna temere litigantium. 273
XVII. De Officio Judicis. 277
XVIII. De Publicis Judiciis. 279

INDEX

INDEX
RERUM & VERBORUM
In hoc Compendio expoſitarum.

A

Pag.

Acceptilatio quid. 215
Acceſſio quid & quotuplex. 82
Acceſſionis naturalis ſpecies. 82
———Artificialis. 83
———Mixtæ. 84
Actio quid ſit. 235
Actio conducti. 198
Actio de Albo corrupto. 246
Actio de conſtituta pecunia. 245
Actio de dejectis vel effuſis. 234
Actio de Jurejurando. 245
Actio de partu agnoſcendo. 246
Actio de Peculio. 243
Actio de ſtatu libertatis. 246
Actio injuriarum ex L. Cornelia. 232
Actio pro Socio. 202
Actio quod juſſu. 255
Actio vi bonorum raptorum. 126
Actiones bonæ fidei. 249
———Stricti juris. 249
———Arbitrariæ. 249
Actiones Civiles vel Prætoriæ. 243
Actiones Directæ vel utiles. 243
Actiones hæredibus quænam dentur, Quænam non. 266
Actiones in rem vel perſonam. 240
Actiones perpetuæ, vel temporales. 266
Actiones rei perſecutoriæ, vel pœnales, vel mixtæ. 248
Actiones ſolidum perſequentes, vel minus. 253
Actor quis. 63
Actus quid. 91
Addictio bonorum libertatis conſervandæ causâ. 159
Adjunctio quid. 84
Adoptio quid. 42
Adſcendentes quomodo ſuccedant. 162
Adſignatio Libertorum. 156
Adulterium quid. 286
Advocatus quis. 264
Ædificans in alieno quando impenſas repetere poſſit. 85
Affinitas quid. 37
Agnati qui. 51
Albi corrupti pœna. 248
Alienatio. 102
Alluvio quid. 82
Alveus a flumine relictus cui cedat. 83
Ambitus pœna. 294
Annona quid. 296
Appulſio quid. 82
Aquæductus quid. 91
Aquilia Lex. 227
Aquiliana Stipulatio. 215
Æquitas quid. 11
Arrogatio quid. 44
Auctoritas Tutorum. 59

B

Beneficium cedendarum Actionum. 187
Beneficium Divisionis. 186
Beneficium Competentiæ. 253
Beneficium Inventarii. 135
Beneficium Ordinis. 186
Bonæ Fidei possessor. 85
Bonorum possessio. 157

C

Capitis Diminutio quid. 52
Casus fortuitus quis. 169
Cautio judicii firmandi causa. 264
Codicillus quid. 147
Cognati qui. 52
Cognationum gradus quomodo numerentur. 155
Collaterales quomodo succedant. 163
Commixtio quid. 84
Commodatum quid. 174
Communes res quænam. 73
Communi dividundo Actio. 209
Compensatio quid. 217
Condictio certi ex mutuo. 171
Condictio indebiti quid. 209
Conditio quid. 121
Confusio quid. 84
Conjuges quando succedant. 164
Consensus quænam sint requisita. 206
Constitutio Principis quid. 16
Contractus quid. 167
Contrectare quid. 220
Culpa quid, & quænam ejus species. 169
Cura quid. 61
Curatores quando dentur pupillis. 61

D

Damnum injuria datum quid. 227
Defensor quis. 263
Delegatio quid. 216
Delictum quid. 218
Descendentes quomodo succedant. 161
Depositum quid, & quænam ejus species. 175
Dispensatio quid. 11
Divortium quid. 39
Dolus quid. 169
Dominium quid. 79
Donaria. 74
Donatio quid. 98
Donatio mortis causa. 100
Donatio propter nuptias. 100

E

Edicta Prætorum. 18
Emancipatio quid. 46
Emphyteusis qualis contractus. 199
Emptio venditio quid. 190
Exceptio quid & quotuplex. 268
Excusatio tutelæ vel curæ quid. 65
Exercitor quis. 255
Exercitoria Actio. 255
Exhæredatio quid, & ejus effectus. 115

F

Falcidia Lex. 143
Falsum quid, & ejus pœna. 291
Familiæ erciscundæ Actio. 209
Feræ captæ quomodo nostræ fiant. 81
Fideicommissorum natura & origo. 145
Fidejussor quis. 185
Filiifamilias quænam olim Patri acquisiverint, quænam hodie. 33
Fiscus quomodo vacantem hæreditatem occupet. 164
Fœturâ quid acquiratur. 83
Fructus ex alieno percepti cui cedant. 85

Furtum quid. 219
Furtum liberorum hominum quomodo puniatur. 293

G

Genere legato cujus ſit electio. 139

H

Habitatio quid. 95
Hæredis inſtitutio quid & quoplex. 118
Hæreditas quomodo dividenda. 119
Hæreditates, quæ ab Inteſtato deferuntur. 150
Homicidium & ejus pœna. 288
Homines liberi, aut ſervi. 25
Hoſtium res, quomodo acquirantur. 82

I

Infamia qnid. 274
Ingenuus quis. 26
Injuria quid. 229
Injuriarum agere qui poſſint. 232
Inofficioſum teſtamentum quid. 129
Inſtitor quis. 256
Inſula in flumine nata cujus fiat. 83
Interdicta, & eorum ſpecies. 271
Inventarium quid. 135
Iter quid. 91
Judex quomodo litem ſuam faciat. 233
Judicia bonæ fidei. 249
Judicia publica quæ. 279
Judicis officium. 277
Juris objecta quæ. 23
Juriſprudentia quid. 6
Jus naturale. 8
——Gentium. 8
——Civile. 9
Jus Civile ſcriptum, & non ſcriptum. 10
Jus publicum & privatum. 7
Jus cretionis. 135
Jus deliberandi. 135
Jusjurandum quid.
Jusjurandum calumniæ quid. 274
Juſtitia, & ejus ſpecies. 6

L

Legatum quid, & quæ in eo conſideranda. 136
Legitima quid. 130
Legitimatio quid. 40
Lenocinium quid. 288
Lex Regia. 16
Lex Ælia Sentia. 29
Lex Cornelia de falſis. 291
——de Sicariis. 288
Lex Fabia de Plagiariis. 293
Lex Fuſia Caninia. 31
Lex Julia de Adulteriis. 284
——de Ambitu. 294
——de Annona. 296
——de Reſiduis. 296
——de vi publica, & privata. 292
——Peculatus. 293
——Repetundarum. 295
Lex Pompeia de Parricidis. 290
Libellus famoſus quid & ejus pœna. 230
Liberi quotuplices. 26
Libertas quid. 25
Libertini qui. 27
Literarum Obligatio. 187
Locatio Conductio quid. 195

M

Magicæ Incantationes. 289
Majeſtatis læſæ crimen. 282
Mandatum quid. 203
Manumiſſio quid. 27
Matrimonia quot modis ſolvantur. 39
Militare teſtamentum 112
Miſſio in bona quomodo fiat. 214
Mors naturalis vel civilis. 45
Mutuum quid, & quæ inde Actio, 170

N

Naturales liberi quibus ſuccedant. 162
Neceſſarii hæredes. 132
Negatoria Actio. 243
Negotiorum geſtio quid. 207
Novatio quid. 215
Noxia quid. 259
Noxalis Actio. 259
Nullius res quænam. 73
Nuptiæ quid & earum requiſita. 34

O

Oblatio Curiæ quid. 40
Obligatio quid, & quænam ejus ſpecies. 166
Obligatio literarum vetus & nova. 187
Obſignatio quid. 216
Occupatio quid. 81
Optione legata, quid poſſit eligi. 139

P

Pactum quid. 167
Parentis loco eſſe quid. 37
Parricidium qnid, & ejus pœna. 290
Patria Poteſtas. 33
Patriciatus quid. 47
Pauliana Actio. 243
Pauperies quid. 260
Peculatus quid, & ejus pœna. 293
Peculium quid & quotuplex. 104
Perduellio quid. 283
Pignus quid ſit. 178
Plebiſcitum quid. 12
Plebs quæ. 12
Pluris petitionis pœna. 251
Pœna temerè litigantium. 273
Pœna capitalis & non capitalis. 281
Poſſeſſio bonorum. 157
Prædia ruſtica & Urbana. 91
Præjudiciales Actiones. 247
Præteritionis effectus. 116
Prætorum Edicta. 18
Pretium in emptione quale requiratur. 193
Privilegium. 17
Procurator quis. 263
Publicæ res quænam. 73
Publiciana Actio. 243
Pupillus quid ſine Tutoris Auctoritate poſſit facere. 60

Q

Quarta Falcidia, & de ea regulæ. 143
Quaſi contractus quid. 206
Quaſi Delictum quid. 233
Quaſi Serviana Actio. 245
Quaſi Uſusfructus quid. 93
Querela inofficioſi. 129
Quorum bonorum Interdictum. 272

R

Rapina quid. 225
Rei promittendi duo, pluresve qui. 181
Rei ſtipulandi duo pluresve, qui. 181
Rei vindicatio Directa, & Utilis. 243
Religioſus locus quomodo fiat. 77
Replicatio quid. 270
Rerum Diviſio. 72
Res Communes. 73
—— Corporales & Incorporales. 88
—— In Patrimonio noſtro & extra Patrimonium. 72
—— Mobiles & Immobiles. 89
—— Nullius. 73
—— Publicæ. 73
—— Religioſæ. 76
—— Sacræ. 74
—— Sanctæ. 79
—— Univerſitatis. 73
Reſciſſoria Actio. 243

Reſponſa Prudentum & eorum Auctoritas. 20
Reſtitutio in integrum. 65

S

Sacrilegium quid. 293
Satiſdatio Tutoris vel Curatoris quid. 64
Senatuſconſultum quid. 13
——— Claudianum. 160
——— Macedonianum. 257
——— Orphitianum. 154
——— Pegaſianum. 146
——— Tertullianum. 154
——— Trebellianum. 146
Servi unde dicantur. 25
Serviana & quaſi Serviana Actio. 245
Servilis Cognatio. 156
Servitus a Serviendo quid. 90
Servitutes ruſticæ & Urbanæ. 91
Societas quid. 207
Solutio quid. 211
Specificatio quid. 83
Sponſalia de præſenti & de futuro. 35
Stipulatio & ejus requiſita. 179
Stuprum quid. 287
Subſtitutio quid & quotuplex. 122
Succeſſio Libertorum. 156
Succeſſio ab Inteſtato. 161
Sui hæredes. 132
Suſpectus tutor quis. 70
Syndicus quis. 263

T

Teſtamentum quid. 107
Theſaurus quid. 82
Traditio quid & quotuplex. 86
Tributoria Actio. 257
Tutela quid & quotuplex. 48

U

Vectigalia quæ. 195
Veneficiorum pœna. 289
Verborum Obligatio. 178
Via quid. 91
Vis publica & privata quomodo puniatur. 292
Uſucapio & ejus requiſita. 95
Uſusfructus quid. 93
Uſus quid. 94

FINIS.

